


SVMMARIVM ASCETICÆ ET MYSTICÆ THEOLOGIÆ.

~~Ad usum Fris Stanislai~~

Ex Cam. Ins.

SVMMARIVM ASCETICÆ & MYSTICÆ THEOLOGIÆ.

Ad mentem D. BONAVENTVRÆ, Seraphici ac Ecstatici Doctoris, pro maiori gloria DEI, & B^mæ Virginis MARIÆ, ac omnium Sanctorum honore,

CONCINNATVM.

Authore P. Fr. CHRYSOSTOMO DOBROSIELSCIO, *Polono, Ord: Min: Reformatorum, in Prouincia S. Mariæ Angelorum Instructore Nouitiorum.*



Cum licentia Superiorum, & Approbatione Theologorum.

CRACOVIÆ,
Apud LVCAM KVPISZ, S.R.M. Typog.
Anno Domini, M. DC. LV.
...a & Priuilegio S. R. M. Polon. & Suec.

IN STEMMA
Inclytæ domûs
DOBROSIELSCIORVM.



Vexillum templi RADWAN dum torquet in hostem,
Exutus Castris turpiter hostis abit;
Fortè illi Angelicæ tunc subuenêre cohortes?
Agnouêre sacræ quando trophæa crucis.





Generoso ac Magnifico Domino,

D. STANISLAO FRANCISCO DOBROSIELSKI IN GORZYCE.

Dño & Patrono fauentissimo S. & P.



Obilissimum mysticæ sapientiæ, diuiniq́; amoris compendium, incredibili omnium veræ pietatis amantium commodo, doctissimè iuxta ac deuotissimè elaboratum, sub Illustri Nomine Tuo luci publicæ consecratur, Generose ac Magnifice Domine. *Nec verò temerè id à me, aut sine singulari & ad libellam maturi iudicij optimè expenso factum est consilio. Nam cogitanti mihi sanctissimum istud veræ, perfectæq́; sanctitatis delicium, in cuiusnam potissimùm ornatissimo deponerem sinu; primus Tu omnium* Generose ac Magnifice Domine, *oculis mentis meæ occurristi, cui primo & potissimo*

tissimo iure, pijssimum istud solidæ pietatis sacrarium magnâ cum animi mei propensione dedicarem. Et feci id quidem tantò libentiùs, quantò pluribus rationum momentis propositum meum videbam confirmari. Vbi enim dulciùs atque securius deuotissimus iste Religiosissimi æquè ac Doctissimi fratris Tui conquiesceret partus, quàm in amantissimo Germani sui gremio, quàm in eo pectore, in quo pridem iam per sanguinis & dulcissimæ charitatis vinculum cor eius suauissimè conquieuit. Seraphica amoris diuini disciplina nonne amori fraterno, nonne intimæ dilectioni debebatur? Quicquid hîc scribitur, quicquid præcipitur, amor est, cuius tu pulcherrimum hactenus, cùm erga dulcissimum Germanum Tuum, tum erga Seraphicum Fratrum Minorum strictioris Obseruantiæ Ordinem, exhibuisti documentum. Et hæc quidem incredibilis Tua ergà Sacrum hunc Ordinem pietas ingens mihi incitamentum addidit, vt Opus istud in Seraphico diuinæ contemplationis Asceterio elaboratum, Tibi Religionis Seraphicæ amantissimo nuncuparem. Ecquis enim est quantumuis oris disertissimi orator, qui id aut

pro dignitate eloqui, aut cultissimo scribendi genere consequi possit? quanto Tu cùm omnes alias Religiones tùm præcipuè Fratres Minores Strictioris Obseruantiæ prosequaris amore? quantâ cùm dexteritate grauiora eorum negotia vbiq; promoueas, quantâ denique & quàm eximia necessitatibus eorum succurras liberalitate. Verè non Patronus tantùm, sed Parens eorum optimo iure nuncupari potes, qui ita eos intimè paternis visceribus complecteris, vt quasi dulcissimum illis Tuo in gremio dormientibus somnum, Tu perpetuis excubijs ad id vnicè inuigiles, ne sanctas eorum cæloq; proximas mentes, aliquâ rerum sæcularium tempestas euigilare faciat, & interturbet. Quinimo & munificam dexteram Tuam tantæ iam vigilantiæ effecisti, vt non necessitatem tantùm, sed ipsam etiam necessitatis suspicionem præueniat, & liberalissimè consoletur. Nimirum è gentilitio Stemmate Tuo didicisti, victricem Vexilli Tui vmbram, ex Ecclesia in hostes raptam iterum Ecclesiæ, & Religioni prætexere, & quod totum Te DEO, totum pietati consecraueris, ipso etiam Religioso Vexilli Ecclesiastici testimonio

designare. Profectò non sine singulari diuinæ benignitatis ordinatione, eâ stirpe, eoq; sanguine progenitus es, cuius hæreditarium est, in mediâ quoque hostium acie pietatis insignia præferre; & in quo semel olim Magnus Maxentium Constantinus, in hoc signo tot iam sæculis infestos Ecclesiæ Maxentios vincere semper & triumphare. Maiorum enim Tuorum insistens vestigijs, eò ardentiùs ad officia pietatis incitaris, quò plures sub Vexillo Tuo tantæ Virtutis Antesignanos recognoscis. Sub hoc quippe triumphali Vexillo, cùm multæ aliæ Sago Togâq; Illustres, in Polonia nostrâ Prosapiæ, tum Inclyta quoque DOBROSIELSCIORVM domus, (cui in Płocensi Palatinatu ad Oppidum DROBNIN in Dobrośielice, antiquissima sedes est) eâ semper vbiq; laude floruit, vt & Regibus Sarmatiæ fidelissima, Ciuibus & vicinis gratissima, & ob Heroicam quandã animi magnanimitatem liberalitatis amantissima haberetur. Agnouit hoc superiùs sæculum in LAVRENTIO DOBROSIELSKI, Auo Tuo, æternâ memoriâ Dignissimo, & ANNA WIECHECKA, Auiâ Tuâ, morum &

vitæ

vitæ integritate pijssimâ Matronâ. Ætas quoque propior in MARTINO DOBROSIELSKI charissimo Parente Tuo, idem concordi calculo approbauit; qui cùm maximam florentissimæ ætatis partem in bellis Liuonicis sub Clarissimis Imperatoribus ingenti bellicæ fortitudinis gloriâ exegisset, cumq; ob insignem virtutum & meritorum præstantiam à Nobilissimis quibusq; viris expeteretur ELIZABETHAM LVBIATOWSKA VICTORINI LVBIATOWSKI Viri fortissimi, qui regnante Sigismundo Augusto Legionum Ductor in Moschouiam fuerat, & ANNÆ TRZECIAKOWNA Præfecti Dinemburgensis filiæ sobolem charissimam in consortem accepit, sedibusq; paternis relictis, felici omine nouum antiquæ virtuti, Maiori in Polonia fixit domicilium. Huius Tu præclara imitatus exempla cùm in generali contra Osmannum totius Regni, tum in recentissima Berestecensi expeditione, verum Te & genuinum gentilitij Tui Vexilli hæredem & bellatorem approbâsti, quando alijs longe iunioribus ob corruptissimam sæculi nostri mollitiem curribus aut

carpentis muliebriter incedentibus, Tu ætate ac ciuilibus confectus laboribus, viridi tamen & viuaci senecta, equo generosissimè inuectus splendido Tuorũ comitatu, Antiquæ nobis & verè Sarmaticæ Virtutis & militiæ pulcherrimũ renouásti spectaculum. Hauserat ex Te bellatorem hunc spiritum VALENTINVS quoque Filius Tuus, ad omnem Togatæ, Sagatæq; prudentiæ gloriam natus, & inter præcipua inclytæ domûs Tuæ decora, nisi DEO aliter visum fuisset, numerandus. Nam post egregie humanioribus literis nauatam operam, cùm in Generalibus Regni Comitijs, Tribunalitijsq; iudicijs, non exiguam Iuris Patrij cognitionem, præclarasq; Ciuilis prudentiæ dotes assiduâ exercitatione comparásset, Marti deinde litare cupiens in gloriosissima illa Zbarazensi obsidione, fortitudinis bellicæ tyrocinio auspicatus, præclara inuicti animi paternæq; Virtutis documenta ostendit, quando in excursione militari, posteaquam cum cæteris Viris fortissimis, diu immanem Scytharum, Cosacorumq; potentiam fatigásset, globo tandem & hastâ traiectus, primitias heroici sanguinis libenti animo patriæ impendit; vitam etiam

ipsam

ipsam breui in eiusdem obsequio relicturus. Vix etenim solutâ obsidione paternæ domûs limina attigit, mox contractâ ex arctissimæ illius obsidionis incommodis valetudine, in ipso florentissimæ ætatis & gloriæ ingressu, ad immortalem vitam ingenti omnium mœrore euolauit. Quid dicam de CASIMIRO Nepote Tuo Generosi ac Magnifici Domini PETRI DOBROSIELSKI Filio, qui nuper ad Zuantium cùm ad explorandum hostem, pro innato militaris gloriæ desiderio, cum alijs commilitonibus excurrisset, ingruente numerosissimâ Scytharum procellâ posteaquam diu fortissimè restitisset, captus tandem, & in Tauricam abductus est. Quem tamen breui exinde rediturum ingens quædam animi mei fiducia mihi prædicit, & tacito quodam interiùs gaudio me recreat, ac consolatur. Et hoc est quidem gentilitij Tui Vexilli singulare decus, quod nemo fermè illius insignia præferat, qui heroico Martialis spiritûs feruore ad immortalem gloriam per ipsius etiam vitæ pericula non contendat; quando & Religiosissimus Germanus Tuus, Religiosissimi huius Operis Auctor, olim cùm necdum sæculo

renunciásset STEPHANI, nunc CHRYSOSTOMI nomine appellatus, primitias ætatis suæ eodem gloriæ cursu transegit, & ad Martiales laureas per egregia militaris disciplinæ ornamenta aspirauit. Nam cùm adhuc sub Vexillo profanæ gloriæ militaret in exercitu primum FERDINANDI II. aduersùs Bethlehem Gabor inter ipsius Generalis exercituum Ducis Ordines, mox cùm Fortissimo Duce STANISLAO KONIECPOLSKI aduersùs Rebelles Cosacos ad Cubilia Vrsina, tandem in bellis Pruthenicis virtutis bellicæ pulcherrima dedit, accepitq; testimonia; donec cælitùs ad Sacrosanctum Religionis Seraphicæ Vexillum auocatus, alteri, sed longè feliciori nomen dedit militiæ, strepitusq; Castrenses, Sanctissimo Asceticæ vitæ silentio permutauit. Huius itaque Religiosissimi nunc inter Seraphicos militantis Ecclesiæ Proceres Bellatoris, breue & dilucidum MYSTICÆ THEOLOGIÆ SVMMARIVM, quod ille tot annis tantoq; labore in Seraphico vitæ contemplatiuæ Asceterio ad æternam Omnipotentis Dei gloriam, & ad communem cùm Religionis propriæ, tum omnium deuotarū men-
tium

tium vtilitatem candido elucubrauit affectu, Tibi Generose ac Magnifice Domine iterum iterumq́ offero. Nec verò, licet Altissima hæc diuinæ contemplationis sapientia, ab instituto quoque Tuo est aliena; quippe Tibi cùm erga cæteras præstantissimas virtutes, tum præcipuè erga pietatis cultûsq́ Diuini Sacrosancta officia, ardens semper fuit desiderium: quod etiam vel ipsa liberalissima in omnes familias Religiosas dextera profitetur. Ex hac præcellenti virtute promanauit benignitas in pauperes, Candoris amor, & iustitiæ, pacis & concordiæ perpetua obseruatio, ac tandem illa in muneribus Publicis obeundis integerrima dexteritas, quam toto hoc quinquennio in exigendis Tributis Regni, satis luculenter Toti Reipublicæ approbâsti, & nisi amore tranquillioris vitæ, onus istud humeris Tuis excussisses, in hunc vsq; diem approbares. Sed ne longiùs vltra modestiæ meæ fines progredi videar, locupletissimum hoc cælestium gratiarum gazophylacium, in amænissimo humanitatis Tuæ sinu depono, spem optimam concipiens, Te inter primas pietatis Tuæ, & amoris Fraterni delicias, Sacrum hoc vniuersæ per-

perfectionis delicium, habiturum. In hanc ſpem me erigit aurea illa, & profuſiſſima in omne genus hominum humanitas Tua, quâ Tibi mirifice animos omnium conciliaſti, & quaſi aureis quibuſdam catenulis deuinxiſti; cui & ego cùm aureum iſtud diuinæ ſapientiæ ſanctuarium, tum officioſiſſimam quoq; animi mei propenſionem ſecurus ac optimæ ſpei plenus committo; DEO interim Optimo, Maximo, cuius ſanctiſſimo Nomini Opus hoc ſacratum eſt humillimè ſupplicans, vt Te cum Chariſſima conſorte Tua & cum Nobiliſſimæ Indolis Sobole Tua, Eccleſiæ, Patriæ, Religioni Seraphicæ, Nobiſq; omnibus felicem ac fortunatum quam diutiſſimè conſeruet. Datum Crac: Die 22. Menſis Octobris. Anno Domini. 1654.

Generoſæ ac Magnificæ Dominationis Tuæ

Seruus obſequentiſſimus

LVCAS KVPISZ

Typogr. S. R. M.

APPRO-



APPROBATIONES RELIGIONIS.

Frater SEBASTIANUS *à Caieta Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ, in Cismontana familia Obseruantium & Reformatorum Commissarius Generalis & seruus. Dilecto nobis in Christo Patri, Fri. Chrysostomo* DOBROSIELSCIO, *Prouinciæ nostræ Reformatæ Minoru Poloniæ Patri, Theologo, & Magistro Nouitiorum, Salutem in Domino.*

CUm iuxta Apostolicas & Ordinis nostri Constitutiones reuisum & approbatum fuerit à Theologis nostræ Religionis Opus à te compositum, cui titulus est SUMMARIUM ASCETICÆ & MYSTICÆ THEOLOGIÆ, Tenore præsentium, cum salutaris obedientiæ merito, facultatem tibi facimus, quatenus seruatis seruandis illud Typis mandare possis. Datum Romæ, die 29. Septemb. Anno Domini 1653.

Fr. Sebastianus à Caieta Commissarius Generalis m. p.

Ego

EGo Frater STEPHANVS Vrbanides, Ord: Minorum Reformatorum, in Minori Polonia Minister Prouincialis, De mandato Reuerendissimi Patris Fratris SEBASTIANI à Caieta Commissarij Generalis, dedi examinandum Opus intitulatum SVMMARIVM ASCETICÆ & MYSTICÆ THEOLOGIÆ, à Reuerendo Patre Chrysostomo DOBROSIELSCIO, nostræ Prouinciæ Patre, studiosè elaboratum; & tum ex nostræ Prouinciæ Theologorum, tum ex aliarum Religionum virorum doctissimorum concordi iudicio cognoui dignum esse, quod prælo subijciatur. Accessit præterea multorum piorum virorum, tam ex Sæcularibus quàm ex Regularibus singulare desiderium: qui post prægustatam primis (vt aiunt) labris, huius libelli suauitatem, incitare non cessârunt, vt libellus communem aspiceret lucem. Igitur seruatis seruandis, facultatem imprimendi concedo; eòque libentius, quò magis omnibus in vita spirituali proficere cupientibus, spero fore proficuum. In quorum fidem, literas manu meâ subscriptas, & Officij Sigillo munitas dedi, Cracouiæ in Conuentu nostro ad S. Casimirum, die 3. Ianuarij, 1654.

Idem qui supra
m. p.

CEN.



CENSVRA

Admodum Reuerendi Domini, Sacræ Theologicæ facultatis in Vniuerſitate Cracouienſi DECANI.

AVctoritate ac Mandato Magnifici Domini, Vniuerſitatis ſtudij Cracouienſis Generalis RECTORIS, Clariſſimi Domini GABRIELIS OCHOCKI, Philoſophiæ ac Medicinæ DOCTORIS & Profeſſoris, &c. Ego infra ſcriptus, SVMMARIVM ASCETICÆ & MYSTICÆ THEOLOGIÆ, ab Adm. Reu. Patre Fratre Chryſoſtomo DOBROSIELSCIO, Ordin: Minorum Reformatorum, iuxta mentem Diui BONAVENTVRÆ, Seraphici ac Eſtatici DOCTORIS con-

concinnatum, mira cum ſuauitate legi; nihilq́; in eo Orthodoxæ fidei & Eccleſiæ Catholicæ, aut probis moribus repugnans, deprehendi: quinimò viris Religioſis id Opus apprimè vtile eſſe arbitror; atque vt lucem publicam aſpiciat, cupio. Datum Crac: in reſidentia mea, Die 15. Iunij. Anno D. 1654.

M. Matthæus Kráśnicki S. Th. D. ad ædem D. Nicolai Præpoſitus, Sacræ facultatis Theologicæ Decanus, manu mea.




Impri-



Imprimatur.

M. Gabriel Ochocki,
Academiæ Crac: Rector.
m. p.





PIO LECTORI.

MYstica diuini Theologia germen amoris,
Vsibus offertur LECTOR Amice TVIS.
Fontibus æthereis ANTONIVS hauserat illã,
Gloria Seraphicæ qui pietatis erat.
FRANCISCVSq́; suos voluit seruare Minores:
Hanc Bonauenturæ mellea scripta docent.
Hæc humiles sublimis amat sapientia mentes;
Munditiès illam cordis amorq́; fouet.
Fac TIBI sint niuei purissima Lilia cordis:
Hæc TIBI plus sapient, quo magè purus eris.



PRO-

PROLOGIVM.

In quo declaratur, quanam ratione Theologia Ascetica & Mystica, tam à quibusuis alijs Theologicis institutis, quàm inuicem à seipsis distinguantur.

Disciplina Asceticæ & Mysticæ Theologiæ, cuius studium præcipuè est ipsorum religiosorum, distinguitur ab alijs Theologicis institutis, ipsâ potissimum occultâ & arcanâ Dei diuinorumque cognitione; & ipso instrumento scholasticè eruditis inusitato, quo nimirum præsentes disciplinæ comparantur: vel alias, ipso medio nonnisi paucissimis cognito, per quod venitur ad experientiam harum disciplinarum.

Quo ad primum dicendum est, quod etiam quæuis alia Theologia largissima quadam acceptione, dici potest Ascetica & Mystica: *Tum* quia, vt plurimum, in asceterijs (*id est*, in claustris religiosorum: *Asce-*

terium enim ex Græco idem ſignificat quod clauſtrum : vnde & *Aſceta* nihil aliud eſt, quàm vir religioſus, à mundo videlicet ad exercendum ſe in contemplatione diuinorum, relegatus, ſecluſus, ac ſeparatus) omnes Theologicæ diſciplinæ ſummoperè coluntur ac promouentur : & inprimis *Scholaſtica Theologia*, ex eo vel maximè, quod facta ſit ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ, ac fidei Orthodoxæ propugnaculum. *Moralis* item, quia dirigendis fidelium conſcientijs deſeruit. *Scripturalis* tandem, vt ſenſus ſacræ Scripturæ veteris ac noui teſtamenti in concionibus catholicè ad intelligendum fidelibus tradatur. *Tum* quia huiuſmodi Theologiæ habent etiam cognitionem Dei, ac diuinorum occultam, & ſacratam : nam ſuas concluſiones ſeu ſcientias euidenti conſequentia deducunt ex principijs fidei à Deo ſupernaturaliter reuelatis. *Tum* quia Theologia ſcripturalis, præ cæteris

Theo-

Theologijs communiter dici ſolet Myſtica, & hoc ob ſenſum myſticū, ſeu ſpiritualem, ſub cortice literæ abſconditum. Myſticum enim ſicut & myſterium, ex Græco idem eſt, quod ſecretum, abſconditum, occultum, ſacratum, arcanum, diuinum & ſpirituale. Vnde patet duplicem eſſe ſenſum ſacræ Scripturæ, literalem ſcilicet, & myſticum. *Literalis* ſenſus, alius eſt proprius, alius improprius. *Proprius* nihil aliud eſt, quàm per voces ipſius ſacræ Scripturæ, propria ſeu hiſtorica rerum ſignificatio. *Improprius* verò idem eſt, quod per eaſdem voces, earundem rerum translatiua ſignificatio. vt eſt caligare oculis, pro cæcutire. *Myſticus* ſenſus (qui idem eſt, quod per res, iterum aliarum rerum ſpiritualis ſignificatio.) alius etiam eſt allegoricus, alius tropologicus, & alius anagogicus: *Allegorico* ſenſu geſta in veteri teſtamento, ſignificant ea, quæ in nouo gerenda erant. *Tropologico* ſeu

morali ſenſu, geſta noui & veteris teſtamenti, indicant ea, quæ nos facere oportet. *Anagogico* ſenſu, hæc, quæ accidunt in Eccleſia militante, ſignificant illa, quæ ſunt futura in triumphante.

Verum accepta præcisè ac propriè ſpiritualis ſeu *Aſcetica & myſtica Theologia*, hoc ipſo nimirum differt à Scholaſtica, Morali, & Scripturali: quia cuiuſuis iſtarum Theologicarum diſciplinarum, huiuſmodi occulta, arcana, & ſacrata cognitio Dei ac Diuinorum, eſt ratiocinatiua ac intellectiua: Aſceticæ verò & myſticæ, vel alias, ſpiritualis Theologiæ, eſt affectiua & experimentatiua.

Diſtinguuntur quoque ac differunt inuicem à ſeipſis *Aſcetica & Myſtica Theologia*; quamuis alias perſæpè confundantur, ac pro eodem habeantur, ob hanc nimirum Dei diuinorumq; notitiam affectiuam. *Primò*, quia *Aſcetica* habet cognitionem diuino-

uinorum affectiuam, ordinario modo acquisitam, media nimirum cognitione discursiua ac intellectiua: imo etiam habet, extraordinariè menti humanæ venientem; qualem puta esse, non solùm secundùm quid verum etiam absolutè seu simpliciter infusam, sed nonnisi per accidens, quæ scilicet in modo operandi, non excedit ordinariam: & huiusmodi cognitio affectiua, alias vocari solet sobriè experimentatiua seu experimentalis. *Mystica* verò habet notitiam affectiuam extraordinariam, vt potè per se simpliciter infusam, quam alias vocant ecstaticè experimentalem, nullius puta oratione seu sermone explicabilem.

Secundò differunt inter se, quia Asceticæ Theologiæ, natura est contemplari diuina ordinariè tantùm, & actiuè seu operatiuè se habere in Deum, dum inter illum & animam rationalem, sobriam vult efficere vnionem: Mystica verò extraordi-

nariè Deum contemplatur; nec non, paſsiuè & cooperatiuè ſolùm, habet ſe in Deum, dum inter illum & humanum ſpiritum ecſtaticam vnionem celebrare intendit.

Tertiò, quia per Aſceticam Theologiam, (quæ eſt propria ac ſpecialis diſciplina cuiuſcunque inſtituti religioſorum: nam tractat de omnibus ijs, quæ peculiariter ſunt tam de neceſſitate, quàm de perfectione illorum ſtatus & vocationis) rectè itur ad Myſticam vnde *Aſcetica Theologia*, largè nimirum ſumpta nihil aliud eſt, quàm clauſtralis diſciplina, regularis obſeruantia, ſtudium virtutum, notitia mortificationis internæ, & vſus bonarum operationum, Deique ac diuinorum ſobriè ſapida ſcientia: *Strictè* verò accepta, ſolam ſignificat ſobriam ſapientiam, ſeu ſobriè ſapidam diuinorum ſcientiã, ſecundum quam deſinit in Myſticam Theologiam, vt potè largè ſumptam, ita vt etiam primus gradus

eius

eius esse dicatur. *Mystica autem Theologia*, vel alias arcana Theosophia strictè nimirum ac propriè sumpta, idē est quod secretissima & sacratissima (iuxta nominis sui significationem) Dei sapientia, seu sapida & ecstatica diuinorū notitia, Scholasticis, Scripturalibus, & Asceticis Theologis minimè perspecta: ipsis paucissimis duntaxat, solisque selectissimis spiritualibus viris diuinitus reuelata, cæteris quamuis studium perfectionis diligentibus, ab eius participatione exclusis.

Quo ad secundum dicendum est, quod instrumentum, quo Theologia Scholastica, moralis, & scripturalis comparari solet: seu medium, per quod occulta & arcana Dei ac diuinorum cognitio intellectualis acquiritur, non aliud est, quàm labor ingenij, & continua exercitatio intellectus ac memoriæ in librorum lectione, nec non frequens ac diligens ratiocinatio, ar-

gumentatio & diſputatio Scholaſti-ca. Inſtrumentum verò ac medium, ad obtinendam Aſceticæ & Myſticæ Theologiæ perfectionem, ſeu ad comparandam occultam, & arcanam Dei ac diuinorum cognitioné affectualem, ſpiritui humano deſeruiens, triplex habetur; vt potè *generale, ſpeciale, & ſpecialiſſimum.*

Generale multiplex deinde aſſignatur. *Primum* eſt quotidiana diligens conſcientiæ examinatio, eiuſdemque ſincera Magiſtro ſpirituali manifeſtatio. *Secundum*, deuota & frequens Sacramentalis confeſſio. *Tertium*, creber ac frequens Euchariſtiæ vſus & cultus. *Quartum*, aſſiduum præſentiæ Dei exercitium. *Quintum*, ſtudioſa legis diuinæ, conſtitutionũ ſui ordinis, ac propriæ regulæ obſeruantia. *Sextum*, perpetua renouatio votorum, vocationis propriæ, propoſitorum æternorum non peccandi, & in via ſpirituali iugiter proficiendi. *Septimum*, lectio ſpiritualis conti-

continua, & assidua meditatio scripturarum. *Octauum*, studium vocalis orationis, ac deuota recitatio diuini officij. *Nonum*, modus rectè obeundi actiones quorumuis officiorũ ad se pertinentium. *Decimum*, correptio, exhortatio, admonitio, & directio Magistri spiritualis, aut ipsius superioris.

Speciale instrumentum ac medium duplex habetur, vt potè assiduum internæ mortificationis exercitium, & indefessum virtutum asceticarum studium. Specialissimum tandem nonnisi vnicum est, ipsa videlicet oratio mentalis, fidei mysteriorum praxim meditandi complectens, in qua præcipuè fides, spes, charitas, & confidentia ad Deum exercentur, quibus maximè coniungimur Deo, & participes illius perfectionis efficimur.

Quamuis autem hæc omnia media, ita suo mutuo indigeant obsequio, vt ea misceri ac velut in vnum

copulari necesse sit, in omnium videlicet actionum praxi, per quam ipsa præsens *Theosophica* perfectio, seu experimentatiua ac sapida diuinorum notitia possidetur; tamen oratio mentalis, iuxta experientiam & doctrinam omnium spiritualium, primum inter illa obtinet locum, & ideò præ omnibus illis præstantissimum & efficacissimum est instrumentum, ac medium huius disciplinæ cælestis. Vnde *Lezana* ait. Acquirendæ perfectionis præcipuum instrumentũ est oratio mentalis, quæ est moraliter loquendo simpliciter necessaria, ad consequendum finem intentum per studium religiosum. Et *Suares*. Licet enim perfectio principaliter in charitate consistat, quæ est perfectionis vinculum, quæque nos summè Deo vnit: ad obtinendam tamen, conseruandam & augendam hanc charitatem, absolutè necessaria est oratio mentalis, quæ est vnica causa instrumentalis taliũ effe-

effectuum. Et *Caietanus*. Non posse vocari religiosum, qui saltim semel in die, ad orationis mentalis exercitium sese non transfert. Et *D. Bonauentura de sex alis Seraphim cap. 3.* Arida est omnis Religio, quæ oleo internæ deuotionis (*orationem mentalem intelligit*) non saginatur: instabilis est bonorum operum structura, quæ deuotæ orationis frequentia non compaginatur, sicut paries lapidum sine cæmento. In omni Religione, vbi deuotionis feruor tepuit, etiam virtutum machina incipit deficere & propinquare ruinæ. *Item. In Medit. vitæ Christi cap. 36. sic ait.* Est quippè virtus orationis inæstimabilis & efficax ad omnia proficua impetranda, & nociua remouenda. Si vis enim patienter tolerare aduersa, sis homo orationis. Si vis tentationes & tribulationes superare, sis homo orationis. Si vis prauas affectiones conculcare, sis homo orationis. Si vis astutias Sathanæ cognoscere, & eius

fallacias vitare, ſis homo orationis. Si vis lætanter viuere in opere Dei, & laboris & afflictionis viam incedere, ſis homo orationis. Si vis cor tuum virili ſpiritu & conſtanti propoſito in Dei beneplacito ſtabilire, ſis homo orationis. Si vis animam tuam ſanctis & bonis cogitationibus, deſiderijs, feruoribus, & deuotionibus impinguare, ſis homo orationis. Denique, ſi vis vitia extirpare, & virtutibus indui, ſis homo orationis: in ea enim recipitur Spiritus ſancti vnctio, quæ de omnibus mentem docet. Item, ſi vis ad contemplationem aſcendere & frui amplexibus ſponſi, ſis homo orationis: ad contemplationem enim & cæleſtiũ deguſtationem, non niſi per orationis exercitium deuenitur. *Rurſus, idem Seraphicus Doctor ſcribit in legenda S. Franciſci cap. 10.* hæc dixiſſe de mentali oratione eundem ſanctum Patrẽ noſtrum. Cenſeo (*inquit*) orationis gratiam viro religioſo ſupra omnia deſide-

ſide-

siderandam esse: nullumque credo sine ipsa in Dei prosperari seruitio. Ac ideo omnes nos fratres suos modis quibus potuit ad eius studium prouocabat, dicens in Regula *cap. 10.* Attendant fratres, quod super omnia desiderare debent, habere spiritum Domini, & sanctam eius operationem, orare semper ad Deum puro corde, *id est,* pura mente, absque nimirum strepitu verborum.

Ob cuius rei gratiam, in hac prima parte præsentis *Summarij Theosophici* præscribendus est nobis ordo, norma, regula, praxis, ac modus orationem mentalem faciendi, ac mysteria fidei ascceticè meditandi. In secunda verò parte, ipsius spiritualis Theologiæ rudimenta ac præcepta tradentur & declarabuntur.



IN mandatis tuis exercebor: & conſiderabo vias tuas.

In iuſtificationibus tuis meditabor: non obliuiſcar ſermones tuos. *Pſal. 118.*



PARS

PARS PRIMA SVMMARII ASCETICÆ ET MYSTICÆ THEOLOGIÆ.

Quatuordecim exercitia ſpiritualia continens: quorum ſeries talis eſt.

1. PRAXIS *ac modus orationem mentalem aſcetice inſtituendi.*
2. PRAXIS *myſteria paßionis Dominicæ aſceticè meditandi.*
3. PRAXIS *myſterium Eucharisticum aſceticè meditandi.*
4. PRAXIS *myſterium beneficiorum Dei aſceticè meditandi.*
5. PRAXIS *myſterium peccatorum aſceticè meditandi.*
6. PRAXIS *myſterium huius vitæ miſeriarum aſceticè meditandi.*
7. PRAXIS *myſterium humanæ mortis aſceticè meditandi.*
8. PRAXIS *myſterium iudicij Diuini aſceticè meditandi.*

9. PRAXIS *mysterium infernalium malorum asceticè meditandi.*

10. PRAXIS *mysterium cœlestium bonorum asceticè meditandi.*

11. PRAXIS *recollectionem quotidianam asceticè instituendi.*

12. PRAXIS *præsentiam Diuinam conseruandi & renouandi.*

13. PRAXIS *studio virtutum insistendi.*

14. PRAXIS *testamentum animæ condendi, pactaq́; illius æterna cum Deo inita formandi ac producendi.*

INTRODVCTIO.

CVm iam perspectum habeatur, quod mentalis oratio, fidei mysteriorum praxim asceticè meditandi complectens, præstantissimum, specialissimum, & efficacissimum sit medium ac instrumentum acquirendæ perfectionis Christianæ, ipsiusq́ue Dei ac diuinorum experimentatiuæ notitiæ, in qua consistit ratio *Asceticæ & Mysticæ Theosophiæ:* idcirco antequam ipsa praxis ac modus mentaliter Deum orandi & mysteria fidei asceticè meditandi præscribatur.

PRIMO dicere necesse est, duplicem esse materiam eiusdem asceticæ meditationis, *aliam communem, aliam specialem.*

Commu-

Communis & remota materia, eſt tota ſacra Scriptura veteris ac noui teſtamenti, imo cælum & terra ac omnia, quæ in eis ſunt. Dicitur autem communis, quia ſcilicet propriè ad ſcholaſticam & ſcripturalem meditationem ſpectat, quàm nihilominus aſcetæ communem habere volunt cùm ſcholaſticis & ſcripturalibus, ſed extra ipſum actuale mentalis orationis ſtudium. Dicitur quoque remota eadem communis materia, quia licet proximè de Deo loquatur & inſtruat, remotè tamen noſtram voluntatem ad timorem Dei, ac imitationem, & amorem diſponit.

Proximam verò ac ſpecialem aſceticæ meditationis puta eſſe materiam, ipsâ videlicet myſteria paſſionis Chriſti, quatuor nouiſſimorum, & his ſimilia; quæ non ſolùm intellectum erudiunt (*Vt docet D. Bonau. in præfatione ad Primum faſcicularium meditationum*) verum etiam è propinquo ac ſpecialiter ipſam voluntatem plus quam cætera ad experientiam timoris, imitationis & amoris Dei excitant: quia quoque plus & propinquius, quam cætera illam tangunt & concernunt.

SECVNDO dicere neceſſe eſt, duplicem eſſe vſum in palæſtra aſcetarum huius proximæ ac ſpecialis materiæ. *Primus* eſt, quando præſens materia cuiuſuis myſterij, non niſi membratim ac punctatim diuiſa, ad meditandum aſſumitur: ita vt meditatio vnius myſterij

ſterij per ſpatium plurium dierum protrahatur, & veritatis illius cognitio ſeu intellectio, in ipſo corpore orationis per partes modo primum conquiratur; quæ alibi conquirenda eſſet, hic verò ipſo actu aſpicienda: cùm alias meditationis orationem ingredientis proprium ſit inquirere, non tam cognitioné Dei ac Diuinarum veritatum intellectualem, quàm affectualem, ſeu practicam, amatiuam, & experimentatiuam, in qua propriè conſiſtit ratio illuminationis aſceticæ ac ſpiritualis. *Secundus* vſus præſentis materiæ eſt, dum tota ſimul cuiuſuis myſterij ſeries pro qualibet vice ad meditandum ſumitur, vt etiam tota ſimul veritatis eius cognitio intellectiua (extra ipſam videlicet orationem, per exercitia intellectualium meditationum, ac ſpiritualium lectionum acquiſita) ſtudioſè recolatur & affectuosè excipiatur. Et talis meditatio eſt de corpore mentalis orationis: quia per illam plus voluntas quàm intellectus exercetur: meditatio enim quæ ingreditur orationem, eſt meditatio cordis, *id eſt*, affectionis, iuxta illud *Pſal.* 18. Meditatio cordis mei, in conſpectu tuo ſemper.

TERTIO dicere neceſſe eſt, quod ordo materiæ ſpecialis talis eſſe poteſt.

Die Dominico mane, aſſumatur ad meditandum myſterium Chriſti paſſionum & actionum in horto. *Veſperi* verò, myſterium beneficiorum Dei.

Feria

Feria ſecunda mane, myſterium proditionis & comprehenſionis Chriſti, ac paſſionum eius in domo Annæ & Caiphæ vſq; ad lucem. *Veſperi*, myſterium peccatorum.

Feria tertia mane, myſterium calumnioſæ accuſationis Chriſti coram Pilato, & irriſionis eius ab Herode. *Veſperi*, myſterium miſeriarum humanarum.

Feria quarta mane, myſterium flagellationis Chriſti. *Veſperi*, myſterium mortis humanæ.

Feria quinta mane, myſterium coronationis Chriſti ſpinea corona. *Veſperi*, myſterium iudicij Diuini.

Feria ſexta mane, myſterium crucis baiulationis. *Veſperi*, myſterium pœnarum infernalium.

Sabbato mane, myſterium crucifixionis Chriſti inter duos latrones. *Veſperi*, myſterium gloriæ cæleſtis.

Quolibet die communionis, myſterium ſacroſanctæ Euchariſtiæ.

PRAXIS I.

Orationem mentalem aſceticè inſtituendi.

ORATIO MENTALIS, tribus conſtat partibus, *initio puta, medio, & fine.* vel alias, *præparatione, meditatione, & concluſione*. PRÆPARATIO, alia eſt *remota*, alia *proxima*. Remota tria requirit: quorum *primum* eſt ar-

est ardens desiderium proficiendi in vita spi-rituali, & perfectè Deo placendi: ac feruens & efficax propositum vitam puriorem ac per-fectiorem sectandi. *Secundum requisitum*, est tentio continua præsentiæ Diuinæ, seu pro-positio perpetua ante oculos spirituales ip-sius Dei vbique existentis ac vias nostras in-spicientis: nec non, in ipsum Deum tanquam in finem vltimum destinatio ac directio om-nium nostrarum cogitationum, verborum & operationum. *Tertium*, est lectio librorum spiritualium, conferentiæ spirituales, & me-ditatio scripturarum intellectualis. Dicitur autem *remota præsens præparatio*: quia non est de corpore ipsius orationis, sicut *proxima*; sine illa tamen, oratio mentalis, nullatenus haberi seu acquiri potest.

Præparatio proxima, tres habet particulas. *Prima*, est actualis renouatio apprehensionis præsentiæ incomprehensibilis Diuinæ maie-statis, ac eius adoratio actu humilitatis: qualis est ille *Psal.* 50. Cor contritum & humilia-tum Deus non despicias. Actus istius talis est sensus. Domine Deus, cum profunda mei submissione, recognosco te esse Deum ac Do-minum meum: & doleo pro peccatis, tam præsentis, quàm præteritæ conscientiæ meæ, quibus tuam offendi maiestatem: ac deinceps efficaciter propono tuam facere & pati vo-luntatem benedictam. *Amen.* Deinde eius-dem actus ista est ratio prima *Eccl.* 35. Oratio humi-

humiliantis ſe, nubes penetrabit. Et *Iudith.* 9. Humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio. Altera eſt *Pſal.* 65. Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Deus. Et *Ioan.* 9. Scimus quia peccatores Deus non audit: ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.

Secunda particula, eſt inuocatio auxilij cæleſtis contra tentationes ac mentis diſtractiones, hocce orationis exercitium impedientes: & poſtulatio gratiæ Diuinæ, intellectum illuminantis, & affectum permouentis, ad ſtudiosè Deum orandum. Cuius rei talis eſt primus actus *Pſal.* 118. Adiuua me, & ſaluus ero: & meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper. Et alter. Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum, & doce me iuſtificationes tuas. *Tertia*, eſt applicatio mentis ad myſterium fidei, ea die ad meditandum occurrentis: quo ad totam eius hiſtoriam, ac ipſius hiſtoriæ interpretationem & definitionem. De hac proxima præparatione facienda, ſic admonemur per Spiritum ſanctum *Eccl.* 18. Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe, quaſi homo qui tentat Deum.

MEDITATIO etiam, in tres diuiditur particulas, *Vt potè in conſiderationes, affectus & actus.* Conſiderationes primam particulam aſceticæ meditationis conſtituentes, in quas & per quas, quodlibet myſterium fid[illegible] ad meditandum aſſumptum reſolui ac diuidi

ſex eſſe puta: quæ illis voculis exprimuntur. *Quis. Qua. A quo. Pro quo. Quomodo. Quam ob cauſam.* Affectus verò & Actus, ſecundam & tertiam particulam conſtituentes, varij ac multiplices haberi ſolent, pro varietate ac diuerſitate myſteriorum & conſiderationum.

Verum ad maiorem præſentis meditationis ac particularum eius elucidationem, notandum eſt primò. Quod mens diuinorum addicta meditationi, ita ſe quodammodo habet ſuis conſiderationibus cum myſterio fidei, ſicut ſe aliquis habere ſolet ferro ad ſilicem: vbi ſicut ex horum colliſione ſcintillæ ignis exſiliunt, & in flammam erumpunt; ita ex conſiderationibus myſteriorum fidei, affectus adinſtar ſcintillarum naſcuntur, qui facile in flammam Diuini amoris, laudis, oblationis, & gratiarum actionis excreſcunt, iuxta illud *Pſal.* 38. Incaluit cor meum intra me: & in meditatione mea exardeſcet ignis. Nihil enim ſunt aliud huius loci *affectus*, quam feruentes permotiones voluntatis ad aliquid eligendum & amandum, vel fugiendum & deteſtandum: *Actus* verò, quam ipſæmet efficaces ac incenſæ electiones, amationes, deteſtationes, laudationes, gratiarum actiones, &c.

Notandum ſecundò, Quod in meditatione (*Vt ait D. Bonauentura in Incendio Amoris, ad fine m capitis primi,*) tota anima noſtra debet eſſe intenta ſecundùm vires ſuas, vtpotè,

ſecun-

secundùm *rationem* & *synteresim*, *conscientiā* & *voluntatem*. Nam in huiusmodi meditatione, *Ratio* percunctando affert propositionem, *Synteresis* sententiando profert diffinitionem, *Conscientia* testificando infert conclusionem, *Voluntas* præeligendo defert solutionem. Verbi gratia. Si quis velit meditari circa viam purgatiuam debet *ratio* quærere, Quid debeat fieri de homine, qui templum Dei violauit. *Synteresis* respondet: quod aut debet disperdi, aut lamentis pœnitentiæ purgari. *Conscientia* assumit: Tu es ille. Ergo, vel oportet te damnari: vel stimulis pœnitentiæ affligi. Deinde *Voluntas* præeligit, scilicet quod recusat ad damnationem æternam, & assumit voluntariè pœnitentiæ lamenta Iuxta hunc modum in vijs alijs (*vtpote, in via illuminatiua & vnitiua, quodcunque fidei mysterium ascetice meditantibus*) incedendum est. *Hæc D. Bonau.* Vnde est, quod *Ratio* rem proponendo, & *Synteresis* ad eam decisiuè respondendo, asceticam constituunt considerationem. *Conscientia* verò, vbi ex vna parte huiusmodi assentitur responsioni, mox ex altera parte stimulat voluntatem, vel pro re, vel contra rem: quo ipso illam excitat, ac in eam aliquem ingenerat affectum. *Voluntas* deniq; sic permota & concitata, illicò ipsum iam elicit constituitque actum, per quem alias terminatur ac integratur ascetica meditatio.

Notandum tertiò, quod præsentis meditatio-

tationis quadruplex habetur officium. *Primum* est, inuestigandi scilicet, conquirendi & colligendi, tum ex notis fidei veritatibus, tum ex intellectis sacræ Scripturæ propositionibus, occultam ac ignotam diuinorum cognitionem intellectualem; per discursum puta, siue proprium, qui habetur cum speculatione; siue alienum, qui habetur cum lectione, & auditione. Verum huiusmodi officium, non nisi ad remotam spectat orationis mentalis præparationem, ipsam autem non ingreditur orationem. *Secundum* officium asceticæ meditationis, ad rationem orationis pertinens, est acquisitam seu inuentam scientiæ veritatem, actualiter aspiciendi ac recogitandi, diligentiùs reuoluendi, accuratiùs examinandi, elapsam illicò in memoriam reuocandi, de vna in alteram transeundi.

Tertium est, cognitionem seu scientiam mysterij ad cor ipsum reflectendi, ac illud commouendi, ad actusque timoris vel amoris Dei producendos instigandi. *Item*, mala sub specie boni ac melioris latitantia præcauendi, bona quamuis ardua ac difficilia eligendi & prosequendi, tentationibus futuris prudenter obuiandi, & præsentibus fortiter resistendi; contra quæuis aduersa optimis propositis, resolutionibus & resignationibus mentem roborandi, ac in prosperis eam humiliandi; peccata non solùm præterita, sed etiam possibilia detestandi, vitia mortificandi & superandi:

di: virtutibus insistendi; conscientiam examinandi, scopandi seu purgandi & corrigendi, ac ipsum denique spiritum in diuinorum cognitione & amatione magis ac magis promouendi & exercendi, iuxta illud *Psal.* 76. Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.

Quartum officium asceticæ meditationis est, ipsum videlicet os mentis aperiendi, per extensionem in Deum conceptuum & affectuum, ad recipiendas nimirum Spiritus sancti nouas influentias, impressiones, & gratias, iuxta illud *Psal.* 118. Os meum aperui, & attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam. Est autem triplex spiritus supernarum huiusmodi gratiarum ac influentiarum, cælitus veniens diuina meditantibus. *Primus* dicitur Excitans: quia instigat, excitat, & prouocat mentem ad meditandum fidei mysteria, & ad custodiendum quæ sunt legis Diuinæ. Hunc inuocabat spiritum Dauid, cùm diceret *Psal.* 50. Cor mundum crea in me Deus: & spiritũ rectum innoua in visceribus meis. Et *Psal.* 118. Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam: & custodiam illam in toto corde meo. *Secundus* dicitur Adiuuans: quia promouet & adiuuat mentem Diuinis meditationibus & obseruantijs insistentem. Hunc etiam inuocabat Dauid, cùm diceret *Psal.* 118. Adiuua me & saluus ero: & meditabor in iustificationibus tuis semper. Et *Psal.* 50. Spi-

ritum sanctum tuum ne auferas à me. *Tertiò* dicitur Reficiens : quia mentem diuinis intentam, reficit cælesti illustratione ac iucunditate, iuxta illud 1. *Ioan.* 2. Vos vnctionem habetis à Sancto, & nôstis omnia. Et *Psal.* 44. Dilexisti iustitiam,& odisti iniquitatem : propterea vnxit te Deus,Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Et *Psal.* 50. Redde mihi lætitiam salutaris tui : & spiritu principali confirma me. Hunc igitur mens attrahit spiritum confirmantem se ac reficientem,quando tam intellectualis quàm affectualis eius actio sursum erecta in Deum, cælesti vnctione ac infusione, magis ac magis clarificatur & illustratur, inflammatur & iucundatur : *Vel item*, quando illi noua cognitio & affectio, clarior iam & iucundior elicitâ, subito instillatur. Absque huiusmodi affluentia cælesti, ac refectione spirituali,est quidem oratio & meditatio bona, sancta, & efficax, sed arida, obscura, & insipida.

Notandum quartò, quod sicut meditatio diuinorum, tam videlicet scholastica, quàm scripturalis,huic nostræ meditationi asceticæ famulatur suis inquisitionibus intellectiuis, ac in eam terminari solet : ita etiam præsens ascetica meditatio deseruit contemplationi, suis inquisitionibus affectiuis, in quam tandem & desinit : ac idcircò, mentalis oratio vt est in acquirendo, dicitur habere meditationem ; vt verò est in esse acquisito, dicitur habere contemplationem. Con-

CONCLVSIO orationis tres itidem habet particulas. *Prima* continet septẽ communes ac generales petitiones, mente producendas, quas instituit noster cælestis magister, Christus Dominus *Matth. 6.* dicens Sic enim vos orabitis. Pater noster qui es in cælis. Sanctificetur nomen tuum, &c. quarum quidem petitionum, excepto præludio, possumus inuertere ac permutare dispositionem, incipiendo scilicet ab infima petitione & procedendo gradatim vsq; ad supremam: quia teste D. Bonauentura *lib. 2. de prof. Relig. cap. 61.* Christus Dominus non ordini earum, sed dignitati attendebat. Est autem præludium huiusmodi. Pater noster, qui es in cælis. *Pater*, cuius filij sumus, non per naturalem generationem, sed per spiritualem regenerationem, ac per supernaturalem gratiam & adoptionem. *Noster*, qui sumus vnius voluntatis ac vnius moris in domo Ecclesiæ tuæ. *Qui es in calis*, per gloriam: in inferno, per iustitiam: vbiq; locorum, per potentiam, præsentiam, & essentiam: in animabus iustis, per gratiam, quæ scilicet secundùm suas conscientias adinstar corporum cælestium, sunt mundæ, claræ, & perspicibiles; secundùm voluntatem, firmæ ac stabiles in optimis propositis; secundùm habitus, ornatæ stellis virtutum; secundùm charitatem, semper feruidæ ac mobiles.

Petitio prima. Libera nos à malo. *Nos* videlicet, qui sumus in hoc Conuentu, in tota

Prouincia, in toto ordine, cum benefactoribus, amicis, & inimicis nostris, & cum omnibus alijs cuiuscunq; status & conditionis hominibus, pro quibus tu vis Pater, vt oremus te. *Libera* à malo (duplici videlicet) culpæ mortalis, ac venialis: & pœnæ æternæ, ac temporalis.

Petitio 2. Et ne nos inducas in tentationem, *id est*. Oramus te Pater, non vt omnino non tentemur, sed vt non permittas nos induci ac intrare in consensum ad tentationem, tam scilicet in vita quam in morte. Nam quemadmodum, cùm accedimus ad fornacem igne succensam, incalescimus; in quam alias si immitteremur aut intraremus, omnino combureremur: ita dum tentamur, & tentationi resistimus, charitate tuâ incalescimus; si autem ex tua permissione Diuina, vtpotè destituti auxilio tuo efficaci, intraremus per nostrum consensum in tentationem, iam eo ipso infelicissimi conflagraremus.

Petitio 3. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *id est*. Dimitte nobis peccata nostra, quibus maiestatem tuam grauiter offendimus: sicut & nos propter tui præceptionem, quibuscunque proximis nostris dimittimus peccata eorum, quibus ab eis offendimur. Imo Pater pijssimè, fac nos sic dimittere proximis nostris peccata, quibus in nos peccant; sicut tu dimittis nostra, quibus in te peccamus, dum te rogamus. *Peti-*

Petitio 4. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. *id eſt*. Rogamus te Pater piiſ-ſime, vt nobis triplicem panem dare digneris: cæleſtem ſcilicet, ſpiritualem, & terreſtrem. Cæleſtis, eſt corpus Chriſti, iuxta illud *Ioan.* 5. Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Spiritualis, eſt verbum Dei, & gratia diuina, mentem ab interiori inedia, virtutum ac donorum alimento reficiens, iuxta illud *Pſal.* 103. Panis, cor hominis confirmat. Terreſtris, eſt victus & alimentum, quo corpus ſuſtentari indiget. Hunc triplicem panem quotidie dari nobis poſcimus, ſine quo nullo die ſubſiſtere valemus. Vnde eſt illud *Matth.* 4. Non in ſolo pane (terreſtri ſcilicet ac corporali) homo viuit.

Petitio 5. Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra. *id eſt*. Rogamus te Pater clementiſſime, vt ſicut Sancti tui tecum in cælo regnantes, voluntati tuæ ſanctæ omnino ſunt inſeparabiliter vniti: ita & nos in exilio huius terræ manentes, eidem tuæ voluntati facias plenè conformes.

Petitio 6. Adueniat regnum tuum. *id eſt*. Rogamus te Pater benigniſſime, vt non regnet in nobis mundus, caro, & Diabolus; ſed tu ipſe regnes, veniens ad nos & manſionem tibi cum Filio tuo & Spiritu ſancto in nobis faciens: & conſequenter, poſt terminũ huius miſerrimæ vitæ, nos tecum in æternum feliciter regnare facias.

Petitio 7. Sanctificetur nomen tuum. *id eſt*. Rogamus te Pater ſanctiſſimè, vt Nomen ſanctum tuæ Diuinitatis, quod tibi eſt vnum cum Filio tuo & Spiritu ſancto, magis ac magis per tuam illuminationem nobis innoteſcat; ac vbique terrarum à fidelibus tuis iugiter & perpetuo adoretur, laudetur, glorificetur, & ſuperexaltetur. Amen, *id eſt*. Ita veraciter fiat.

Secunda particula continet obſecrationem Dei humillimam & affectuoſiſſimam, pro obtinenda efficaci confirmatione voluntatis noſtræ per gratiam eius ſubſequentem, in omnibus actibus in præſenti oratione elicitis. Nam ſicut teſtamentum ſeu actus extremæ voluntatis alicuius hominis morientis, ante approbationem & confirmationem Diœceſani Epiſcopi communiter ſui valorem non habet: ita teſtamentum præſentium actuum & propoſitorum in hac oratione ex noſtra voluntate elicitorum, nullatenus poteſt eſſe ſtabile, efficax, & perſeuerans vſque in finem, antequam ab altiſſimo Pontifice Chriſto Domino approbetur & confirmetur, quod patet ex Sanctis eius verbis *Ioan*. 15. Sine me nihil poteſtis facere. Huius rei experientiam habuit ſanctus Petrus, cùm fractus timore humano Chriſtum turpiſſimè negâſſet; eo quod propoſiti ſui, quod habebat moriendi cum illo, ex aliqua præſumptione animi, ac nimia in ſuis viribus confidentia, huiuſmodi confirmationem non poſtulâſſet.

Actus

Actus huius obsecrationis talis esse potest ex *Psal.* 57. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. *id est*, Obsecro Domine Deus ac summe Pontifex Christe IESV, vt confirmare digneris per tuam subsequentem gratiam, quæ inuoluit donum finalis perseuerantiæ, hoc testamentum actuum ac propositorum meorum, quod modo per tuam præuenientem & concomitantem, vel alias excitantem & adiuuantem gratiam, in me, per me, ac mecum, seu, in nobis, per nos, ac nobiscum operatus es: vt videlicet sit firmum, stabile, efficax, ac æternum. Confirma obsecro, sicut confirmâsti sanctam tuam Ecclesiam Catholicam, ita vt portæ inferi contra illam non præualeant: sicut confirmare soles tibi verè deuotos, ita vt in tentationibus carnis, mundi & Diaboli non deficiant, sed proficiant: & sicut confirmâsti misericordiam tuam super timentes ac sperantes in te, ita vt in æternum non confundantur. Confirma obsecro per hos dolores tuos, quos voluntariè ac liberè pati pro me, ac pro omnibus nobis dignatus es: per dolores sanctissimæ Matris tuæ, quos passa est tempore huius tuæ passionis: per dolores Martyrum tuorum, quos passi sunt pro amore tui: per patientiam tuorum Confessorum, quam exercuerunt, quasuis huius mundi aduersitates æquo animo tolerando ad tui imitationem. Ac tandem per merita omnium electorum tuorum,

tam videlicet militantis, quàm triumphantis Ecclesiæ, id ipsum mihi ac omnibus nobis fieri cernuus iterum atque iterum obsecro, obsecro, obsecro, Amen, Amen, Amen, Fiat, fiat, fiat.

Tertia particula continet ipsam executionem ac impletionem efficacem omnium propositorum in corpore orationis elicitorum, ac præsertim tempore cuiusuis tentationis & probationis. In duplici autem sunt differentia proposita ascetarum. *Prima* dicuntur essentialia seu necessitatis, sine quorum scilicet impletione, vitâ spirituali non viuimus, seu, in gratia Dei non perseueramus. Vt puta esse. Peccata mortalia, æternâ voluntate fugiendi. Præcepta legis æternæ in perpetuum custodiendi. Aduersa huius mundi, semper æquo animo tolerandi. In prosperis debitam humilitatem seruandi. Mortificationi internæ iugiter vacandi. Virtutibus internis perpetuo insistendi, quæcunque contra ingruat tentatio. *Secunda* dicuntur vtilitatis, sine quorum impletione, tum quasi nihil aut satis tardè in via spirituali proficimus, tum non raro proh dolor miserrimè deficimus. Vt puta esse. In humilitate externa se exercendi. Mortificationi externæ vacandi. Cellam frequentandi, seu solitudinem amandi. Silentium externum custodiendi. Familiaritates hominum fugiendi. Omnes obseruantias suæ Religionis extrinsecas ad amussim exequendi.

Nota

Nota primò, quod alij pro conclusione orationis mentalis, communiter ponunt, *gratiarum actionem, oblationem, & petitionem*: sed saluo meliori iudicio, his aptior videtur esse locus in corpore ipsius meditationis, cum alijs actibus, (quos nonnulli colloquia animæ cum Deo vocare solent) ex singulis videlicet considerationibus congruenter prosilientibus.

Nota secundò, quod huiusmodi conclusio seu finis orationis, magis Deo placet, quam eius initium & medium, iuxta illud *Eccl. 7.* Melior est finis orationis, quàm initium. Ratio est, quia in fine præsentis orationis, non solùm pro se ipso oratur, sed etiam & pro alijs: atque non tam in suis viribus, quàm in virtute auxilij Diuini, executio actuum ac propositorum suorum constituitur: & quod summum est, non modo folia & flores affectuum & actuum internorum Deo sacrificantur, verùm & ipsi fructus bonorum operum corde pleno dedicantur.

Nota tertiò, quod asceta incipiens, dum mentali insistit orationi, & varijs vexatur tentamentis, ac pluribus distrahitur irruentibus phantasmatibus, non debet inde turbari, nec huiusmodi studium deserere: quia fideliter laboranti, & orare perseueranter conanti, dabitur tandem cælitus victoria placito tempore cum habitu orationis, ob meritum dignæ præparationis & stabilis exerci-

tationis, iuxta illud *Psal.* 9. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.

PRAXIS II.

Mysteria paßionis Dominicæ ascetice meditandi.

In prima consideratione.

RATIO procedendo quærit. Quis est secundùm dignitatem, qui patitur? SYNTERESIS soluendo respondet ac ait. Est Christus, filius Dei viui vnigenitus, in lege Moysaica multipliciter à Deo promissus, ac præsertim *Deut.* 18. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi: qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam. De cuius etiam aduentu, moribus, officijs, natura, passione ac morte, Prophetæ per Spiritum sanctum edocti, à longè prædixerunt. Vt est *Gen.* 49. Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium. Et *Zachar.* 9. Ecce Rex tuus veniet tibi iustus & Saluator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Et *Isa.* 9. Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super hu-

merum

merum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Item *cap.* 53. Vidimus eum & non erat aspectus, & desiderauimus eum. Despectum & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus eius, vnde nec reputauimus eum. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Et *Dan.* 9. Post hebdomadas (annorum videlicet, non dierum) sexaginta duas, occidetur Christus (*id est. Vnctus in Prophetam, Sacerdotem, ac Regem,*) & non erit populus eius, qui eum negaturus est. Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo: & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio.

CONSCIENTIA his auditis, ex vna parte miratur summopere cæcitaté & malitiam filiorum Israel, quod Messiam suum, *id est*, Christum, sic euidenter in scriptura demonstratum, recusauerint & agnoscere noluerint, iuxta illud, quod illis exprobratur *Deut.* 32. Hæccine reddis popule stulte & insipiens? Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit, &c. Ex altera, monet voluntatem, vt ipsum confiteatur, ac in

suum recipiat Deum ac Dominum Saluatorem: quia vt in eius persona inquit *Isaias* 65. Quæsiérunt me qui ante non interrogabant, inuenerunt qui non quæsiérunt me. Dixi: ecce ego, ecce ego, ad gentem quæ nesciebat me, & quæ non inuocabat nomen meum.

Volvntas concitata stimulis conscientiæ, inprimis adorat Christum, præueniens eum humili oratiuncula, quæ est *Isaiæ* 33. Domine miserere nostri: te enim expectauimus esto brachium nostrum in manè, & salus nostra in tempore tribulationis. *Deinde*, confitetur eum, esse verum filium Dei vnigenitum, dicens cum S. Petro. *Matth.* 6. Tu es Christus filius Dei viui. *Item* cum S. Thoma. *Ioan.* 20. Dominus meus, & Deus meus. *Item* cum omnibus fidelibus. *Credo* te esse Deum meum verum, Creatorem, Saluatorem, Iudicem, ac remuneratorem fidelissimum & æquissimum: qui redditurus es mihi in die nouissimo iuxta opera mea. *Credo* tibi Deo meo, in omnibus quæ docuisti, instituisti, præcepisti, consuluisti; & sanctæ tuæ Ecclesiæ ad credendum, tam scilicet, per Prophetas, Apostolos, & Doctores tradidisti, quàm per Spiritum sanctum reuelâsti, & vsque in finem mundi reuelare non cessas. *Credo* in te Deum meum. *id est*. Inhæreo tibi fide meâ, tanquam principio supernaturali & fini vltimo, in æternum. *Tandem* adhæret illi perpetuâ imitatione, dicens illud *Psal.* 142. Notam fac mihi viam in

qua

qua ambulem, quia ad te leuaui animam meã. Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. *Item*, illud *Matth.* 8. Magister, sequar te quocunque ieris. *id est*. Faciam quodcunque iusseris. modo me gratiâ auxilij tui semper præuenias & subsequaris; ac in finem coram Patre tuo benedicto confiteri non dedigneris, iuxta quod promisisti, dicens, *Matt.* 10 Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. *Insuper*, eadem voluntas conuersa ad Beatissimam Virginem, Matrem Domini sui, ac eam humillimè salutans, deuotèque & humiliter orans, ait. Obsecro Domina mea clementissima, per hanc acerbissimam Christi filij tui passionem, vt per te ac tuam commendationem Dominus meus & Deus meus, me in suum recipiat, qui per te datus est nobis. Quam iterum commendationem, pro sui à Christo receptione perpetua, ab omnibus sanctis humiliter petit: quibus etiam affectuosissimè acclamat. *Viuat Rex noster IESVS. Viuat. Viuat*,

Notandum autem est primò, quod non est necesse, huic meditationi actu insistentibus, multum se applicare ad attendendum operationibus suarum virium, quæ scilicet in præsenti meditatione ascetica exercentur: quia eo ipso magis tepescerent in feruore deuotionis, quàm incalescerent: sed sufficit eis

ſcire, quod omnes eorum vires, huic exerci-tio actualiter applicatæ, modo ac ordine in præſenti tradito inuicem ſibi cooperantur.

Notandum ſecundò, quod triplex habetur ſtatus aſceticè meditantium paſſionem Dominicam. *Alij* enim eorum ſunt quaſi ſerui ac pœnitentes, Chriſtum, vt Dominum, iudicem, ac vindicem ſuorum criminum, ſibi reconciliantes: & huiuſmodi dicuntur oſculari pedes Chriſti, ad quos prouoluti deflent ſua peccata. *Alij* verò ſunt quaſi famuli, diſcipuli ac fideles ſubditi, Chriſtum, vt Doctorem, Magiſtrum, Regem ac Ducem ſuum imitantes: & huiuſmodi ad oſculum manuum Chriſti dicuntur admitti. *Alij* denique ſunt quaſi amici, fratres, ſponſæ ac filij, Chriſtum, vt amicum, fratrem, ſponſum ac Patrem ſuum intimè diligentes: & huiuſmodi ad oſculum oris Chriſti mutuum admitti perhibentur (iuxta illud *Cant.* 6. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi. Item *Cant.* 8. Quis mihi det te fratrem meum, ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat. Item *Cant.* 1. Oſculetur me oſculo oris ſui.) dum ſcilicet ſpeciali aliqua illius vnione perfruuntur.

In ſecunda conſideratione.

RATIO proponit. Quæ indigna Chriſtus patitur: SYNTERESIS diffiniendo reſpôdet. Patitur tam in toto corpore, aut in ali-

qua

qua eius parte nimium dolorem, quam in anima summum mœrorem, prout historia occurrentis mysterij declarat ac manifestat. CONSCIENTIA Christo deuota, stimulat internè voluntatem ad compassionem eliciendam & sufferendam.

VOLVNTAS autem permota, summopere conatur Saluatori suo compati, *affectu* nimirũ & *effectu* compassione. *Affectu* quidem, dum se prouocat huiusmodi actibus. Quis mihi tribuat, vt verè tibi compatiar Domino, Magistro ac benefactori meo, tum affectu sancti Ioannis, qui tempore passionis tuæ, præsens tibi aderat, & summopere condolebat: tum affectu sanctarum Mulierum cruci astantium: tum ipsius Matris tuæ sacratissimæ, ac de tua passione mœstissimæ. Quis mihi tribuat fontem lachrymarum, ad sanctam passionem tuã deplorandam. Quis auferat cordis mei duritiem, vt totus compunctus in lachrymas resoluar præ tui condolentia. *Effectu* quoque compassione voluntas Christo compati vult, dum in vnione illius passionum ac dolorum, resignat se ad quascunque huius mundi aduersitates & iniurias æquo animo sufferendas: imo etiam dum omnes asceticas mortificationes, tam videlicet internas quàm externas; nec non cunctas correptiones religiosas, incommoditatesque ac labores claustrales, ob eandem rationem libenter sustinere proponit, pacta illa eliciens. *Omnia volo, nihil volo,*

in toto

in toto corde meo in aeternum. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Quantum autem vtilitatis adferat nobis nostra huiusmodi compassio, declarat S. Paulus 1. *Tim.* 2. Si compatimur, & conregnabimus. Item 2. *Corinth.* 5. Si fuerimus socij passionum, erimus & consolationum.

In tertia consideratione.

RATIO propositionem adfert. A quo Christus patitur, vel, à quibus? SYNTERESIS profert diffinitionem, dicens.

Primò, patitur à Deo, à Satana, & à peccatoribus: à Deo quidem ex charitate, à Satana ex odio, à peccatoribus ex contemptu, imputatiuo saltim, si non formali. *A Deo Patre*, dicitur pati, vt habetur *Rom.* 8. Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Et *Apoc.* 13. Agnus, qui occisus est ab origine mundi. non realiter puta occisus, sed intentionaliter: secundùm quod id ipsum Pater aeternus in mente sua destinauit, & humano generi promisit. *A Satana* patitur Christus: quoniam is est, qui hostili odio insequitur semen mulieris. Instrumenta autem Satanae, quibus hoc opus passionis Christi perficitur, puta esse Iudam, Sacerdotes, Annam, Caipham, Pilatum, & promiscuam plebem tolli eum cupientem.

pientem. Vnde est illud *Hebr.* 2. In eo enim, in quo passus est ipse & tentatus (*à Satana & membris eius*) potens est eis qui tentantur auxiliari. *Patitur tandem à peccatoribus*, qui aliquando fuerunt, sunt, & erunt, iuxta illud *D. Bonau.* Vulnera Christi quotidie innouantur, cum peccati mortalis vulnere sauciantur. Et *S. Bernardi* in persona Christi aientis. Nonnè satis propter te vulneratus sum? nonnè satis pro iniquitate tua afflictus sum? cur addis afflictionem afflicto? Magis aggrauant me vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis mei.

CONSCIENTIA his auditis, vtpotè conscia sibi peccatorũ, quibus vulnera Christi multoties innouauit, nimis intra se confunditur: quod dum peccare vellet ob ipsum naturalem timorem ac pudorem, quærebat loca secreta seu abscondita, ne peccans cerneretur ab hominibus; alias custodem Angelum ac ipsum Deum inspectorem & vltorem suæ iniquitatis minimè timens ac erubescens: quo ipso stimulat voluntatem ac in odium contra peccatum eam concitat.

VOLVNTAS concepto affectu odij contra peccata, in varios prorumpit actus: quibus maledicit peccatis, Christum deprecatur, peccata detestatur, abominatur, & fugit; ac legi æternæ pleno corde adhæret. *Primò* igitur maledicit peccatis, dicens in intimo sui. Maledicta peccata mea, quibus Domine IESV

vulne-

vulnera tua sæpissimè infelicissimus homuncio innouaui. Maledicta mea superbia, propter quam tot passus es ignominias. Maledicta mea auaritia, propter quam omni decore spoliatus es. Maledicta mea luxuria, propter quam tot acerbis & crudelibus supplicijs ac doloribus affectus es. Maledicta mea ira, propter quam inenarrabiles sustinuisti iniurias. Maledicta mea gula, propter quam felle & aceto potatus es. Maledicta mea inuidia, propter quam nimis tristari, ac totum sanguinem tuum effundere voluisti. Maledicta mea accedia, propter quam ad tantas pœnas festinare dignatus es. ℟. Maledicta, Maledicta.

Secundò, Christum deprecatur dicens illud *Psal.* 24. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas, ne memineris Domine. Et illud *Psal.* 50. Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam, &c. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Et illud *Ps.* 142. Non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Tertiò, peccata detestatur, abominatur, & fugit, hoc modo. Domine Deus ac Saluator mi amantissime, detestor peccata mea, quibus multoties sacrosancta vulnera tua innouata sunt; propter te & supra omnia detestabilia. Domine Deus ac Saluator mi amantissime, displicent mihi peccata mea propter te & supra

pra

pra omnia abominabilia. Domine Deus ac Saluator mi amantissime, fugio peccata mea, quibus miserculus multipliciter offendi maiestatem tuam; propter te & supra omnia fugibilia. Est autem horum actuum talis explicatio. *Propter te. id est*, non propter timorem pœnarum æternæ damnationis, quas promerui hisce peccatis meis; nec propter priuationem gloriæ cælestis, quâ priuatione inuenio me dignum: sed purè propter te ac tui offensam, qui es summo amore & honore colendus. *Detestor, abominor, & fugio peccata mea.* tam scilicet in præterito à me perpetrata, quàm possibilia in futuro. *Supra omnia detestabilia.* Vt sunt damna seu priuationes bonorum temporalium, infamiæ, infirmitates corporales, obsessiones dæmoniacæ, mortis ignominiosæ varia genera, & pœnæ infernales. *Supra omnia abominabilia.* Vt sunt, sensibus exterioribus ingrata: horribilium scilicet visiones; verborum improperij, conuitij, & contumeliæ auditiones; cibi ac potus venenati & amari gustationes; fætorum odorationes; flagellationum, adustionum, & quorumcunque tormentorum perpessiones. *Supra omnia fugibilia.* Vt sunt, pestis, fames, bellum, incendium, diluuium, & quæuis mala bestia.

Quartò, legi æternæ adhæret in æternum, adeò vt potius vellet mortem subire quamuis crudelissimam, & omnia æternæ damnationis suppli-

supplicia pati, quam in aliquo eam offendere. Vnde clamat in intimo sui, dicens cum Dauid illud *Psal.* 118. Custodiam legem tuam semper, in sæculum & in sæculum sæculi. Et cum *S. Casimiro*. Malo mori quàm fœdari Et cum *S. Ludouico Rege Galliæ*. Meliùs est mori, quàm peccare Et cum *S. Anselmo*. Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & necessario vni eorum haberem immergi: priùs me in infernum immergerem, quàm peccatum in me committerem: mallem enim purus à peccato, & innocens gehennam intrare, quàm sorde pollutus, cælorum regna tenere.

Respondet SYNTERESIS secundò inquiés. Patitur Christus à suis discipulis, qui nimirum post veram supererogationis conuersionem, ob neglectum mentalis orationis exercitium, tepescunt in deuotione & compunctione sui spiritus: & consequenter minimè proficiunt in vitiorum suorum mortificatione ac studio virtutum. Vnde mox de illis verificari oportet illud *D. Bernardi* effatum. Video (*inquit*) quod magis doleo, post spretam sæculi pompam, nonnullos in schola humilitatis, superbiam magis addiscere, ac sub alis mitis humilisque magistri, grauius insolescere, & impatientes fieri in claustro ampliùs, quàm fuissent in sæculo: quodq; magis peruersũ est, pleriq; in domo Dei non patiuntur se haberi contemptui, qui in sua domo non

mo non niſi contemptibiles eſſe potuerunt. Ac ideo conqueritur Chriſtus *Zacharia* 13. reſpondens. Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? His plagatus ſum in domo eorum (*Abraham ſcilicet, Iſaac, & Iacob*) qui diligebant me. Sed ſecundùm ſenſum myſticum. His plagatus ſum in domo ſpiritualiũ, meorum ſcilicet diſcipulorum, qui neglectis ſtudijs aſceticis, iam non meam doctrinam ac inſtitutionem ſectantur, ſed carnis ac mundi deſideria: quorum patres alias diligebant me veraciter, & in ſimplicitate cordis ſincerè imitabantur.

Conscientia his auditis, aſſumit improperia, quibus pungat ſuam animã; ac voluntatem eius ad veram vitiorum mortificationem, ad perfectum virtutum ſtudium, & ad ſinceram Chriſti imitationem permoueat, dicens. Profectò tu anima mea ex illorum collegio es, quibus à Chriſto dicitur propter eorum negligentiam in ſtudio mentalis orationis ac profectu ſpiritualium exercitiorũ, *Apoc.* 3. Quia tepidus es, nec frigidus, nec calidus: incipiam te euomere de ore meo. *Item.* Verè tu es anima mea ſepulchrum illud dealbatum, de quo *Matth.* 23. habetur. Nam exteriùs habitu religioſo nites, interiùs autem vermibus peccatorum ſcates: & fætorem immortificationis tuarum paſſionum exhalando, fideles ad nauſeandum ſeu faſtidiendum ſpiritualia ac diuina prouocas. *Item.*

Verè

Verè tu anima mea sub ouina pelle occultas insignia lupi: nam exteriùs, religiosâ compositione, virtuosam te esse fingens; interiùs cum lupinis dentibus, auribus, vnguibus, visceribus, & cauda, vtpote detractionum, murmurationum, ambitionum, odiorum, inuidiarum, gulositatum, & peruersarum intentionum, perpetuo deambulas. *Item.* Profectò anima mea tu es illa Syncletica (Syncletus enim quidam, dum factus esset monachus, & famulo certaque suppellectili pro sui vteretur commoditate à *D. Ambrosio* sic correptus est. *Syncleti, Senatorem perdidisti, & Monachum non fecisti.*) quæ mundo abrenunciâsti per ingressum religionis & sacram Deo factam professionem; tua verò, ac teipsam minimè abnegâsti, quod ipsum solum, hominem reddit spiritualem ac religiosum.

VOLVNTAS huiusmodi permota stimulis, firmum iam concipit propositũ, proficiendi nimirum iugiter ac diligenter in via spirituali; insistendi perpetuo vitiorum ac passionum mortificationi; in cella sacræ lectioni, meditationi & orationi continuo vacandi; quasuis vanas deambulationes, familiaritates, confabulationes & multiloquutiones cauendi; Ac inde in varios prorumpit *actus*, dicens. Viam iniquitatis amoue à me: & de lege tua miserere mei. Viam veritatis elegi, iudicia tua non sum oblitus. Adhæsi testimonijs tuis Domine; noli me confundere. Vias

tuas

tuas demonſtra mihi Domine : & ſemitas tuas edoce me. Viuat diſciplina regularis. Viuat aſcetica mortificatio. Viuat ſtudium virtutum. Viuat imitatio Chriſti. Viuat abnegatio religioſa. Viuat. Viuat. Pereat cupiditas mundanorum. Pereat ſpes vanorum. Pereat amor ſui. Pereat propria voluntas. Pereat proprium iudicium. Pereat fucata ac vmbratica virtus. Pereat. Pereat.

Reſpondet tertiò SYNTERESIS. Patitur Chriſtus à ſuis fratribus ac amicis, dum ab eis in aduerſitate deſeritur. Sunt autem amici ac fratres Chriſti duplices (de quibus *Ioan.* 15. Iam non dicam vos ſeruos : quia ſeruus neſcit quid faciat dominus eius ; vos autem dixi amicos : quia omnia quæcunque à Patre meo audiui, nota feci vobis. Et *Marc.* 3. Qui fecerit voluntatem Dei : hic frater meus, & ſoror mea & mater eſt.) alij ſcilicet, à quibus Chriſtus affligitur ; alij, à quibus conſolatur. Amici à quibus Chriſtus Dominus patitur afflictionem ſunt in triplici differentia.

Primos eſſe puta, qui quidem internæ mortificationi ac ſtudio virtutum inſiſtunt, zelosè obſeruantiam regularem defendunt, & cultum honoris gloriæque Dei fideliter promouent; ſed tantum quouſque ab hominibus laudantur, promouentur & honorantur : nam pro veritate ac iuſtitia, non habent paratum ac reſignatum animum, quæuis aduerſa ac mala perſecutionum & iniuriarum e-

xemplo

xemplo Christi: æquanimiter sufferendi; ac si illud nescirent, quod prædictum est à *S. Paulo* 1. *Tim.* 3. Omnes qui piè viuere volunt in Christo IESV, persecutionem patientur. Huiusmodi autem fratres ac amici Christi, similes sunt Nicodemo, qui ad Iesum non est ausus venire, nisi nocte: & illis omnibus, qui de Iesu non audebant loqui palam, propter metum Iudæorum. Vnde Christus de ipsis dolens conqueritur, dum ait ad Patrem suum *Psal.* 87. Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me: longè fecisti notos meos à me, posuerunt me abominationem sibi. *id est*, noti ac amici mei, ex tua permissione, abominantur: & fugiunt meam crucem quarumuis persecutionum & aduersitatum, quo ipso mihi afflicto addunt afflictionem. Hoc autem considerans *D. Bern.* Sic ait. Mira res, nihil formidolosius homini quam crucē pati: sed quare timent homines crucem? quia latrones sunt; si latrones non essent, crucem non timerent.

Alteri sunt fratres ac amici Christi, qui quidem pro veritate ac iustitia exponunt se aduersitatibus huius mundi, ac omnia probra æquanimiter propter Christi imitationem sustinere parati sunt: sed his venientibus, quodam timore humano ac mundano male humiliati, in suo zelo tepescunt & in propositis deficiunt, Christum aduersa patientem, cum

eius

eius Apoſtolis adhuc imperfectis deſerentes, de quibus ille conqueritur dicens *Pſal.* 30. Super omnes inimicos meos, factus ſum opprobrium vicinis meis valde, & timor notis meis. Qui videbant me foras fugerunt à me: obliuioni datus ſum, tanquam mortuus à corde. Vnde *S. Bern.* Neminem audiamus fratres, non carnem & ſanguinem, non ſpiritum quemlibet, deſcenſum à cruce ſuadentem: perſiſtamus in cruce, moriamur in cruce, deponamur aliorum manibus, non noſtra leuitate.

Tertij ſunt, qui aduerſa æquanimiter ferunt propter Chriſti imitationem & amicitiam: ſed quia, tum iniurias ſibi illatas nimis conſiderant, ac inde ſibiipſis blandè, ne dicam iniquè, compatiuntur; tum aduerſariorum ſuorum defectus ſcrutantur, eorumque intentiones ſiniſtrè interpretantur, ac inde facilè illos deſpiciunt,& libenter de illis murmurant: ideò in charitate inimicorum ſuorum ſatis tepeſcunt, quo ipſo Chriſtum Dominum nimis affligunt, qui inimicos diligere præcepit, & pro ipſis orare iuſſit, quod etiam ipſum exemplo ſuo perfecit ac demonſtrauit. Vnde de huiuſmodi amicis conqueritur dicens *Pſal.* 141. Conſiderabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognoſceret me. *quaſi velit dicere:* dum paterer, videbam à ſiniſtris meis multos ſtare inimicos,me in tormentis irridentes, ac multipliciter vexantes:

à dextris verò neminem videbam de meis amicis, qui me consolaretur, mecum videlicet aduersa & persecutiones pro veritate ac iustitia æquanimiter sufferendo,& pro suis inimicis orando, ac illos excusando.

Amici, à quibus Christus consolatur in suis afflictionibus, ij sunt, qui dum prompto ac resoluto animo aduersa patiuntur propter Christi imitationem, vel ipsa suamet considerant peccata, quibus non tam leuis ac cito transiens pœna aduersitatis debebatur, sed ipsum æternæ damnationis supplicium: nam teste *D. Gregorio.* Tunc illata conuitia benè toleramus, cùm in secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus: leue quippe videbitur, quod aliena iniuria percutimur, dum in actione conspicimus, quia peius est supplicium quod meremur. *Vel* ipsam Dei voluntatem respiciunt: sicut etiam Dauid non ad Semei maledicentem sibi, sed ad voluntatem Dei hæc in se permittentem respiciebat, vt est 2. *Reg.* 16. Dimitte eum vt maledicat: Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid. Similiter & ipse Christus fecit, cùm diceret Pilato *Ioan.* 19. Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper. *Vel* respiciunt in remunerationem æternam, quæ promittitur æquo animo iniurias ferentibus: sic fecit Moyses, vti de ipso legitur *Hebr.* 11. Fide Moyses grandis factus, negauit se esse filium Pharaonis, magis eligens

affligi

affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem: maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem. *Vel tandem*, ipsa Christi vulnera intuentur: nam secundùm *D. Bern.* Inde tolerantia Martyri prouenit, quod in Christi vulneribus totâ deuotione versetur, & iugi meditatione commoretur: in illis stat Martyr tripudians & triumphans, toto licet lacerato corpore, & rimante latera ferro: vbi ergo tunc anima Martyris? nempe in vulneribus IESV, & vulneribus nimirum patentibus ad intuendum: Si in suis esset vulneribus, scrutans ea, ferrum profectò sentiret, dolorem non ferret, succumberet, & negaret.

CONSCIENTIA his edocta, secretò monet voluntatem, vt ob Christi amicitiam conseruandam, omnes aduersitates, modo scilicet præscripto, pro eius veritate ac iustitia constanter sustineat.

VOLVNTAS idipsum seriò proponit, ac inde in actus pactorum resoluitur, dicens. Amo tuam iustitiam. Amo tuam potentiam. Amo tuam sapientiam. Amo tuam bonitatem. Amo tuam misericordiam.

In quarta consideratione.

RATIO quærit. Pro quo vel propter quid Christus patitur? SYNTERESIS (quã puta esse, habitũ in practico intellectu cogniti-

onis ſpiritualiũ veritatũ,per ſacras lectiones, ac intellectuales meditationes, acquiſitũ) reſpondet inquiens. Patitur pro peccatoribus vel propter peccatores, iuxta illud *Rom.* 5. Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis,quoniã cùm adhuc peccatores eſſemus ſecundùm tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt. *Tum* videlicet, vt illis, verè pœnitentibus, veniam, gratiam, & gloriam, apud Patrem ſuum æternum promereretur. *Veniam* quidem, pro illorum peccatis ſatisfaciendo ſeu potius ſatispatiendo, iuxta illud *Gen.* 6. Pœnitet me feciſſe hominem in terra. quæ verba *D. Bern.* ſic intelligit ac legit, dicens in perſona Chriſti. Pœnitentiam me agere oportet pro homine, quem creaui. Et *Iſa.* 53. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. *Et inferiùs.* Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, & attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. *Gratiam* verò promeruit illis, reconciliando illos Patri ſuo æterno, iuxta illud *Rom.* 5. Cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo, per mortem filij eius. Et *Rom.* 7. Gratia Dei,per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Gloriam* tandem, recipiendo illos in ſuos fratres, & cohæredes regni cæleſtis: & conſequenter filios Patris ſui eos faciendo, iuxta illud *Ioan.* 10. Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant. Et

Hebr.

Hebr. 2. Videmus Iesum propter passionem mortis, gloriâ & honore coronatum, vt gratiâ Dei, pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum, per passionem consummari. Qui enim sanctificat, & qui sanctificatur, ex vno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare.

Tum vt palam fieret, in quanto apud Deum habeatur peccatum odio: siquidem nulla alia ratione placari ac propitius esse voluerit, nisi intercedente tantâ passione ac morte filij sui vnigeniti. Et consequenter, in quanta apud nos peccatum haberi debeatur abominatione: siquidem ad sui sanationem indigeret tam magno pretio, tam grandi piaculo, tam difficili medicamento.

Tum, vt omnibus facilè inde esset conijcere mortalibus, quantos videlicet cruciatus peccatores in inferno pati oportuerat: siquidem ipse filius Dei tantos dolores pro illis soluendo, experiri debuerat. Et consequenter, quanta reprobandi ob sua crimina sustinebunt tormenta: cùm dicat ipse Dei electus ac intimus tanta patiens probra *Luc.* 23. Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. *Et infra.* Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

Tum vt per hoc ipſum manifeſtaretur : Quod ſicut Chriſtus non vicit diabolum vniuerſaliter, nec ſpolia eius rapuit, niſi per humilitatem crucis ac paſſionis, ſecundùm quod ait *Ioan.* 12. Nunc iudicium eſt mundi, (*id eſt*, nunc quando mundus iudicat me per diabolum concitatus, morte turpiſſimâ dignum) nunc princeps huius mundi eijcietur foras (*id eſt*, diabolus, qui ſibi principatum ſuperbè ac tyrannicè vſurpat, meâ humilitate debellabitur.) Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia (diaboli videlicet ſpolia, vt ſunt animæ electorum ab eo poſſeſſæ) traham ad me ipſum. Ita nullus Chriſti ſectator, eundem diabolum poterit ſuperare particulariter, niſi per imitationem Chriſti humilitatis.

Tum vt declararetur, quod ſicut Chriſtus in hunc mundum veniens, non elegit per ſuā ſapientiam, niſi contemptum ſui, paupertatem voluntariam, & quæuis aduerſa ſummaſque afflictiones, tanquam proximas occaſiones bonorum ſpiritualium : non ſpreuit autem ac reprobauit, niſi gloriam huius mundi tanquam ſpiritualibus bonis inimicam, iuxta illud, quod de ipſo dicitur *Iſa.* 7. Butyrum & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Ita omnes Chriſti ſectatores, quouſque in hoc mundo verſantur, exemplo ſui Domini ac Magiſtri cæleſtis, quæuis aduerſa ſemper eligere debent, tanquam inſtrumenta virtutum ac æternæ proſperitatis rationes :

tiones: prospera verò huius mundi, semper fugere ac reprobare tenentur, tanquam causas vitiorum & occasiones æternæ aduersitatis ac damnationis.

Tum denique, vt appareret, quod sicut oportuit Christum tot ac tanta opprobria pati, & ita intrare in gloriam suam. Ita etiam sectatores ac amicos eius, per multas aduersitates necesse est venire ad gloriam sui Domini, iuxta illud *Actor.* 4. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Et 1. *Petr.* 2. In hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.

Tum insuper patitur Christus, vt nimirum suâ infirmitate, firmos faceret suos amicos in sufferendis aduersitatibus, odijs, & persecutionibus, quas prædixit eis, dicens *Matth.* 10. Si patremfamilias Beelsebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius. Item *Luc.* 21. Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis: & morte afficient ex vobis. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Item *Ioan.* 16. Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit: si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Vnde *S. Paulus* eos commonere voluit, dicens *Hebr.* 12. Recogitate eum, qui talem aduersum semet-

ipſum à peccatoribus ſuſtinuit contradictionem: vt non fatigemini animis veſtris deficientes.

CONSCIENTIA omnibus his recognitis: ex vna parte ſatis admiratur Dei ſui clementiam & miſericordiam, quod pro peccatoribus ſuis adhuc inimicis, filium ſuum vnigenitum tradere voluerit, ac tam indigna pati decreuerit, dicens illud *Iob.* 7. Quid eſt homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor (*id eſt, Filium*) tuum. Ex altera parte, interno pulſu ſtimulat voluntatem, vt hinc in actus gratiarum actionis, petitionis, proteſtationis, ſpei, & ſimiles alios reſoluatur.

VOLVNTAS prouocata ac inflammata, tum grates Deo ac Saluatori ſuo refert, dicens illud in ſui intimo *Apoc.* 5. Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. *Iterum cap.* 7. Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum, *Amen.* Quia nimirum, deſcendit de cælis in terras, vt homo aſcenderet de terris ad cælos: factus eſt filius hominis, vt homo fieret filius Dei: immortalis factus eſt mortalis, vt mortales fierent immortales: diues innocens factus eſt pauper, vt pauperes fierent diuites: accepit noſtrum malum pœnæ, vt nobis daret ſuum bonum gratiæ: accepit noſtram miſeriam, vt no-

vt nobis daret suam gloriam: obscurari voluit Sol iustitiæ, vt nos illuminaremur: Dominus occiditur, vt seruus ingratus sanguine eius viuificetur.

Tum orat Christum humillimè ac obnixè, dicens. Rogo Domine Saluator mi amantissime, vt sacratissima passio tua fiat mihi ad salutem non solùm sufficiens, vti facta est omnibus hominibus, iustis nimirum & impijs; verum etiam efficax, ad culpam omnem delendam, ad pœnam dimittendam, ad gratiam obtinendam, & ad gloriam consequendam, vti facta est solis tuis fidelibus, iustis ac electis, *Amen.*

Tum coram Christo Deo suo protestatur dicens *Psal.* 16. Propter verba labiorum tuorum (*& exempla paßionis tuæ*) ego custodiam vias duras. *Habac.* 3. Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis, & ascendam ad populum accinctum nostrum.

Tum in actus spei prorumpit, aiens. Domine Deus, spero in te, expectans à te veniam. Domine Deus, spero in te, expectans à te gratiam. Domine Deus, spero in te, expectans à te gloriam. *Nota*, quod efficaciter non possumus veniam sperare, nisi alias propter misericordiam Dei, ac Christi Domini satisfactionem infinitam; & propter plenam nostrorum peccatorum detestationem, neq; gratiam, nisi propter meritorum Christi ple-

nitudinem; & propter nostræ voluntatis perpetuam legi diuinæ adhæsionem: neque gloriam, nisi propter infallibilem diuinam promissionem; & propter voluntariam ad imitationem Christi aduersitatum tolerantiam. *Tum denique* ad pacta recurrit, inquiens. Domine Deus, tibi gratias ago. Domine Deus te laudo. Domine Deus tibi offero. Domine Deus à te peto. Domine Deus, propter te, & supra omnia.

In quarta consideratione.

RATIO quærit. Quomodo Christus patitur? SYNTERESIS respondet, inquiens. Patitur charitatiuè, obedienter, patienter, & humiliter. Non enim inter spinas, ita flores, quam inter dolores Christi elucent virtutes. *Ac in primis* stupenda charitas: quia quicquid Domino illusionis & contumeliæ, quicquid vexationis & pœnæ intulit furor impiorum, non ex necessitate coactionis ab eo toleratum est, sed ex voluntate pro nostra salute susceptum. Vnde ipse ait *Ioan.* 10. Ego sum Pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ: sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem: & animam meam pono pro ouibus meis. *Et inferius.* Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso. *Item cap.* 15. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet,

habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.

Postea, perfecta obedientia: ex qua non solum operatus est, quicquid operatus est; sed etiam passus est, quicquid passus est: passus autem est iustus, iniustas pœnas, ex iniustis causis, sub iniustis iudicibus, ab iniustis, & cum iniustis hominibus, secundum iustam voluntatem Patris. Vnde est illud in persona Christi *Psal.* 39. Holocaustum & pro peccato non postulâsti: tunc dixi. Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus voluit. Item *Philip* 2. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.

Deinde elucet admirabilis patientia: quia Christus in omnibus pressuris suis, nec os suum semel aperuit, vt aut querelæ, aut excusationis, aut comminationis, aut maledictionis verbum, aduersus maledictos illos canes proferret: nisi vt verbum benedictionis, quale non est auditum à sæculo, supra inimicos suos effunderet, iuxta illud *Isa.* 53. Sicut ouis ad occisionem ducetur: & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Et 1. *Petr.* 2. Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius: qui cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniustè.

Tandem elucet profundissima humilitas in Christi passione: quia tanquam vilis ac peccator abiectus, tam indigna pati voluit, cùm alias esset excelsus, iustus, & gloriosus. Duo autem fundamenta huius humilitatis in Christo fuêre. *Alterum* fuit cognitio sui: cognouit enim Christus, quâ homo, possibile sibi fuisse multa actualia peccata perpetrare; si nimirum in peccato originali, sicut cæteri homines conceptus ac natus fuisset: quo supposito reputauit se, vt vilem, miserum, inutilem, stultum, ac peccatorem: & consequenter, omnium hominum contemptu & opprobrio dignum. Vnde in eius persona dicitur *Psal.* 21. Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. *Alterum* fuit cognitio beneficiorum Dei sibi collatorum: nam sicut arbor nobilis, multis repleta fructibus, versus terram nimis inclinatur: ita Christus plenitudinem omnium gratiarum cælestium absque vllis antecedentibus suis meritis accipiens, solo se æquat, indignum se reputans tantis charismatibus, ac totum quod est & habet, in Deum suum, horum datorem, in eiusque gloriam referens.

Hinc iam patet Christum pati charitatiuè, obedienter, patienter & humiliter. Vnde *S. Bern. serm.* 1. *die Pascha.* Christus in passione patientiam exhibet, humilitatem commendat, obedientiam implet, charitatem perficit. His virtutum gemmis quatuor cornua

nuà crucis ornantur : & eſt ſupereminentior charitas, à dextris obedientia, à ſiniſtris patientia, in profundo radix virtutum humilitas. Item *D. Bonau. lib.* 4. *c.* 16. *Comp. Theol. Verit.* Quatuor brachia crucis ſignificant quatuor virtutes, quibus extendi debet homo noſter interior : ſignat enim pars ſuperior charitatem : inferior humilitatem : à dextris obedientiam : à ſiniſtris patientiam.

CONSCIENTIA recognoſcens Chriſti virtutes, ex vna parte, non poteſt ſatis admirari earum nobilitatem : cùm ſint tam pretioſæ, vt Chriſtus maluerit vitam potius perdere corporalem, quam exercitium deſerere illarum : cùm ſint tam ſpecioſæ, vt quo magis in Chriſto opprimerentur aduerſis, eo magis perficerentur ac probatæ elucerent : cùm ſint tam fructuoſæ, vt quolibet actu earum, infernus ſpoliaretur, cælum aperiretur, & ruinæ eius reſtaurarentur.

Ex altera parte, arguit animam ſuam ob defectum ac neglectionem ſtudij virtutum : cùm alias paſſus eſt pro nobis Chriſtus, nobis relinquens exemplum, vt ſequamur veſtigia eius : & diſcamus ab eo, quia mitis eſt & humilis corde, & conſequenter, charitatiuus ac obediens.

Ac inprimis. O anima mea, video quod dum huic ſæculo nequam ſeruires, ſuauè ac leuè tibi videbatur, portare iugum amarum & graue mundanæ obedientiæ & patientiæ,

cupiditatis & subiectionis. Hic autem cum Deo seruire cæpisti, nimis tibi aggrauas & fastidis Christi obedientiæ & patientiæ, charitatis & humilitatis iugum; quod alias est dulce, propter vitæ æternæ promissionem; & leue, propter efficax auxilium Christi, iuxta illud eius oraculum *Matth.* 11. Tollite iugum meum super vos: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.

Item. Quid est ô anima, quod magis tibi displiceant fratrum tuorum defectus, quam tui proprij: cùm alias non alieni, sed tui tibi noceant; nec de alienis, sed de tuis ratio tibi coram Deo reddenda sit? Et quid est, quod omnes fratres tuos velis habere virtuosos, *id est*, charitatiuos, obedientes, patientes, & humiles: tu vero ipsa in tuis defectibus tibi complaces, & te defendis, minime curans profectum in virtutibus Christi? Vel enim has virtutes habere bonum est, vel malum? Si malum, cur vis eas proximis tuis, ac eas in alijs probas, & laudas? Si bonum, cur non prius vis tibi illas, quam alijs; cùm ordinata charitas à seipso procedat?

Item. Animaduerto ô anima mea, quod tu solis nonnisi necessitatis virtutibus contenta esse velis in tuo asceterio, putans satis esse tibi fugere peccata mortalia, præcepta Dei seruare, & ipsa regulæ tuæ essentialia custodire; superfluum verò existimans, curare profectum in virtutibus supererogationis.

Sed

Sed multum falleris: nam vt dicit *S. Leo.* Qui non proficit, deficit: & qui non acquirit, non nihil perdit. Et *S. Bern.* Minime pro certo est bonus, qui melior esse non vult: & vbi incipis nolle fieri melior, ibi desinis esse bonus. *Idem.* Aut ascendas necesse est, aut descendas: si attentas stare, ruas necesse est. *hæc ille.* Ruunt autem religiosi eo ipso in peccatum, quod in vita spirituali proficere non curant: *Vel nimirum,* quia charitatem non habere conuincuntur, nam teste *D. Gregorio.* Nunquam est amor Dei otiosus: operatur enim magna si est; si verò renuit, amor non est. *Vel* quia vocationi ac professioni suæ non satisfaciunt, secundum quam tendere tenentur per mortificationem vitiorum & studium virtutum, ad perfectionem supererogationis. *Vel* quia ob defectum internæ mortificationis, facili negotio hinc inde passionibus agitantur indomitis; ita vt conturbati non raro proximum lædant, & Deum offendant: sicq; sæpè in peccata mortalia prolabendo, sensim in pessimos homines euadunt, iuxta illud quod ait *D. Aug.* Ex quo Deo seruire cæpi, quomodo difficile sum expertus meliores, quam qui in monasterijs profecerunt: ita non sum expertus peiores, quam qui in monasterijs defecerunt. *hæc ille.* Ratio huius rei talis esse potest: quia nimirum, sicut in corporalibus, corruptio optimi (*Vt ait Philosophus.*) pessima est: ita in spiritualibus, corruptio seu deprauа-

prauatio optimi vocatione, non potest esse nisi grauissima. *Tum* quia, vbi alij fratres, qui continuè in via spirituali proficere student, occasionem accipiunt ad suarum mortificationem passionum, & ad implendam obedientiam, patientiam, humilitatem, & inimicorum dilectionem: ibi negligentes studium vitæ spiritualis, aliam inueniunt occasionem ad vitia in se promouenda, & actus illorum exercendos. Nam illi quidem, cùm excitantur ad exercendam obedientiam, patientiam, humilitatem, ac inimicorum dilectionem, multis videlicet superiorum insperatis præceptionibus, humiliationibus & correptionibus, aliorumque vexationibus: hi tunc iudicant ac dicunt se istis ad inobedientiam, impatientiam, turbationem & odium prouocari.

VOLVNTAS his concitata stimulis, ac timens ne peior fiat in religione quam esset in sæculo, feruidum concipit desiderium imitationis Christi, per plenam mortificationem passionum, & sincerum exercitium virtutum, ac præsertim obedientiæ, patientiæ, humilitatis, & inimicorum dilectionis. Vnde affectuosissimè clamat post Christum illis verbis *Cant.* 1. Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. O IESV vni me tecum inseparabiliter. O IESV transforma me totum in te. Quis mihi tribuat, vt diligam te amore incomparabili, incontaminabili,

bili, insatigabili, inseparabili, insuperabili, insatiabili.

In sexta consideratione.

RATIO inquirit. Quam ob causam ipse Christus filius Dei tam indigna pro nobis patitur; cum alias modo faciliori alio potuisset nos reparare? SYNTERESIS respondet dicens. Verum quidem est, quod nos Deus aliquo faciliori modo saluare potuisset, sed hic ei placuit modus, vt scilicet reparatio nostra ordinatè fieret. *Tum*, saluâ Deo satisfactione debitâ. Reparari enim homo congruè non poterat, nisi per satisfactorem sufficientissimum, qui videlicet esset, & homo & æqualis Deo: alias, si non esset homo de genere Adæ, & non esset æqualis Deo, satisfacere pro homine non posset. Ille namq; congruè satisfacit, qui debet & potest: sed non debet nisi homo, & non potest nisi æqualis Deo. Vnde tanta debuit esse humilitas & obedientia in reparatore, quanta fuit superbia & inobedientia in præuaricatore: quia tanta fuit superbia, vt homo vellet esse vt Deus: ac ideo humilitas tanta debuit esse, vt Deus fieret homo: & quia tanta fuit inobedientia, vt homo vellet esse suæ voluntatis: ideo etiam obedientia tanta debuit esse, vt Christus mortem subiens iuxta voluntatem Patris, triduo fieret non homo.

Tum, saluo honore Dei. Recreari enim genus hu-

nus humanum congruè non poterat, nisi per suum Creatorem : quia si per aliquam meram creaturam recreatum esset, tunc honor Deo Creatori debitus subtraheretur. Nam sicut maius est beneficium recreationis, quàm creationis : ita etiam maior gratitudo & honor deberetur creaturæ, seu Creato reparatori, quàm Deo Creatori ac conditori.

Tum, saluâ viâ ordinariâ. Voluit enim nos Saluator noster modo ordinario reparare, per misericordiam scilicet suæ diuinitatis & per humilitatem suæ humanitatis, non verò per potentiam suæ maiestatis : conueniens enim est, vt contraria contrarijs curentur. Quia ergo homo volens esse sapiens vt Deus, erectus est in superbiam ; & volens in fructu ligni vetiti delectari, inclinatus est ad libidinem : ac per hoc totum genus humanum infectum est, & perdidit immortalitatem, incurritque debitam mortem. Idcirco, vt homo repararetur viâ ordinariâ, & conuenienti remedio, Deus factus homo, voluit humiliari & in ligno pati, passione nimirum ignominiosissimâ contra præsumptionem, passione acerbissimâ contra libidinem, passione generalissimâ (vtpore secundum omnia membra corporis principalia, & secundum omnem animæ potentiam, quamuis non secundum naturam diuinam) contra infectionem vniuersalem : contra mortem debitam & inuitam ; pati voluit mortem indebitam, sed voluntariam.

Tum

Tum, saluo iure nostri liberi arbitrij. Cùm autem reparatio nostri ordinata & congrua, omnino requirat reparabilis libertatem arbitrij: idcirco conueniens est, vt Reparator reparando nos, non nisi proponat ante oculos mentis nostræ exemplum efficacissimum virtutum suarum, ac signum sui erga nos amoris, quo ipso inuitet nos & informet ad imitationem sui ac reamationem. Nihil enim magis informat hominem ad virtutem sectandam, quam exemplum Christi tolerandi mortem, propter iustitiam & obedientiam diuinam, mortem inquam, non quamcunque, sed pœnalissimam. Nihil etiam magis incitat hominem ad amorem Dei, quam tanta charitas & benignitas, quâ pro nobis altissimus Dei filius absq; nostris meritis, imo cum multis nostris demeritis, posuit animam suam: quæ quidem charitas & benignitas tanto maior ostenditur, quanto pro nobis grauiora & abiectiora pati voluit Deus. Vnde est illud *Rom.* 8. Qui enim proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? *Item* 1. *Ioan.* 4. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum. *Et infra.* Nos ergo diligamus Deum: quoniam Deus prior dilexit nos. Hinc etiam *S. Aug.* Maxime propterea Christus aduenit, vt cognoscat homo, quantum Deus diligat eum:

& ideo

& ideo cognoſceret, vt eius dilectionē, à quo prior dilectus eſt, inardeſceret. *Idem*. Si amare pigebat, ſaltim redamare non pigeat: nulla enim eſt maior ad amorem inuitatio, quàm præuenire amando.

Conscientia his formata ac illuminata, vna ex parte arguit animam ſuam, quod hucuſque in dilectione ac imitatione Dei Reparatoris & Saluatoris ſui minimè profecerit. Ex altera verò, excitat eam interno pulſu, ad ipſum Reparatorem affectuoſiſſimè reamandum & efficaciſſimè imitandum. Sciens, quoniam ſufficientia reparationis noſtræ, non eſt, niſi ex ipſo Reparatore Deo: ſed efficacia, non eſt, niſi ex nobis cum Dei auxilio: quia reparati ſumus, ſaluo iure noſtri liberi arbitrij.

Volvntas concitata, ſerio proponit, iugiter in dilectione & imitatione Dei Saluatoris ſui permanere. Ac inde in actus pactorum prorumpit, dicens in ſui intimo. Quando amore amoris tui vulnerabor, ligabor, infirmabor, & moriar, &c. &c.

PRAXIS III.

Myſterium Eucharisticum aſcetice meditandi.

In prima conſideratione.

Ratio procedens inquirit. Quis tu es Domine ſub ſpeciebus panis & vini; & quis ego ſum, qui ad te accedere volo & debeo?

beo? Reſpondet primò SYNTERESIS. Tu es ſublimis ſecundum naturam diuinam. *id eſt*. Omnipotens, immenſus, infinitus, incomprehenſibilis, &c.

CONSCIENTIA infert. Ego verò miſer, vilis, ſtultus, inutilis, & grauiſſimus peccator.

Secundò SYNTERESIS. Tu es profundus ſecundum naturam humanã. *id eſt*. profundè humilis, patiens, manſuetus, obediens, &c. CONSCIENTIA infert. Ego verò elatus, præſumptuoſus, impatiens, inobediens, &c.

Tertiò SYNTERESIS. Tu es latiſſimus, vtpotè ſecundum charitatem, quam dilatâſti, & extendiſti vſque ad inimicos tuos, animam tuam pro eis ponendo, & Patrem æternum ſuppliciter exorando. CONSCIENTIA infert. Ego verò ſtrictiſſimus per proprium amorem factus, qui non ſinit me iuxta tuam voluntatem proximos meos perfectè diligere. *Quartò* SYNTERESIS. Tu es longiſſimus ſecundum animi tui propoſita, *id eſt*. longanimis, conſtans & perſeuerans in ſufferendis pro noſtra ſalute aduerſitatibus. CONSCIENTIA infert. Ego verò ſecundum eadem propoſita breuiſſimus & inconſtantiſſimus, in tolerandis præſertim propter peccata mea & tui imitationem huius vitæ miſerijs ac pœnalitatibus.

Iſtarum Chriſti Domini quatuor qualitatum S. Paulus cupiebat nos habere practicam notitiam, cùm diceret *Epheſ.* 3. Huius rei gratia, flecto genua mea ad Patrem, vt poſſitis compre-

comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas & profundum.

VOLVNTAS his concitata, quatuor actus pactorum hoc modo profert. O Deus meus, amo tuam sublimitatem. *id est*, volo tibi tuas perfectiones Diuinas, quas habes per essentiam: & meipsum propter meas imperfectiones coram te despicio & contemno. O Deus meus, amo tuam profunditatem, *id est*, volo efficaciter te imitari in tuis virtutibus; & propono efficaciter mortificationi vitiorum meorum diligenter insistere. O Deus meus, amo tuam latitudinem. *id est*. volo efficaciter ad imitationem tui magis ac magis proficere in dilectione inimicorum meorum. O Deus meus, amo tuam longitudinem. *id est*. volo efficaci, constanti, resoluta & perseueranti voluntate ob tui amorem quæuis aduersa huius mundi tolerare.

In secunda consideratione.

RATIO propositionem affert. Quæ accipimus ac sumimus in hoc Sacramento Eucharistiæ? Respondet SYNTERESIS. Illa quæ accipimus sunt quatuor, vt potè Corpus IESV Christi Domini nostri verum. Sanguis pretiosissimus. Anima sanctissima. Et ipsa Verbi æterni diuinitas, idq; sub vna quacunq; specie. Ratio est: quia, quod Christus resurgens ex mortuis semel assumpsit, iam nunquam

quam dimisit. Vnde sequitur totum esse Christum, tam sub speciebus panis, quàm sub speciebus seu accidentibus vini, quamuis non eodem ordine; nam, ex vi consecrationis, sub accidentibus panis, est ipsum non nisi Corpus Christi, cætera sunt per concomitantiam; & sub accidentibus vini, ex virtute verborum consecrationis, est tantum ipse sanguis, cætera vero quæ ad integritatem Christi spectant, sunt ratione concomitantiæ, atque adeò totus Christus est sub vtrisque speciebus: & tantundem accipit, qui in altera tantum specie communicat, quàm qui in vtraque. Deinde totum esse Christum in toto Sacramento, & totum in quantumcunque paruula particula, tam ante quàm post diuisionem specierum: ratio istius est, quia Christus Dominus sub singulis speciebus, non quantitatiuo modo continetur, sed secundum modum substantiæ. Vnde *Ecclesia*. Sub diuersis speciebus, signis tantum, & non rebus, latent res eximiæ. Caro cibus, sanguis potus: manet tamen Christus totus sub vtraque specie. A sumente non concisus, non confractus, non diuisus, integer accipitur. Fracto demum Sacramento, ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur. Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura, quâ nec status nec statura, signati minuitur.

CONSCIENTIA his assentiens, voluntatem excitat ad adorandum Christum in venerabili

rabili Sacramento. VOLVNTAS permota, in actus fidei, spei, & charitatis prorumpit, dicens illud *Isa.* 45. Verè tu es Deus absconditus (*vt pote sub speciebus panis & vini.*) Deus Israël, Saluator. Et *S. Thomæ.* Adoro te deuotè latens Deitas, quæ sub his figuris verè latitas. *Et infra.* Credo quidquid dixit Dei filius. Nil hoc verbo veritatis verius. In cruce latebat sola Deitas. At hic latet simul & humanitas. *Et infra.* Plagas sicut Thomas non intueor, Deum tamen meum te confiteor. Fac me tibi semper magis credere; In te spem habere, te diligere. *Vel deinde.* Credo te Deum, Creatorem, Saluatorem, & remuneratorem meum, hic esse sub speciebus panis & vini. Credo tibi Deo meo. Credo in te Deum meum. Spero in te, expectans à te veniam. Spero in te, expectans à te gratiam. Spero in te, expectans à te gloriam. Quis mihi tribuat, vt diligam te propter te, in te, & secundum te: & hoc stabiliter, prudenter, dulciter, fortiter, & excedenter.

In tertia consideratione.

RATIO procedens quærit. Pro quo seipsum Christus tradidit nobis in hoc Sacramento? Respondet SYNTERESIS. Pro multiplici nostra vtilitate. *Prima* est, ipsa videlicet purificatio seu purgatio animæ nostræ: quotiescunque enim dignè accipimus hoc Sacramentum, toties ab omni inquinamento,

tam

tam videlicet actorum, quàm contractorum peccatorum magis ac magis mundamur iuxta illud *Apoc.* 7. Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis, &c. Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas (*per frequentem & ſanctum Euchariſtiæ Vſum*) in ſanguine Agni. *Secunda* vtilitas eſt illuminatio mentis noſtræ: nam quò ſæpius ad hoc Sacramentum dignè accedimus, eò clarius internè illuminamur, iuxta illud *Pſal.* 33. Accedite ad eum, & illuminamini. Et *Luc.* 24. Et factum eſt dum recumberet cum eis, accepit panem ac fregit, & porrigebat illis; & aperti ſunt oculi eorum. *Tertia* vtilitas eſt vnio noſtra, tam videlicet cum myſticis Chriſti membris, quàm cum ipſo Chriſto: quò enim dignius ad hoc Sacramentum præparati accedimus, eò ſtrictius & indiſſolubilius Chriſto ac in eo proximis noſtris per charitatem coniungimur, iuxta illud *Ioan.* 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo. *Quarta*, eſt noſtra conſolatio in varijs tribulationibus: qui enim dignè manducare hoc Sacramentũ conſueuerunt, hi non ſolùm, non turbantur in aduerſis, verum etiam hilareſcunt, iuxta illud *Pſal.* 22. Paráſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos, qui tribulant me. *Quinta* vtilitas eſt noſtra corroboratio & confirmatio: ſicut enim corpus materiali cibo roboratur, ita anima fidelis, hoc cibo cæleſti dignè

sumpto, semper magis ac magis contra tentationes carnis, mundi, & diaboli fortificatur; semperq; magis ac magis in obseruantia mandatorum Dei, in profectu viæ spiritualis, & in bonis desiderijs, ac sanctis propositis confirmatur & promouetur, iuxta illud *Psal.* 103. Vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet. *Sexta* vtilitas, est cuiusuis animæ fidelis peregrinantis viaticum: Anima enim pro viatico in mortis articulo dignè accipiens hunc cibum cælestem; & desiderio vitæ æternæ succenditur, & multum confortatur, vt ad montem Dei Oreb cælestis patriæ facilè peruenire valeat. Vnde *Ecclesia.* Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum. *Septima* vtilitas est, quod dignè hunc panem manducando, accipimus signum amoris Christi Dei nostri, & pignus gloriæ futuræ. Vnde *Ioan.* 6. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Et *Ecclesia.* O sacrum conuiuium in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

Conscientia hinc gaudium concipit. Volvntas, actus suos ad Christum sursum ducendo exclamat. *Psal.* 50. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. *D. Thom.* Pie pellicane Iesv Domine, me immundum munda tuo sanguine. *Psal.* 118. Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. *Ibidem.* Da mihi intellectum

tellectum & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo. O IESV vni me tecum inſeparabiliter. O IESV transforma me totum in te. Paratũ cor meum Deus, paratum cor meum. Omnia volo, nihil volo, in toto corde meo in æternum. Domine Deus tibi gratias ago. Domine Deus te laudo. Domine meus tibi offero. Domine Deus à te peto. Viuat Rex noſter IESVS, viuat, viuat. Laudetur ſanctiſſimum Sacramentum, laudetur, laudetur.

In quarta conſideratione.

RATIO procedens affert propoſitionem. A quo ſumi debet hoc Sacramentum? Reſpondens ſoluit SYNTERERIS. A filio, non à cane, non à porco, iuxta illud *Eccleſiæ*, Verè panis filiorum, non mittendus canibus. Et *Marc.* 7. Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. Et *Matth.* 7. Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos. *Nota*, quod per filios intelliguntur illi, qui æterno affectu peccata deteſtantur, & æternam voluntatem habent in lege Patris æterni. Per canes autem intelliguntur recidiuantes in peccatum aliquod graue, poſt veram conuerſionem. Per porcos tandem intelliguntur conſuetudinarij in peccatis, de quibus illud eſt 2. *Petr.* 2. Contigit enim eis illud veri prouerbij. Canis conuerſus ad ſuum vomitum: & ſus lota in volutabro luti.

CONSCIENTIA hinc ſeſe examinans: vel arguit ſua mala opera, vel dè ſignis amicitiæ Dei in ſe repertis lætatur. VOLVNTAS renouat coram Deo ſuam deteſtationem, abominationem, ac fugam omnium peccatorum, & propoſitum æternum legi eius diuinæ ex tota mente, ex tota fortitudine, & ex tota anima iugiter adhærendi. Renouat etiam iuramentum ſuum, quo abiurauit diabolum ac eius imitationem, & quo ſe Deo ac eius Eccleſiæ ſanctæ addixit in ſacro baptiſmate per ſuum compatrem. Renouat quoque vota ſua, & profeſſionem ſuam, viuendi nimirum in obedientia, ſine proprio & in caſtitate, & hoc in præſenti inſtituto reformato, quamuis in eo multa ſe aduerſa ſufferre oporteat. Renouat deinde intentionem & propoſita ſua: omnibus videlicet ſuis operibus, ſolius Dei gloriã quærendi; & ad imitationem Chriſti in via ſpirituali continuo proficiendi. Renouat tandem pacta æterni ſui teſtamenti. Inſuper elicit pactum. Domine Deus, propter te, & ſupra omnia.

In quinta conſideratione.

RATIO proponit. Quomodo dignè ſumitur Euchariſtiæ Sacramentum? Reſpondet SYNTERESIS. Cùm ſumitur ſacramentaliter & ſpiritualiter. Vnde ſciendum eſt, quod hoc Sacramentum quadrupliciter ſumi poteſt. *Primò* materialiter, ſeu corporaliter tantum

tantum recipitur ab infidelibus Hæreticis: qui quamuis aliquando ſumant verum Euchariſtiæ Sacramentum, ſed quia non diiudicant ſeu non diſcernunt fide cibum cæleſtem veri corporis Domini ab alijs cibis, ideò Euchariſtiam nec ſacramentaliter, nec ſpiritualiter accipiunt. Illa enim verba Chriſti Domini. Hoc eſt corpus meum. Et. Hic eſt ſanguis meus. Hæretici figuratiuè dicta eſſe credunt, ſicut & illa *Ioan.* 15. Ego ſum vitis vera. quod eſt omnino contra intentionem Saluatoris, quia vt ait *S. Auguſt.* quod circumſtantia ſcripturarum ſolet illuminare ſcripturam, nam ex præcedentibus vel ſequentibus poteſt colligi an loquatur figuratiuè. Sed cùm dicit *Luc.* 22. Hoc eſt corpus meum. *Statim ſubiunxit*, quod pro vobis tradetur. Iſta autem traditio non erat figuratiua, ſed realis & vera. Ergo veraciter dictum eſt. Hoc eſt corpus meum.

Secundò hoc Sacramentum aliqui accipiunt corporaliter & ſacramentaliter tantum, ſicut faciunt mali Catholici, qui aliquando ſumunt Euchariſtiam, credentes quidem in ea contineri verum, & viuum, & Deificatum corpus Chriſti, ſed quia non habent conſcientiã probatam ſeu examinatam, & à peccato mortali purgatam, ideò non accipiunt eam ſpiritualiter, niſi ſacramentaliter, quod ipſum, eſt etiam ſicut & prius indignè manducare. Priores enim indignè manducant propter defe-

ctum fidei, posteriores autem propter defectum iustitiæ, ad quos illud est 1. *Corinth.* 11. Itaque quicunq; manducauerit panem hunc, & biberit calicem indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Et *Ecclesia.* Sumunt boni, sumunt mali: sorte tamen inæquali, vitæ vel interitus. Mors est malis, &c. Vnde patet, quod indignè sumentes, duo mala expectant, *iudicium videlicet & mors.* Iudicium quidem simile illorum, qui ipsum occiderunt, nam dicitur. Reus erit corporis & sanguinis Domini. *id est,* reus erit in iudicio Dei, Christicidij. Mors quoque expectat eos spiritualis, vtpote prima & secunda, quæ est odium Dei, & æterna damnatio.

Tertio, hoc Sacramentum aliqui accipiunt spiritualiter tantum, & non sacramentaliter, sicut sæpè faciunt deuoti Catholici, alias conscientia sani; qui dum eis facultas deest hoc Sacramentum corporaliter sumendi, fidem suam, quâ credunt Christum contineri in illo, & desiderium quo cupiunt Christo vniri in sumptione Eucharistiæ, sursum ducendo, consequuntur rem ac effectum Sacramenti. *id est,* recipiunt gratiam, quod est communicare spiritualiter. Vnde *S. Aug.* vt quid paras ventrem vel dentem: Crede, & manducâsti. Qui enim credit in eum, manducat eum.

Quartò, aliqui Sacramentũ Eucharistiæ accipiunt sacramentaliter & spiritualiter: sicut faciunt deuoti Catholici, qui statutis diebus, conscientia purgati & fide erecti, desiderioq́; charitatis eleuati, dignè de altarī Dei Christum recipiunt. Vnde *S. August.* in persona Christi. Crede, & manducâsti: & non me conuertes in te, sed tu conuerteris in me. *id est*, non quidem in meum esse essentiale conuerteris, sed in meum esse effectuale, quod est esse habitualis gratiæ: & consequenter in meum esse actuale, quod est esse ipsius imitationis meæ. Verum sicut illi qui indignè accipiunt hoc Sacramentum duō mala expectant, vtpotè seuerum Dei iudicium, & mortem æternæ damnationis: ita & illi qui dignè sumunt (præsenti videlicet dignitate morali, non autem naturali, quam nullus Sanctorum habet) vitam & abundantiorem vitam expectant, quæ est in præsenti gratia Dei, & eius incrementum; & in futuro, gloria, vtpotè prima & secunda. Hinc *Ecclesia.* Mors est malis, vita bonis: vide paris sumptionis, quàm sit dispar exitus.

CONSCIENTIA inde ex vna parte perterrita, & ex altera exhilarata, stimulat voluntatem ad dignam sumptionem huius Sacramenti. VOLVNTAS concitata & huius Sacramenti desiderio succensa, clamat ad Christum in cælo regnantem actibus inflammatis. Quis mihi tribuat, vt suscipiam te loto capite. Quis

mihi tribuat, vt ſuſcipiam te lotis manibus. Quis mihi tribuat, vt ſuſcipiam te lotis pedibus. O Deus meus, & omnia.

Hinc nota, quod præſentem dignam præparationem ac ſumptionem, tria illa conſtituunt, quorum figura habetur in illis verbis D. Petri ad Chriſtum prolatis in lotione pedum, ante inſtitutionem huius ſacratiſſimi Sacramenti. *Ioan.* 13. Domine non tantum pedes meos, ſed & manus, & caput. Vbi, per caput, intelligitur fides & conſcientia; per manus bona opera; & per pedes, affectus timoris & amoris Dei. *Vnde cùm volunt as dicit.* Quis mihi tribuat, vt ſuſcipiam te loto capite. cupit ſuſcipere Chriſtum pro qualibet vice communionis, inſtructa maiori fide ac depuratiori ab omni ſcilicet hæſitatione ac temeritate; depuratiori conſcientia, tum ab omni defectu relaxationis, & exceſſu ſcrupuloſitatis, tum ab omni macula non ſolum culpæ mortalis, ſed & venialis. *Et cùm dicit.* Quis mihi tribuat, vt ſuſcipiam te lotis manibus. cupit ſuſcipere Chriſtum repleta tum nobilioribus meritorijs operibus, tum depuratioribus, ab omni ſcilicet diſtractione & obliquitate intentionis. *Et cùm dicit.* Quis mihi tribuat, vt ſuſcipiam te lotis pedibus. cupit ſuſcipere Chriſtum, transfixa ac inflammata perfectiori affectu timoris filialis, & amoris amicitiæ; ac depuratiori ab omni ſcilicet ſeruili timore & amore concupiſcentiæ. *Et cùm dicit.*

dicit. O Deus meus & omnia. Cupit ſuſcipere Chriſtum ſuccensâ deuotione omnium Sanctorum, tam videlicet Eccleſiæ militantis, quàm triumphantis.

In ſexta conſideratione.

RATIO affert propoſitionem. Quam ob cauſam Euchariſtia ex inſtitutione Chriſti in Eccleſia Dei habetur vſque ad mundi conſummationem? Reſpondens SYNTERESIS profert ſolutionem. Vt nobis eſſet perpetuum Sacramentum, & ſacrificium, & memoriale mortis ac paſſionis Domini. *Primò* quidem vt nobis eſſet Sacramentum, cætera nimirum Sacramenta excellentiâ ſuâ ſuperans: nam alia Sacramenta non niſi ſignant gratiam; hoc autem, & ipſam gratiam ſignificat, & realiter continet ipſum auctorem & collatorem huiuſmodi gratiæ. *Deinde* alia Sacramenta conſiſtunt in vſu & in fieri, ita quod idem eſt ibi Sacramentum, & perceptio Sacramenti, nec permanet aliquid, tam ante quàm poſt huiuſmodi perceptionem, quod ſit Sacramentum; hoc autem Sacramentum eſt permanens poſt conſecrationem adhuc ante vſum, imo & poſt vſum, donec ſpecies corrumpantur. *Porrò*, in conficiendis alijs Sacramentis, nulla fit materiæ illorum, in aliam naturam mutatio; in hoc verò Euchariſtiæ Sacramento, quod panis & vinum ante conſecrationem erat; confectâ conſecratione,

verè eſt corporis & ſanguinis Domini ſubſtantia, ſolis duntaxat ſpeciebus, ſeu accidentibus panis & vini ſine ſubiecto in ſuo eſſe remanentibus. *Inſuper*, alia Sacramenta ſemel accepta, vel iam nunquam iterantur ob characterem, quem imprimunt animæ. vt eſt baptiſmus, confirmatio, & ordo ſacer : vel rarò. vt eſt extrema vnctio, & matrimonium : vel ſaltim rarius, ipsâ Euchariſtiâ. vt eſt Sacramentum pœnitentiæ, quod ipſum patet in Sacerdotibus, qui quotidie celebrant, & non quotidie ſacramentaliter confitentur : vnde conſequenter alia Sacramenta vel ſemel tantum conferunt gratiam, vel ſaltim Sacramento Euchariſtiæ rarius, quod alias quotidianum eſt, quotidie ſcilicet conferens gratiam, quâ anima alitur, nutritur, roboratur, conſeruatur, & perficitur in vita ſpirituali.

Secundò, vt nobis eſſet ſacrificium nouæ legis, quo peccata noſtra expiarentur : & cæleſtis Pater ſceleribus noſtris ſæpè grauiter offenſus, à vindicta ad clementiam, & à iuſtæ animaduerſionis ſeueritate, ad miſericordiã moueretur. De hoc ſacrificio habetur *Malach.* 1. Ab ortu ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Et *Pſal.* 109. Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Vnde ipſe Chriſtus, Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſeſe in æternum conſti-

constitutum declarans, corpus & sanguinem suum in vltima Cæna, sub speciebus panis & vini, Deo Patri obtulit, & hucusque quotidie offert per suos substitutos Sacerdotes; qui dum huiusmodi sacrificium faciunt, non suã, sed illius personam suscipiunt, quod ipsum ex verbis consecrationis ostenditur, nam non in persona sua dicunt illa verba. Hoc est corpus meum. sed in persona Christi.

Fatemur autem hoc sacrificium, quod in Missa peragitur, vnum ac idem esse, quod & in cruce oblatum fuit: quia & Christus Dominus vnus & idem est, tam videlicet in ara crucis immolatus, quam in pane & vino oblatus: neque enim cruenta & incruenta hostia, duæ sunt hostiæ, sed vna tantum, cuius sacrificium quotidie in Eucharistia instauratur, ex quo ita Christus præcepit dicens. Hoc facite in meam commemorationem. *Fatemur* deinde præsens sacrificium esse, tum sacrificium laudis, & gratiarum actionis, tum commemorationem sacrificij quod in cruce factum est, tum etiam verum sacrificium propitiatorium, quo Deus nobis placatus, & propitius redditur. Quare si iustè à Deo puniti ac derelicti aliquando, pura conscientia, fide accensa, & corde contrito ac humiliato, hanc sanctissimam hostiam immolemus, dubitandum non est, quin misericordiam, gratiam, & auxilium opportunum à Deo consequuturi simus. *Fatemur* tandem hanc hostiam Eucharisticam,

vt eſt ſacrificium, & vt eſt Sacramentum hac ratione differre: quia, vt eſt Sacramentum, conſecratione perficitur; & vt eſt ſacrificium, oblatione. *Deinde*, vt Sacramentum eſt, ſi dignè ſumatur, meriti cauſam adfert; vt autem ſacrificium eſt, ſi dignè offeratur, ſatisfaciendi efficaciam continet: nam ſicut Chriſtus in paſſione ſua pro nobis ſatisfecit & meruit: ita, qui hanc hoſtiam dignè offerunt & accipiunt, Dominicæ paſſionis meritum & ſatisfactionem pro ſuis peccatis lucrantur.

Tertiò, vt nobis eſſet memoriale mortis ac paſſionis Domini, iuxta quod ipſe Dominus ait *Luc.* 22. Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Et 1. *Corinth.* 11. Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini (*ac paſſionem eius pio affectu recogitantes*) annunciabitis, donec veniat. Quatuor autem nobis recogitanda veniunt in morte ac paſſione Dominica iuxta D. Thomam. *Primum* eſt. Amor, quo Chriſtus dilexit nos (qui talis ac tantus fuit, vt eum fecerit non ſolum dare ac promittere nobis ſua bona, ſed etiam accipere noſtra mala) ad reamandum. *Secundum* eſt. Dolor, vtpotè animæ & corporis, ad compatiendum. *Tertium*, Fortitudo, quam exercuit aduerſa cum ipſa morte ſuſtinendo, ad imitandum. *Quartum*, vtilitas noſtra, ad gratias ei agendum.

CONSCIENTIA hinc illuminatione accepta,

pta, ſtimulat voluntatem, ad reamandum, compatiendum, imitandum, & gratias agendum Chriſto. VOLVNTAS pio affectu permota erga Chriſtum, in actus reſoluitur; dicens in ſui intimo. O Deus meus, quis mihi tribuat, vt reamem te ex tota anima mea. ob amorem nimirum tui omnia mea mala & aduerſa, cum gaudio ſuſtinendo. O Deus meus, quis mihi tribuat, vt verè tibi compatiar. tum videlicet affectu, tum effectu. O Deus meus, quis mihi tribuat, vt veraciter & fortiter te ſequar. vtpotè, in obedientia, patientia, humilitate, caſtitate, &c. O Deus meus, quis mihi tribuat, vt tibi cum omnibus Sanctis tuis dignas gratiarum actiones referam in æternũ.

PRAXIS, in ipſo ad Euchariſtiam acceſſu, & receſſu, ſeruanda.

PRimò, in introitu ad altare Dei, in manibus, quas in oratione aliquandò iungimus, aliquando extendimus, duo pacta conſtituantur; vnum videlicet laudis & gratiarum actionis: alterum oblationis & adorationis: quod fiet, quando nimirum in minimo digito dexteræ manus, omnium fidelium, ac iuſtorum Eccleſiæ militantis, laudes & gratiarum actiones quas ipſi SS. Trinitati referunt in æternum, reponentur, & vna eidem cum illis reddentur: & in ſequenti digito, omnium electorum Eccleſiæ triumphantis: & in tertio, omnium cæleſtium ſpirituum: & in quarto, ip-

fius B. V. Mariæ : & in quinto, Chriſti Domini, vt hominis. *Deinde*, quando in auriculari digito ſiniſtræ manus, omnia merita iuſtorum huius Eccleſiæ, repræſentata SS. Trinitati in æternum offerentur : & in auriculari, omniũ Sanctorum in cælo triumphantium: & in medio, Sanctorum Angelorum : & in indice, Sacratiſſimæ Reginæ cælorum : & in police, ipſius Domini Saluatoris noſtri. Circa ipſam autem ſumptionem Euchariſtiæ, eliciantur pacta amoris Diuini, vtpotè : Amo tuam iuſtitiam. Amo tuam potentiam. Amo tuam ſapientiam. Amo tuam bonitatem. Amo tuam miſericordiam. O IESV, vni me tecum inſeparabiliter. O IESV, transforma me totum in te. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Omnia volo, nihil volo, in toto corde meo in æternum. O Deus meus, & omnia.

Secundò, in receſſu ab altari, ſecedens aſceta in aliquem locum ſeorſiuum, genua flectat, & manibus in formam crucis in pectore compoſitis, ſtrictè Chriſtum quem in ſuis viſceribus reconditum habet, amplectatur, ac eum actibus fidei, ſpei, & charitatis adoratum, humillimè oret, cum *D. Thoma* dicens O memoriale mortis Domini ? Panis viuus, vitam præſtans homini. Præſta meæ menti dè te viuere, & te illi ſemper dulcè ſapere. Pie pellicane IESV Domine. Me immundum, munda tuo ſanguine ; Cuius vna ſtilla ſaluum facere,

Totum

Totum mundum quit ab omni ſcelere. IESV quem velatum nunc aſpicio, oro fiat illud, quod tam ſitio, vt te reuelata cernens faciẽ. viſu ſim beatus tuæ gloriæ. Amen.

Deinde orationem Dominicam. (*iuxta modum à D. Bon. part. 3. ſtim. cap. 18. traditum*) contempletur ſic. *Pater noſter, qui es in cælis*. Ad te confidenter meam mentem erigo, ſola cæleſtia à te impetrare cupiens. *Sanctificetur nomen tuum*, id eſt. Nomen ſanctum Diuinitatis tuæ, quod modò per fidem aſpicimus, per apertam & claram viſionem citò nobis innoteſcere facias. *Adueniat regnum tuũ*, id eſt. Gloriam regni tui quam modo ſperamus, per tuam gratiam citò feliciter obtineamus, & ſecurè poſſideamus. *Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra*. id eſt, ſicut ex conſummata charitate voluntatem tuam faciunt cæleſtes incolæ; ita & nos terreni ad eandem charitatem citò transferamur. *Panem noſtrũ quotidianum da nobis hodie*. id eſt. Præſta, vt Chriſtum Dominum noſtrum, quem ſcilicet velatum panem cæleſtẽ quotidie accipimus, quàm citiſſimè in gloria reuelatum ſummamus. *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. id eſt. Fac nos in gloria cæleſti experiri, quod nobis dimiſeris delicta noſtra, ſicut & noſtri inimici experiuntur, quod illis dimiſerimus eorum peccata, quibus in nos peccant; cùm illis benefacimus, aut cùm pro illis oramus. *Et ne*

nos

nos inducas in tentationem. Sed potius ducas nos in requiem illam æternam; vbi non est Sathan amplius tentans, nec occursus malus, sed pulchritudo pacis. *Sed libera nos à malo.* deducens nos ad illum statum, qui est omniũ bonorum aggregatione perfectus, & in priuatione omnium malorum iucundus. *Amen.* Deinde pacta eliciat. O Deus meus, à te peto. O Deus meus, te laudo. O Deus meus, tibi offero. O Deus meus, tibi gratias ago. Viuat Rex noster IESVS. viuat, viuat. Laudetur sanctissimum Sacramentum. laudetur, laudetur.

Tertiò, asceta ibidem palmis manuum disiunctis, ac deinde in pectore contra se positis, ad demonstrandum videlicet ibi Christum requiescentem, facie ac mente versus cælum erecta, obsecret humillimè singulas SS. Trinitatis personas hoc modo.

Abba Pater, per huius in quo tibi benè complacuit obedientiam, paupertatem, castitatem, & amorem, obsecro te vilissimus homuncio, vt mihi tribuas indulgentiam omnium peccatorum meorum: vt me per tuam gratiam voluntati tuæ obedire in æternum facias: vt iusta voluntatis meæ desideria adimpleas: & vt in finem vitam æternam, quam fiducialiter expecto, mihi largiaris.

O Fili Patris æterni vnigenite, per hoc Eucharisticum mysterium amoris tui, obsecro te ego canis mortuus, quem sic respexisti, vt fructus ac effectus huius tanti Sacramenti tui,

cum omnibus tuis electis consequi promerear.

O Spiritus sancte Deus, per huius humilitatem, patientiam, sobrietatem, & mentis tranquillitatem, obsecro miserrimus peccator, vt infundere digneris animæ meæ virtutes, ad rectè in mea vocatione ambulandum, ac rationabiliter & honestè viuendum: dona tua, ad fideliter laborandum, iugiter proficiendum, & faciliter aduersa sustinendum: benedictiones, ad firmiter standum, ac stabiliter perseuerandū: fructus, ad perfectè gaudendū.

O SS. Trinitas vnus Deus, per huius Vitæ mortem, passionem, resurrectionem, ascensionem, & ad iudicium descensionem, obsecro, qui sum puluis, affectu videlicet omnium tuorum Sanctorum tam militantis, quàm triumphantis Ecclesiæ, vt hæc omnia postulata mea, non solum mihi ipsi, sed etiam omnibus alijs fratribus meis huius conuentus; nec non totius Prouinciæ, & totius ordinis, imo etiā & omnibus amicis ac inimicis nostris largus conferas. *Insuper* obsecro, vt Ecclesiam sanctam tuam Catholicam protegere, defendere, adiuuare ac promouere digneris: principibus quoque Christianis concordiam, & omni populo fideli pacem largiaris: ac tandem peccatores, hæreticos, schismaticos, & quosuis alios infideles ad te conuertas: omnibusq; fidelibus defunctis, requiem æternam donare velis. Viuat sanctissima Trinitas. viuat, viuat.

PRAXIS

PRAXIS IV.

Mysterium beneficiorum Dei ascetice meditandi.

In prima consideratione.

RATIO inquirit. Quis est, qui beneficia dat? & quis est, qui ea accipit? Ad primum respondet SYNTERESIS. *Primò*, qui dat beneficia, secundum naturam est Deus, à dando sic appellatus; ipsius enim solius proprium est dare; quia omnia habet, & nihil est in vniuerso quod suum non sit, & quod non ipse creauerit: & quia est summum bonum, quod est sui diffusiuum. Vnde Dauid *Ps.* 23. Domini est terra,& plenitudo eius, orbis terrarum & vniuersi qui habitant in eo. Et *Psal.* 88. Tui sunt cæli, & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundâsti, aquilonem & mare tu creâsti. *Secundò*, secundum suæ maiestatis statum est fælicissimus, omnipotens, immensus, infinitus, &c. Vnde *Psal.* 114. Magnus Dominus & laudabilis nimis,& magnitudinis eius non est finis. *Tertiò*,secundum affectum est pijssimus. Vnde *S. Bonau. lib.* 2. *de prof. relig. cap.* 63. Quanta pietas Dei? homini tanto affectu & studio sic benefacere, qui beneficia eius nec agnoscere, nec conseruare, nec regratiando dignè recipere studet. Benefacere merenti, iustum est; benefacere non merenti, sed tamen humiliter petenti,

petenti, pium est; benefacere nec promerenti, nec desideranti, magis est pium; pijssimum autem, & non nisi diuini cordis, benefacere contemnenti & aduersanti, & hoc vili & seruo proprio & figmento suo. *hæc ille.*

Ad secundum respondet SYNTERESIS. *Primò*, qui accipit beneficia secundum naturam est homo, ab humo sic dictus, quia de humo seu de terra factus est: & quia sicut humus, humorem aquæ de nubibus cæli desiderat; ita homo à solo Deo à quo dependet, beneficia expectat, iuxta illud *Psal.* 112. Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi. Et *Iacob.* 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, est desursum, descendens à Patre luminũ. *Secundò*, secundum conditionem vitiatæ naturæ originali peccato, est infelix, eò quod sensus & cogitatio cordis illius. (*sicut Genes.* 8. *dicitur*) in malum prona sunt ab adolescentia sua. *Tertiò*, secundum affectum est ingratissimus; quod ex amoris illius effectu constat, quo nimirum beneficia Dei amat, sed ipsum benefactorem minimè: nam si amâsset Deum benefactorem suum, præcepta illius perpetuò seruâsset, iuxta illud *Ioan.* 14. Si diligitis me, mandata mea seruate. *Et infra.* Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est, qui diligit me. Hinc *Hugo.* Non ergo munera dantis, plusquam amantis affectum diligas, maiorem charitati eius iniuriam facis, si dona illius accipis,

cipis, & tamen viciſſitudinem dilectionis non rependis; aut dona illius ſi potes reſpue; vel ſi dona reſpuere non potes, viciſſitudinem amoris repende.

CONSCIENTIA hinc clarificata, incuſat animæ ſuæ ingratitudinem. VOLVNTAS actibus officioſi ac efficientis amoris, benefactorem ſuum humillimè adorat.

In ſecunda conſideratione.

RATIO quærit. Quæ & quot ſunt beneficia Dei, quibus homo in hac vita præuenitur? Reſpondet SYNTERESIS. Innumerabilia eſſe; quorum tamen digniora & notiora videntur poſſe reduci ad duo genera, vt alia ſint innocentiæ, alia beneuolentiæ. *Beneficium* innocentiæ eſt triplex. *Primum* dicitur impunitionis: quod tunc accipimus, quando propter pœnitentiam diſſimulat Deus peccata noſtra: vtpotè, peccantes nos, ſtatim ac promeremur non puniendo, non occidendo, & non condemnando in æternum, ſicuti fecit Lucifero & Angelis eius, quos de cælo eiecit: & primis parentibus noſtris, quos de paradiſo expulit: & Sodomæ ac Gomorrhæ, quas igne ſulphureo exuſſit: & multis alijs hominibus, quos ſine dilatione pro diuerſis peccatis, diuerſimodè caſtigauit, ac ipſis etiam cruciatibus æternis adiudicauit, vt Dathan, & Abiron, &c. *Secundum* dicitur indeſertionis: quod beneficiū tunc accipimus, quando nos Deus in pec-

in peccatis delitescentes non deserit, nec nobis suum efficax auxilium ad resurgendum denegat, sicuti fecit multis alijs, vt patet *Psal.* 80. Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis. *Tertium* beneficium innocentiæ, dicitur impermissionis: quod tunc accipimus, quandocunq; non permittit nos Deus tentari supra vires nostras; ac inter tot & tanta pericula non permittit nos perire tam secundum corpus, quàm secundum animam, vt meritò dicere possimus cum *Psalmista.* Nisi quia Dominus adiuuit me, paulominus habitâsset in inferno anima mea.

Beneficium quoq; beneuolentiæ est etiam triplex. *Primum* dicitur naturæ seu naturale: quod tunc accepimus, quando nos Deus iuxta suum æternum propositum, tempore destinato ex nihilo creauit, imagine ac similitudine sui insignitos; & propter nos cælum ac terram produxit, & omnia quæ ambitu eorũ continentur, ad nostram vtilitatem & conseruationem condidit. Huius etiam beneficij est, quod Deus teste *D. Bonau.* ita actualissimè de vno quoque nostrum cogitet, sicut de integro orbe, & ita solicitus sit, ac si careret alijs creaturis. Vnde S. Dauid in admirationem raptus, exclamat dicens *Psal.* 8. Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum, &c. Deinde huiusmodi beneficia naturæ, seu dona naturalia, alia dicun-

dicuntur innata, alia acquiſita, alia fortunæ. quorum ſingula à ſolo Deo veniunt. *Innata* ſunt vtpotè corpori, pulchritudo, fortitudo, agilitas, &c. Animæ verò, ſubtilitas ſeu acumen ingenij, rectitudo iudicij, felicitas memoriæ, &c. Acquiſita ſunt, opes, ſcientiæ, bona fama, &c. Fortunæ ſunt, gratia, amicitia, ac fauor hominum, & reliqua, quæ inde ſequuntur. *Secundum* beneficium beneuolentiæ, dicitur ſupernaturale. vt eſt redemptio noſtra, per ipſum filium Dei; & vt ſunt Sacramenta ad noſtram ſanctificationem ab ipſo Saluatore noſtro inſtituta; & vt eſt miſſio Spiritus ſancti, qui medijs ſuis donis habitat in nobis. Huius etiam beneficij eſt, deputatio Angeli cuſtodis cuilibet noſtrûm. *Tertium* dicitur gratiæ,ſeu gratuitum. quod eſt æterna noſtri prædeſtinatio ad vitam æternam; ac inde vocatio Dei efficax,tum ad fidem Catholicam, tum ad religionem reformatam Fratrũ Minorum; nec non iuſtificatio noſtri, vtpotè prima & ſecunda. De huiuſmodi triplici beneficio Dei gratuito, habetur illud *Rom.* 8. Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, ijs qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui: vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinauit hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iuſtificauit. Hinc nota primò,quod hæc tam multa

bene-

beneficia vnicuique nostrûm à Deo collata, ita publica & notoria sunt, vt ab omnibus videantur ac prorsus palpentur; quibus tamen plura alia singillatim in occulto accipimus, quæ nemo nouit, nisi qui accipit, & adhuc alia multo plura, quæ solus ipse nouit, qui ea nobis tribuit.

Nota secundò, quomodo huiusmodi beneficia, præsertim verò spiritualia sint nobis necessaria, vtilia & pretiosa: conijcere possumus ex oculo corporali, & ex alijs membris, quorum necessitas & vtilitas manifesta est, & pretium inæstimabile scitur.

Nota tertiò, quomodo eadem beneficia sunt nobis continua: continuè enim ea Deus nobis confert: nam quoties abutimur donis eius siue nimirum spiritualibus ac cælestibus, siue corporalibus ac temporalibus, toties illis priuari meremur; & quoties illa nobis Deus non aufert, toties dat.

Conscientia testimonium reddit, animam suam huiusmodi beneficia accepisse à Deo. Voluntas pro tantis beneficijs gratias Deo agit, offerenda ei offert, laudando eum laudat, ac tandem orat eandem misericordiam Dei super se finaliter confirmari. Vnde in actus pactorum prorumpit. Domine Deus tibi gratias ago. Domine Deus tibi offero. Domine Deus te laudo. Domine Deus à te peto.

In ter-

In tertia consideratione.

RATIO quærit. Pro quo vel pro quibus meritis, confert Deus homini sua beneficia? Respondet SYNTERESIS. Pro nullis meritis tam antecedentibus, quàm subsequentibus. Domini quidem temporales bona subditorum suorum requirunt, & eorum indigent obsequijs. Sed Deus ac Dominus noster, neque nobis, neque nostris bonis aut meritis, neque nostro obsequio indiget, quia ipse sibi perfectissimè sufficit. Vnde *Ps.* 115. Deus meus es tu, quoniam bonorũ meorum non eges. Ad hoc tantum indiget nobis, vt habeat quibus pro sua liberalitate ac munificentia gratis benefaciat. Indiget præterea aliquibus nostris obsequijs, vt inde accipiat occasioné adhuc plura & maiora, ac ipsa etiam æterna sua dona nobis conferendi: per quod gloria nominis sui magis ac magis ad extra innotesceret. Quod autem indigeat nostris obsequijs, vt potè obseruantiâ mandatorum suorum & consiliorum Christi sui patet *Ps.* 110. Redemptionem misit populo suo, mandauit in æternum testamentum suum. Et *Deut.* 10. Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum, & seruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima, custodiasq́; mandata Domini. Et *Prou.* 23. Præbe fili mi, cor tuum mihi, & oculi mei vias tuas custodiant

CON-

CONSCIENTIA Synteresi annuit, & voluntatem excitat ad stabilem obseruantiam mandatorum Dei & consiliorum Christi, in retributionem Deo pro tantis eius beneficijs. VOLVNTAS proposita sua renouat dicens illud *Psal.* 118. Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. *Item.* Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem. *id est*, vt hoc ipso, beneficia tua mihi præstita, tibi rependam. *Item.* Custodiam legem tuam semper, in sæculum, & in sæculum sæculi. Et *Psal.* 115. Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam (*id est*, de calice passionis Dominicæ gustabo, per piã illius meditationem & imitationem) & nomen Domini inuocabo. Vota mea Domino reddam (*id est*, implebo) coram omni populo eius.

In quarta consideratione.

RATIO quærit. A quo beneficia Dei tolluntur. Respondet SYNTERESIS. Ab homine ingrato & superbo, seruoq; infideli. *Ingratus* homo ille est, qui nimirum non considerat, nec magnifacit beneficia à Deo sibi collata, nec gratias pro ipsis debitas reddit. *Superbus* verò ille est, qui Deum benefactorem suum contemnit, præceptorum eius immemor existens: quique tanta bona proprio excæcatus amore, existimat vel à seipso sibi

venisse, vel pro suis meritis se illa accepisse; vel certè qui ex tot bonorum affluentia occasionem accipit alios despiciendi. Huic S. Paulus ait 1. *Cor.* 4. Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis. *Seruus autem infidelis* ille est, qui scilicet bonis Domini Dei sui abutitur, vel nimirum ea inaniter dissipando, & cum peccatoribus consumendo. *Vel* per negotiationem spiritualem nihil penitus boni eis lucrando, eò quod illâ in terra acediæ & negligentiæ suæ foderit. *Vel* denique, non Domini Dei sui maiorem gloriam illis quærendo, sed sibi ipsi propriam inanem existimationẽ comparando, donec audiat illud *Matth.* 25. Tollite ab eo talentum, & date ei qui decem talenta habet: & inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium.

CONSCIENTIA infert arguendo animam. Talis tu es anima mea, scilicet ingrata, superba, & infidelis Domino Deo tuo, à quo quid retributionis expectatura sis pro tam execrandis vitijs, ipsa poteris ex te conijcere, considerans quid nimirum faceres cum tuo seruo multis beneficijs à te ditato, qui sic se haberet erga te, sicut tu te habes erga Deum tuum. VOLVNTAS detestatur vitia huiusmodi; & è contra gratitudinem, humilitatem, & fidelitatem suam Deo profitetur.

In quinta consideratione.

RATIO quærit. Quomodo nos præparare debemus ad maiora beneficia Dei accipienda? Respondet SYNTERESIS. *Primò*, per gratitudinem animi nostri, quæ nimirum consistit in affectuosa gratiarum actione, non solum pro beneficijs ex diuino amore innocentiæ & beneuolentiæ cælitus nobis venientibus, verum etiam ex amore seueritatis, vt sunt diuinæ castigationes tam externæ, quàm internæ, quas Deus pollicetur suis dicens *Apoc.* 3. Ego quos amo, arguo & castigo. Exterius quidem castigo per aduersitates huius mundi; interius verò per tentationes, per scrupulos, per ariditates seu desolationes spirituales, &c. Sic Tobias castigatus, gratias Deo reddit, inquiens *cap.* 11. Gratias tibi ago Domine, quia castigâsti me, & sanâsti me. Et Dauid in persona iustorum, pro huiusmodi castigationibus iubilando laudat & glorificat Deum per totum *Ps.* 65. vbi dicit. Quoniam probâsti nos Deus, igne nos examinâsti, sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro: imposuisti homines super capita nostra. Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.

Secundò, disponimus ac præparamus nos benè ad accipienda maiora Dei beneficia, per humilitatem cordis nostri; nam dictum est.

1. *Petr.* 5. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam. Quæ quidem humilitas exercenda nobis eſt, non ſolum reſpectu Dei & reſpectu noſtri, verum etiam reſpectu proximi, iuxta illud *Eccl.* 3. Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. *Ibid. cap.* 32. Rectorem te poſuerunt noli extolli, eſto in illis, quaſi vnus ex ipſis. Et *Matth.* 23. Qui maior eſt veſtrûm, erit miniſter veſter, qui autem ſe exaltauerit, humiliabitur; & qui ſe humiliauerit, exaltabitur.

Tertiò, præparamus nos benè per zelum, tum actiuum tum paſſiuum, ad maiora bona à Deo accipienda. De zelo actiuo illud eſt *Pſal.* 68. Zelus domus tuæ comedit me, quem locum ſic exponit *D. Aug. in Ioan.* ſcribens. Quis comeditur zelo domus? Qui omnia quæ ibi videt peruerſa, ſatagit emendare, cupit corrigere: ſi emendare non poteſt, tolerat, gemit, &c. De eodem zelo *S. Ambr. in Pſal.* 118. Zelum Dei qui habent, omnes ſibi inimicos putant, qui ſunt hoſtes Dei, quamuis patrem, fratrem, ſorores. Eſt igitur Dei zelus actiuus, idem quod feruor animi (*iuxta Hugonem*) ad compaſſionem naturæ, & vltionem culpæ.

Paſsiuus Zelus alius eſt amoris, alius odij. Zelum paſſiuum amoris, ſuſtinent boni ſubditi, dum à ſuis corripiuntur ac probantur ſuperioribus. Zelum verò odij, ſuſtinent omnes Chriſti diſcipuli, dum ab impijs perſe-

cuti-

cutionem patiuntur, eò quod piè velint viuere. Huius vtriusque zeli experientiam profitetur se Dauid habuisse, dicens *Psal.* 138. Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi, *quasi velit dicere:* Dum inimicos tuos Domine Deus odissem perfecto seu sancto (vt potè ex zelo amoris tui proficiscente) odio; ita facti sunt mihi inimici, vt vice versa illorum zelum odij sufferre deberem. Perfectum autem odium (*iuxta Cassiodorum*) est, homines diligere, & eorum vitia semper horrere; nam in illa parte quâ creatura Dei sunt, amandos esse non dubium est; in illa verò, quâ se iniquitate poluerunt, horrendi sunt. Et *S. Aug.* Hoc est perfecto odio odisse, vt vitia non homines oderis, nec vitia propter homines diligas. Quod autem nos benè disponamus ad maiora à Deo beneficia accipienda, per zelum actiuum & passiuum, patet ex *Sancto Ambrosio de zelo actiuo sic dicentem: Psal.* 118. Zelus Dei gratia est, qui exquirit, qui superuenit, qui se iusto infundit pectori; Zelus Dei vita est. Et ex *S. Greg. in Ezech. hom.* 12. Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum. *Deinde* patet de zelo passiuo ex verbis Christi *Matt.* 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam; quoniam ipsorum est regnum cælorum &c. *Tandem de vtroque Matt.* 10. Qui confitebitur me coram hominibus (*per zelum videlicet actiuum & passiuum,* confitebor

& ego eum coram Patre meo qui in cælis est? qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cælis est. Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram; non veni mittere pacem sed gladium.

Quartò, benè nos disponimus ad maiora beneficia Dei accipienda, quandò prudenter ac voluntariè propter imitationem Christi minora abnegamus. Vnde *Matth.* 19. Amen dico vobis,quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim,iudicantes duodecim tribus Israël. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem,aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

Quintò, benè nos præparamus ad maiora à Deo accipienda, quando etiam nos ipsi beneficia nostra, propter Deum, proximis nostris exhibemus, tàm videlicet innocentiæ quàm beneuolentiæ,iuxta illud *Luc.* 6. Dimittite & dimittemini. Date, & dabitur vobis. Hæc autem beneficia præstare nos oportet, ipsis etiã inimicis nostris, iuxta illud *Matth.* 5. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos,vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est, qui facit solem suum oriri super bonos & malos. &c.

Sextò,

Sextò, benè nos adhuc præparamus per timorem Dei filialem, iuxta illud *Tob.* 4. Pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus benè. Et *Eccl.* 2. Qui timetis Dominum, credite illi: & non euacuabitur merces vestra. *Item cap.* 1. Timenti Dominum benè erit in extremis, & in die obitus sui benedicetur.

CONSCIENTIA arguit animam de sui præparatione negligenti ad maiora Dei beneficia accipienda. VOLVNTAS proposita à synteresi documenta, præ omnibus eligit, & ad praxim seriò & efficaciter deducere vult.

In sexta consideratione.

RATIO quærit. Quam ob causam Deus bona naturalia, nonnunquam æquè bonis ac malis conferre soleat: communitér verò potius malis quàm bonis ea largiatur? Respondet SYNTERESIS *ad primum punctum, ex D. Bernardo.* Ne putentur mala, dantur & bonis: ne putentur magna & summa bona, dantur & malis. *Item*, auferuntur ista & bonis, vt probentur; & malis, vt crucientur. *Deindè ex D. Bonauentura.* Temporalia tàm bonis, quàm malis concedi debuerunt: quia aliter boni potiora sibi seruari non crederent, nisi ista tàm bonis quàm malis communia esse viderent.

Ad secundum. Iustis ac bonis non confe-

rendo Deus aliqua bona naturalia ac transitoria, ita sicuti conferre solet iniustis, non facit iniuriam, sed præstat potius beneficium: quia iustos in ea sorte bonorum temporalium, quâ vitæ eorũ corporali & spirituali deseruiunt, participare vult cum iniustis: in ea verò quâ sunt occasionaliter multorum malorum causatiua, & studij vitæ spiritualis impeditiua; ac ipsius spiritus & corporis afflictiua, iustos Deus cum iniustis communicare vetat. Nam vt ait *S. Aug.* Vincula bonorum huius mundi, habent asperitatem veram, iucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, plenam miseriam, nullam beatitudinem, & inanem spem. *Deindè*, quia, sicut non est dignitatis regiæ, amico suo magnum fimi donare cumulum; licet fimus non careat suâ vtilitate: ita etiam, non est dignitatis diuinæ, iustis amicis suis conferre bona huius temporis, quæ alias Christus reprobauit & Sancti exemplo illius vt stercora arbitrati sunt.

CONSCIENTIA his conuicta, stimulat voluntatem ad contemptum bonorum præsentium. VOLVNTAS propter Christi imitationem detestatur amorem huius mundi, ac bonorum eius; solùm non nisi eorum simplicem necessitatis vsum sibi relinquens. *Hinc pactum.* Omnia volo, nihil volo, in toto corde meo in æternum.

PRA-

PRAXIS V.

Myſterium peccatorum aſceticè meditandi.

In prima conſideratione.

RATIO proponit. Quis eſt qui peccat? & quis eſt in quem peccans peccat? SYNTERESIS *ſolutionem adfert, ad primam partem propoſitionis reſpondens.* In quem peccans peccat, eſt Deus; qui ſicut per ſuam bonitatem omnibus nobis benefacit, tanquam clementiſſimus ac pijſſimus; ita per ſuam ſapientiam, omnes noſtras operationes & intentiones intuetur, cognoſcit & intelligit; & per potentiam vbique nos comprehendere valet. iuxta illud *Pſal.* 138. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: confortata eſt, & non potero ad eam. Quo ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam, &c.

Deinde ad alteram partem. Qui peccat, eſt homo, qui ſicut per malitiam ſuam ingratiſſimus eſt beneficiorum Dei, varijs ſeſe inquinans peccatis in conſpectu illius; ita per ſtultitiam, vt ſecurius peccet, conniuet ſibi peccanti, dicens illud *Pſal.* 93. Non videbit Dominus nec intelliget Deus Iacob. Et *Eccl.* 23. Quis me videt? tenebræ circumdant me, & nemo circumſpicit me, quem vereor?

CONSCIENTIA infert, homini peccanti ſic improperans. Talis tu es ſtultus, ac propria tua malitia excæcatus, qui dum pecca-

res, vel nimirum cum illo insipiente dicebas tibi in corde tuo, non esse Deum. Vel cum alijs impijs, putabas eum peccata tua non intelligere neque cognoscere. Et nescis iniquè quoniam omnia vident oculi eius, qui multò plus lucidiores sunt super solem (*Vt dicitur Eccl. 23.*) Circumspicientes omnes vias hominum, & profundũ abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. VOLVNTAS vitam suam præteritam detestatur, clamans ad Deum. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine. Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. &c.

In secunda consideratione.

RATIO quærit. Quæ & quot mala homini adfert peccatum mortale in præsenti vita? Respondet SYNTERESIS. Multa mala, sed alia in ipso peccato existenti, alia ex illo resurgenti, & alia in illud recidenti.

Primò, multa mala incurrit homo in peccato existens: quia secundum omnes vires animæ suæ vulneribus sauciatur. *Intellectus* enim hominis sic obtenebratur peccato mortali, vt in ordine ad supernaturalia non possit sufficienter discernere inter verum & falsum, bonum & malum, rectum & curuum, vtile & damnosum, securum & periculosum, licitum

licitum & illicitum, expediens & inexpediens, facile & difficile. vnde venit illi, quod securus viuat in suis peccatis, pœnitentiam illorum vsq; ad mortẽ differendo, cùm *S. Aug.* dicat. Stultum est in tali statu viuere, in quo quis non audet mori. Et aliquando, quod tanquam phreneticus gaudeat in suo interitu, iuxta illud *Iob.* 21. Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. *Memoria* quoque hominis sic vitiatur peccato, vt amplius non recondat apud se æterna ac spiritualia, & quæ sunt Dei sui; sed solum carnalia ac mundana, & quæ sunt diaboli. Voluntas denique hominis per peccatum sic deprauatur, vt nequeat eligere efficaciter quod sibi æternaliter prodest, nec vitare quod sibi æternaliter nocet; & in affectu tristetur de bonis, & lætetur de malis, iuxta illud *Prou.* 2. Lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis. *Tandem*, liberum arbitrium hominis in tantum ligatur peccato (iuxta illud *Psal.* 110. Funes peccatorum circumplexi sunt me) vt amplius propria virtute non possit ad pœnitentiam resurgere, nec valeat bono insistere sicut sufficit, aut declinare à malo vt oportet.

Secundò, homini, per gratiam Dei, & per propriam pœnitentiam resurgenti, adhuc multa mala peccatum adfert, seu relinquit. *Primum* est, priuatio gaudij spiritualis de in-

nocentia: nam ſicut qui virginitatem amiſit, non amplius de ea gaudere poteſt; ita qui aliquando peccauit, nunquam ſe non peccâſſe gaudebit. *Secundum*, obſcuratio intellectus. Vnde eſt, quod homo poſt ſui ſanationem per pœnitentiam, tardè,& cum difficultate percipit ea, quæ ſunt ſpiritus, & falſum ac malum ſub ſpecie boni ſibi repræſentatum, facilè iudicat eſſe verum ac bonum. *Tertium* eſt, inſtabilitas memoriæ; nam non poteſt ſtabiliter ſpiritualibus, ac diuinis cogitationibus inſiſtere, nec ſemper valet ab inutilibus ac vanis apprehenſionibus ſe auocare. *Quartum*, eſt remiſſio, & claudicatio voluntatis: nam peccatum in voluntate relinquit affectum tepidum reſpectu diuinorum: & ſicut vulneratus in pede, etiam ſanatus claudicat; ita voluntas vulnerata peccato, etiam ſanata per pœnitentiam, non rarò claudicat, reſpectu ſcilicet ordinis & modi; quia nec ſemper ordinatè tendit, nec ſemper moderatè. *Quintum*, quod ſicut vulnerato in facie, poſt curationem vulneris adhuc cicatrix manet: ita vulnerato ſpiritu in libero arbitrio, poſt ſanationem vulneris per pœnitentiam,adhuc manet cicatrix debilitatis, fragilitatis, impotentiæ, ac infirmitatis ad reſiſtendum videlicet tentationibus, ad inſiſtendum operibus virtuoſis, & ad domandum motus ſenſualitatis. Vnde *S. Auguſt.* Plus valet malum inolitum, quàm bonum inſolitum.

Tertiò,

Tertiò, multa mala peccatum homini adfert, iterum post veram conuersionem in illud recidenti: quæ quidem mala colligi possunt ex testimonijs sacræ Scripturæ & Sanctorum Patrum de recidiuis. vti est *Eccl.* 5. De propitiato peccato, noli esse sine metu, neque adijcias peccatum super peccatum, &c. *Item* 21. Fili peccâsti, ne adijcias iterum, sed de pristinis deprecare vt dimittantur tibi; tanquam à conspectu serpentis fuge (*recidiuationis*) peccatum; nam si accesseris, mordebit te. *Et infra.* Plagæ illius non est sanitas. Et *Ezech.* 33. Iustitia iusti non liberabit eum, in quacunque die peccauerit. *Et infra.* Etiamsi dixero iusto, quod vita viuat, & confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem; omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur: & in iniquitate sua quam operatus est, in ipsa morietur. Et *Ierem.* 2. O quàm vilis facta es nimis (*anima hominis recidiui*) iterans vias tuas. Et *Ioan.* 5. Ecce sanus factus es, iam noli (*peccato recidiuationis*) peccare; ne deterius tibi aliquid contingat. Et *Luc.* 11. Tunc vadit & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi (*in animam recidiui*) habitant ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Et 1. *Ioan.* 3. Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat, in hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli. Omnis qui natus est (*per regenerationem baptismi aut pœnitentiæ*) ex Deo,

peccatum (*recidiuationis*) non facit; quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij Diaboli. Et 2. *Petr.* 2. Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post cognitionem retrorsum conuerti, ab eo quod illis traditum est sancto mandato. Et *Hebr.* 6. Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi, rursus renouari ad pœnitentiam. Et *Luc.* 9. Nemo mittens manum ad aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno Dei. *Quasi dicat Christus*: Sicut ille qui mittit manus suas ad aratrum, & retrò aspicit, non est aptus ad benè arandum; ita qui manum dedit suæ religioni ad me imitandum, & retrò aspicit ad pristinas concupiscentias, prætéritaque peccata, non est aptus ad regnum Dei possidendum. Et *S. Chrys. hom. de lapsu primi hominis*. Noli *inquit*, peccare post veniam, noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam: cogita ô homo grauiorem esse culpam post veniam, renouatum vulnus peius dolore post curam, molestius hominem sordidari post gratiam. Quare indulgentiæ ingratus est, qui post veniam peccat; sanitate indignus est, qui semetipsum postquam curatus est vulnerat; nec mundari meretur, qui semetipsum post gratiam

gratiam sordidat. Et *S. Greg.* Minoris excessus est, veritatem non cognoscere, quàm in ea cognita non manere.

Hinc nota primò, quod sicut recidiuorum impossibilis est correctio ac reparatio, ita etiā impossibilis est saluatio: *tum* quia grauior est culpa eorum posterior, vt supra apparuit: *tum* quia magis & profundius se vitijs pristinis immergunt, habitumq; peccandi validiorem induunt: *tum* quia plus & fortius tentantur, dum renouari volunt per pœnitentiam: *tum* quia ingrati gratiæ Dei, iustè à Deo deseruntur. Verum præsens impossibilitas, iuxta interpretes sacræ scripturæ, moraliter & non physicè accipienda est, idque significat, quod communiter & ordinariè non fit, nisi raro, difficulter, ac extraordinariè.

Nota secundò, quod peccatum post veram conuersionem perpetratum, aliud est lapsus, aliud recidiuationis. *Lapsus* deinde alius est venialis, alius mortalis. *De lapsu* veniali illud est *Eccl.* 7. Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum & non peccet, Et 1. *Ioan.* 1. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Et *Prou.* 24. Septies in die cadit iustus, & resurgit. Et *S. Aug.* Nullus sanctus & iustus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse iustus vel sanctus, cum affectu teneat sanctitatem. *De lapsu* mortali illud est *Psal.* 36. Cùm ceciderit (*id est*, cùm peccauerit casualiter

fualiter ac ex improuifo & infirmitate) non collidetur (*id est*, non ruet in profundum peccatorum) quia Dominus fupponit manum fuam. Vnde peccatum lapfus venit homini, vel ex aliqua improuidentia; vel ex ignorantia excufabili à tanto, quamuis non à toto; vel ex fragilitate, quam caufat vehemens aliqua tentatio, aut quædam violenta ac inſperabilis prouocatio & inductio: de quo fe iuftus, tum coram Deo, tum coram hominibus, ad quos manifeftatio fuæ confcientiæ fpectat, multum accufat & humiliat (non verò ex amore proprio illud occultat, aut iam propalatum excufat, aut de fui correptione turbatur, ficut recidiuus alias facere folet) & hoc exemplo S. Dauid, qui fic orat Deum *Pfal.* 114. Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excufandas excufationes in peccatis. Et *Pfal.* 24. Propter nomen tuum propitiaberis peccato meo, multum eft enim. Peccatum verò *recidiuationis* venit homini ex ipfa malitia. *id eft*, ex certa fcientia, & ex plena voluntate, & ex plena libertate.

Nota tertiò, quod recidiuatio in aliquod peccatum mortale, triplicis eft ftatus, feu fpeciei & gradus: *prima* dicitur oblatæ occafionis, *fecunda* quæfitæ occafionis, *tertia* continuæ occafionis. Dicitur autem recidiuatio habere fuos ftatus, fpecies, & gradus: *tum* quia altera ab altera fpecie diftincta eft: *tum* quia altera gradatim in alteram definit ac terminatur.

minatur. Quod quidem recidiuatio ſpecie differat à recidiuatione, patet, quia tres ſunt ſtatus hominum, tam videlicet ante, quàm poſt veram conuerſionem ex malitia peccantium, iuxta illud *Pſal.* 1. Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum (*id eſt*, qui non eſt ſecutus peccandi oblatam occaſionem) & in via peccatorum non ſtetit. (*id eſt*, qui in peccatis ſuis non perſeuerauit: ſeu, qui peccandi occaſionem non quæſiuit, ac in occaſione inuenta delectabiliter non permanſit) & in cathedra peſtilentiæ non ſedit. *id eſt*, qui peſtilentiâ peruerſæ doctrinæ alios non infecit: aut malo ſuo exemplo non ſcandalizauit: aut callidã perſuaſione, improbis munuſculis, ac ſimilibus, ad peccandum non induxit.

Vnde primi ſtatus recidiuatio illorum eſt, qui inter bonos manentes & occaſionem mali non habentes, abſtinent à peccatis; ſed caſualiter oblatâ ac datâ ſibi occaſione ad malũ, prono animo ruunt in peccatum: & ſic occaſio facit illos improbos: quamuis alias occaſio non improbet (iuxta *Thomam à Kempis*,) ſed qualis eſt quiſque probet ac examinet.

Secundi ſtatus recidiuatio illorum eſt, qui inter bonos manentes & nullam occaſionem mali habentes, eam tamen quærunt vel venire ſibi cupiunt, vt nonnunquam ſuis motibus improbis ſatisfaciant.

Tertij ſtatus recidiuatio illorum eſt, qui iam ſibi fecerunt continuam ac perpetuam peccan-

peccandi occasionem. Vt sunt molles, qui nefando procuratæ pollutionis crimine inquinantur. De hoc peccato horrenda legere est apud Cornelium à lapide *in cap.* 38. *Genes. Vers.* 9. Item vt sunt, qui consuetudinem cuiuscunque peccati contraxerunt, quæ communiter per totam vitam durat vsq; ad ipsam mortem: *Tum* quia consuetudo est altera natura. Vnde qualis homo viuit, talis & moritur. Et hoc est, quod ait *Ierem* 13. Si potest Æthiops mutare pellē suam, & pardus varietates suas; ita & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum. *Tum* quia consuetudo sensum induit dedolentiam, ita, vt peccator tandem nullum peccati habeat sensum, nullum scrupulum; ac insuper non timeat iudicium Dei, & ipsas infernales pœnas, iuxta illud *Ier.* 5. Percussisti eos, & non doluerunt: attriuisti eos, & respuerunt accipere disciplinam: indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti. *Item* vt sunt, qui ex peruersitate animi sui, dicunt malum bonum (*Vt est Isa.* 5.) & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.

Quod verò peccatum vnius recidiuationis, in peccatum alterius gradatim desinat, probari & conijci potest ex illis verbis *Ioan.* 4. Qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum. *quasi dicatur*, qui peccato vnius recidiuationis peccauerit, peccabit & alterius, iuxta illud

Eccl.

Eccl. 3. Vir peccator, adijciet ad peccandum. Et *Apoc.* 22. Qui nocet (*alios calumniando, opprimendo, &c.*) noceat adhuc: & qui in sordibus est (*gulæ scilicet ac Veneris*) sordescat adhuc. *id est*, permittitur & nocenti vt iterum noceat, & sordido vt sordescat. *Quædam litera habet:* Nocebit adhuc, & sordescet adhuc. *id est*, de peccato in peccatum trahetur, de recidiuatione in recidiuationem descendet. Tanto autem homini peccatum recidiuationis periculosius ac perniciosius est, quanto eius ad Deum conuersio practica, fuit securior, salubrior, & sublimior: vnde si conuersio eius fuit supererogationis, qualis est religiosorum; grauior etiam eius casus ac præcipitatio est, tanquam de altiori gradu, quàm sæcularis hominis, cuius conuersio fuit necessitatis: quod ipsum comprobat S. Chrysost. super Matth. inquiens. Laici (*Vtpote, status sæcularis*) delinquentes, facile emendantur: clerici autem inemendabiles sunt.

CONSCIENTIA his assentiens, serio monet animam suam, vt in æternum fugiat peccatũ recidiuationis. VOLVNTAS, tota efficacia sui affectus, illud detestatur.

In tertia consideratione.

RATIO quærit. A quo venit homini peccatum; ac præsertim religioso peccatum recidiuationis? Respondet SYNTERESIS. *Primò*, à tentatione diaboli: vnicum enim

studium

ſtudium illius eſt, tentare ac ſeducere homines, vt patet ex ipſius verbis apud *S. Iob. c.* 1. prolatis. Circuiui terram, & perambulaui eam. *id eſt,* omnes homines terrena concupiſcentes ſic decepi & comprehendi, ligatoſque peccatorum conſuetudine, pedibus poteſtatis meæ ſubieci ac ſubdidi, vt non poſſint facere bonum niſi malum. Et vt patet 4. *cap.* Abſorbebit fluuium (*id eſt,* impios, qui ſe aquis concupiſcentiarum huius mundi tradentes, in os diabolicum æternæ damnationis deorſum fluunt) & non mirabitur: & habet fiduciam, quod influat Iordanis (*id eſt,* electi, religioſi ac ſpirituales, qui retrorſum cum Iordane conuerſi ſunt, iuxta *Pſ.* 113. ac ſurſum fluunt iuxta *Iſa. cap.* 2.) in os eius. Et vt patet ex verbis S. Petri 1 *Epiſt.* 5. vbi dicitur. Sobrij eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide. Et ex vitis Patrum *lib.* 7. *cap.* 25. Vbi frater quidam Abbatem Soſoium requiſiuit dicens. Putas Abba, ſic modo perſequitur nos diabolus, ſicut antiquos? Reſpondit: magis modo homines noſtræ ætatis perſequitur: quia appropinquant genera pœnarum, vbi ille cum legionibus ſuis anguſtiabitur, dum ſcit ſtagnum, vbi in igne ac ſulphure arſurus erit, ideò hominibus inſidiatur. Nec infirmos quoſque dignatur appetere, quos vbi voluerit, citò ſubuertit: ſed fortes magis ac

magnos supplantare per diuersa præcipitia aggreditur.

Secundò, peccatum venit cuilibet homini originaliter quidem à libero arbitrio, seu à libera voluntate, tanquam à causa non quidem efficiente, sed deficiente: formaliter verò, ex absentia debitæ eius bonitatis, vtpotè speciei, modi & ordinis: tandem materialiter, ex nihilo; voluntas enim secundum quod habet respectum ad suum principium à quo est, scilicet ad Deum, non est nata elicere ex se, nisi bonum: sed secundum quod habet respectũ ad principium ex quo est, quod est nihil, cùm ipsa voluntas sit ex nihilo, tendit ad defectum. Vnde *Abbas Abraham ait*, Dæmones nobiscum non pugnant, quia voluntates eorum facimus: sed nostræ nobis voluntates dæmones facti sunt, & tribulant nos. Et *Abbas Achilles* rogatus, quomodo aduersum nos possint dæmones? respondit: Per voluntates nostras. Et adiecit dicens. Ligna Libani dixerunt: quàm grandia sumus & alta, & paruissimo ferramento incidimur: Nihil ergo ei demus ex nobis, & nos non poterit incidere. Venerunt ergo homines, & fecerunt in securi manubrium ex ipsis lignis, & ita inciderunt. Ligna ergo sunt animæ: Securis, diabolus: manubrium, voluntas nostra est. Per malas ergo voluntates nostras incidimur.

Tertiò, venit religioso peccatum recidiuationis, *tum* ab incuria paruorum defectuum, qui

qui aſcetica mortificatione non mortificati ſenſim in magnos excreſcunt, iuxta illud *Eccl. 9.* Qui ſpernit modica, paulatim decidit. Et *S. Greg. in Moral. lib. 10. cap. 9.* Si curare parua negligimus, inſenſibiliter ſeducti, ſtatim audenter etiam maiora perpetramus. *Idem lib. 21. cap. 9.* In vnoquoque lapſu, à minimis ſemper incipitur, & ſuccreſcentibus ad grauiora peruenitur. Et *Iſid. de ſummo bono lib. 2. cap. 36. ſent. 2.* Quemadmodum ad virtutem tendentes, culmen non à ſummis inchoant, ſed à modicis, vt ſic ſenſim ad altiora pertingant: ita & qui dilabuntur ad vitia, non ſtatim à magnis criminibus incipiunt, ſed à modicis aſſueſcunt, & ſic ad maxima proruunt.

Tum à neglectu ſpiritualium ſtudiorum, qui alias charitatem ſenſim tepeſcere facit, donec totaliter deficiat. Huius negligentiæ ſubiectis, illud deſeruit *Apoc. 3.* Quia tepidus es, nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo. *Vbi per frigidum,* intelligitur homo peccator, nondum conuerſus ad Deum, cuius melior eſt conditio, quàm conuerſi tepidi; nam iuxta *S. Greg.* Qui adhuc in peccatis eſt, conuerſionis fiduciam non amiſit; qui verò poſt conuerſionem tepuit, etiam ſpem de ſua conuerſione perdidit. *Per calidum,* intelligitur vir ſpiritualis, qui lætus pœnitentiam agit, qui charitate feruet ad bona opera, qui cum gaudio Chriſtum imitatur.

Per

Per tepidum, intelligitur religiosus, qui spiritualium portat habitum, sed animum ac mores habet sæcularium. Vel qui inter virtutes & vitia fluctuat; quique ex virtute quidem viuere, & peccata vitare vellet, sed certamen cum vitijs, & laborem virtutis refugit. Hunc Deus execratur, sicut nos execramur id, quod os euomit. *Vnde*, per diuinam tepidi euomitionem, intelligitur desertio, derelictio, & proiectio negligentis religiosi extra curam diuinæ prouidentiæ; nec non subtractio auxilij efficacis, & permissio in perpetua prolabendi grauia peccata.

Tum à securitate incircumspecta. Vnde *S. Greg. lib. 1. Moral. cap. 17.* Nonnunquam ipsis bonis quæ agimus, ad deterius propinquamus: quia dum lætitiam menti pariunt, quandam etiam securitatem gignunt; dumq; mens secura redditur, in torpore laxatur. *Idem lib. 9. cap. 7.* Sæpè mens dum de virtutis suæ securitate resoluitur, insidiante aduersario inopinatè culpæ telo perforatur.

Tum à radiculis peccatorum vitæ præteritæ, quæ post veram conuersionem in sensualitate manent mortificandæ. vt sunt habitus praui, seu vitia acquisita. Nec non, à principijs politicis, seu à principijs sapientiæ terrenæ, animalis ac diabolicæ, quæ locum habent in intellectu, seu iudicio proprio, vel alias, in ratione inferiori. Ille autem religiosus facilè superatur à suis vitijs, & principijs po-

liticis, qui illa superare à principio suæ conuersionis non studuit: & qui se ignorans placet ac præfidit sibi, putans se esse iustum, dum scilicet peccata grauiora vitat, in quæ homines mundani & scelerati communiter ruunt, licet vlterius proficere non curet: & quamuis possit aliquando esse in statu gratiæ, si videlicet ei grauis tentatio non occurrat, facilè tamen ea occurrente prolabitur in peccatum mortale. Vnde *D. Aug.* Semper tibi displiceat, quod es, si vis peruenire ad id, quod nondum es: nam vbi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixisti, sufficit, perijsti.

Tum à peccato lapsus, quod scilicet dum citò per pœnitentiam non diluitur (*Vt ait S. Greg.*) mox suo pondere ad aliud trahit. Cuius rei exemplum habemus in Dauid, qui post adulterium, mox commisit homicidium: & in Iuda, qui post furtum tradidit Christum; & post Christi traditionem, procurauit sibi suspensionem.

CONSCIENTIA his conuicta, arguit animam: quod dum bona cupit, à malis efficaciter non recedit. VOLVNTAS proposita sua serio confirmat, &c.

In quarta consideratione.

RATIO quærit. Pro quolibet mortali peccato, & maximè pro peccato recidiuationis, quotupliciter homo in præsenti vita punitur? Respondet SYNTERESIS. Triplicitei, pœnâ

pœnâ videlicet priuationis, pœnâ afflictionis, & pœnâ obstinationis. *Pœnâ priuationis* recidiuus punitur, dum omnia dona gratuita cum omnibus suis meritis perdit, iuxta illud *Eccl.* 9. Qui in vno peccauerit, multa bona perdet. Et *Ezech.* 18. Si auerterit se iustus à iustitia sua & fecerit iniquitatem: omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur. *Dum quoque* omnia bona opera eius, quæ in peccato facit, non acceptat Deus ad meritum vitæ æternæ, iuxta illud 1. *Cor.* 13. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. *Dum etiam* anima recidiui, imagine ac similitudine Dei insignita, iam transformatur in imaginem ac similitudinem diaboli; & ex amica ac filia Dei, efficitur amica & filia diaboli, per illius imitationem, iuxta illud *Ioan.* 8. Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. *Dum deniq;* recidiuans deletur de libro electorum Dei, & alius pro eo eligitur ac inscribitur; vt coronam eius, gratiæ nimirum Dei, ac aliorum donorum spiritualium in præsenti, & gloriæ in futuro accipiat, iuxta illud quod dicitur *Apoc.* 3. Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. *Ita enim* è quadraginta Martyribus, in stagnum gelidum ob Christi fidem coniectis, cùm vnus vim frigoris non ferens deficeret, & ex stagno exiliret, mox Deus in

locum illius custodem Martyrum surrogauit; vt apostatæ coronam acciperet, quod ipsum Martyres obsecrauerant. *Ita etiam* deficiente Sapritio, Nicephorus gratiâ Dei excitatus martyrio se obtulit, ac sui aduersarij coronam obtinuit. *Ita quoque* S. P. Francisco promisit Christus, dum eum orantem cerneret nimis tristari, eò quod aliqui sui fratres deficerent ac recidiui fierent. Quid turbaris Francisce, aut quid angeris, cùm tuorum fratrum quispiam, vel ordinem deserit, vel in ordine scandalum concitat? An fortè existimas ita te rectorem huius gregis constitutum, vt non me intelligas superiorem eius esse rectorem? quis eum plantauit, nisi ego? aut quis præter me homines ad pœnitentiam vocat, vel vocatis perseuerandi vires suppeditat? Ego eos perduxi, ego eos retinebo & seruabo: ego illis cadentibus alios erigam atq; substituam; ac, si vnus ad vomitum redeat, ego in eius locum alterum excitabo, qui illius coronam accipiat; isque si nondum natus fuerit, efficiam vt nascatur: quod si tres tantum in ea permanserint, eos ipsos nunquam deseram, sed erit hæc semper familia mea. *hæc D. Bonauentura.*

Pœnâ afflictionis recidiuus punitur, dum suis proprijs passionibus indomitis, & malæ conscientiæ morsibus, iusto Dei decreto excruciandus traditur: quem cruciatum expertus est Cain, cùm diceret *Gen.* 4. Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar

dar (*id est*, omnem peccanti mihi adimis consolationem, humanam videlicet ac diuinam) & ero vagus & profugus in terra. *quasi sub nullius cura, potestate, ac protectione.* Vel vt *Sept.* legunt. Et ero gemens & tremens, gemens videlicet ex apprehensione pœnæ in præsenti mihi inflictæ, ac in futuro infligendæ: & tremens, tum animo, tum corpore, ex mala & desperata conscientia. Et hoc est, quod dicitur *Prou.* 28. Fugit impius nemine persequente, iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit. Et *Sap.* 17. Frequenter enim præoccupant pessima, redarguente conscientia. Cùm enim sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis condemnata: semper enim præsumit sæuâ, perturbata conscientia. Et ab *Ansel.* Conscientia impiorum magna pœna est: piorum verò magnum gaudium. Et ab *Isid. lib.* 3. *de summo bono.* Nulla pœna grauior, pœnâ conscientiæ: vis autem nunquam esse tristis? bene viue. Secura mens tristitiam leuiter sustinet. Bona vita, gaudium semper habet. Conscientia autem rei, semper in pœna est: nunquam securus est reus animus; conscientiæ proprijs agitatur stimulis.

Pœnâ obstinationis ac obcæcationis recidiuus punitur, dum iustè à Deo sic deseritur, vt amplius ab illo efficaci auxilio ad resurgendum non præueniatur, & consequenter in alia peccata magis ac magis labi permittatur,

iuxta illud *Psal.* 8. Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis. Et *S. Greg. lib.* 24. *in Moral.* Peccatum quod ex peccato oritur, non iam peccatum tantummodo, sed & peccatum est, & pœna peccati: quia iusto iudicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, vt præcedentis peccati merito, etiam in alia cadat; vt qui malum sciens perpetrat, deinceps iustè in alia etiam nolens cadat. Et *Isid. de summo bono,* Quatuor modis (*id est,* quatuor gradibus) peccatum perpetratur in corde; quatuor consummatur in opere. In corde namque suggestione, delectatione, consensu, & defensionis audacia perpetratur. Fit enim suggestio per diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum, defensionis audacia per elationem. Quatuor modis peccatum consummatur in opere. Prius namque latens culpa agitur: postmodum etiam ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur: deinde in consuetudinem ducitur: ad extremum quoque, vel falsæ spei seductionibus, vel obstinatione miseræ desperationis enutritur.

Nota autem, obstinatum idem esse, quod tenacem mali propositi, ac obfirmatum in malo concepto. *Nota* deinde tres esse species obstinatorum. *Prima* eorum est, qui commoniti, promittunt emendationem, sed non faciunt. nam vt ait *S. Greg. lib.* 24. *Moral.* Vsitata culpa obligat mentem, vt nequaquam

surgere

surgere possit ad rectitudinem; conatur & labitur: quia vbi sponte diu persistit, ibi & cùm noluerit, cadit. *Idem lib. 7. Moral. cap. 12.* Reprobi recta quidem deliberando appetunt, sed ad consueta semper mala recurrunt. *Et infra.* Bona quidem cupiunt, sed à malis nunquam recedunt. Esse quidem humiles, sed sine despectu: esse contenti proprijs, sed sine necessitate: pauperes esse volunt, sed sine defectu: esse casti, sed sine maceratione corporis: esse patientes, sed sine contumelijs volunt: cùmque adipisci quærunt virtutes, sed labores virtutum fugiunt; quid aliud, quam & belli certamina in campo nesciunt, & triumphare in vrbibus de bello concupiscunt.

Secunda species eorum est, qui commoniti salutari exhortatione, aut paternâ correptione, minimè permouentur ad sui emendationem. Vnde *S. Aug. de agone Christi tom. 3. cap. 31.* Nolentes se si peccauerint corrigi, nihil aliud elegerunt, nisi cum hoc mundo damnari. *Idem de fide ad Petrum.* Obduratè viuit, siue qui non conuertitur, desperans de indulgentia peccatorum suorum; siue qui sic de misericordia Dei sperat, vt vsque in finem vitæ suæ in suorum criminum peruersitate permaneat. *Tertia* est eorum, qui correpti deteriores fiunt. Vnde *S. Greg. lib. 10. Mor. cap. 3.* Praui audire bona patienter nequeunt: & cùm vitæ emendationem negligunt, ad verba se obstinatæ responsionis accingunt.

Et *D.Bern. de conf. lib.* 1. Quid eſt cor durũ? ipſum eſt, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus: minis non cedit, flagellis duratur: ingratum ad beneficia, ad conſilia infidum, ad iudicia ſæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula.

CONSCIENTIA his perterrita, voluntatẽ seriò monet, vt cautè in via ſpirituali incedat, & cum timore ac tremore ſalutem ſuam operetur. VOLVNTAS de ſuis deſperans viribus, ac nimis coram Deo ſeſe humilians, affectuoſiſſimè & confidentiſſimè poſtulat ab eo cæleſte auxilium contra omne huiuſmodi peccatũ.

In quinta conſideratione.

RATIO quærit. Quomodo vulnera peccati mortalis ſanantur? Reſpondet SYNTERESIS. Duo ſunt in peccato, culpa videlicet & pœna, quod vtrumque curatur per baptiſmum: ſed in regeneratis, peccatum quantum ad culpam curatur per pœnitentiam: iuxta illud *D. Aug. de pænit.* Pœnitentia languores ſanat, leproſos curat, & mortuos ſuſcitat; ſanitatem auget, gratiam conſeruat, &c. Vnde *Ezech.* 18. Si impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iuſtitiam, vitâ viuet. Et *cap.* 33. Viuo ego dicit Dominus Deus: Nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à

via sua, & viuat. Conuertimini, conuertimini à vijs vestris pessimis; & quare moriemini? Et *Luc.* 5. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Et *Act.* 3. Pœnitemini igitur & conuertimini, vt deleantur peccata vestra. Et 1. *Ioan.* 2. Filioli mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis (*primò quidem*, peccatis venialibus; quæ licet omnia collectim vitare sit impossibile, singula tamen distributiuè vitare possibile est; præsertim ea, quæ non ex subreptione, sed præuia animaduersione, ideòque deliberate committuntur: *secundò*, vt non peccetis, peccato scilicet lapsus mortalis: *tertiò*, quouis nimirum peccato recidiuationis) sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, IESVM Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

Pœnitentia, quâ peccata curantur duplex est, interior nimirum & exterior: *Pœnitentia exterior* illa est, in qua Sacramenti ratio consistit; & habet externas quasdam res sensibus subiectas, quibus declarantur ea, quæ interius in anima fiunt; diciturque pœnitentia Sacramentalis, seu pœnitentia vt Sacramentum. *Pœnitentia interior, alias pœnitentia Virtutis*, seu pœnitentia vt virtus, illa est, cùm ad Deū nos ex animo conuertimus, & commissa à nobis scelera detestamur, & odio habemus: malamque vitæ consuetudinem, corruptosque mores emendare seriò statuimus, cùm spe

veniæ à Dei misericordia consequendæ. Vel pœnitentia interior seu virtutis nihil aliud est, quàm habitualis & actualis detestatio peccatorum solius Dei causâ, quam sequitur dolor sensualitatis, tristitia Spiritus, pudor ac erubescentia in vultu, mortificatio in corpore, & sufferentia humilis ac patiens aduersitatum seu quarumuis pœnalitatum in vindictam culpæ commissæ. Est autem detestatio peccatorum, idem quod volitio, quâ voluntas efficaciter vult in se punire peccatum: & nolitio, quâ voluntas non vult peccatum commisisse ac committere in æternum.

Pœnitentia igitur præsens interior, seu virtutis, tres requirit conditiones: *primò*, vt sit tempestiua sine dilatione: *secundò*, vt sit continua sine interruptione: *tertio*, vt sit perpetua sine cessatione.

Quod autem pœnitentia virtutis debeat esse tempestiua sine dilatione, patet *Eccl.* 5. Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Et apud *D. Aug. serm.* 36. Age pœnitentiam dum sanus es, si sic agis dico tibi quod securus es, quia pœnitentiam egisti eo tempore, quo peccare potuisti. Si vis agere pœnitentiam quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt non tu illa. Quod etiam debeat esse continua sine interruptione, hoc patet *Ioan.* 8. Vade, & amplius noli peccare. Vnde *S. Greg.*

Pœni-

Pœnitentiam agere eſt, & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare: nam qui ſic alia deplorat, vt tamen alia committat; pœnitentiam agere aut ignorat, aut diſſimulat. Et *S. Hier.* Reſurrectio ſpiritualis, quæ eſt pœnitentia, debet eſſe cum Chriſto ſemper victuro, non cum Lazaro iterum morituro. Et *S. Iſid.* Irriſor eſt non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœniteat.

Quod denique debeat eſſe perpetua ſine ceſſatione, patet apud *S. Bonau. in Confeſſ. cap. 4. part. 3. Vbi dicitur.* Pœnitens toto vitæ ſuæ tempore de peccatis pœniteat præteritis, & propoſitum habeat in futuris ſemper abſtinendi: vnde pœnitere eſt pœnam tenere, vt ſemper puniat in ſe vlciſcendo, quod commiſit peccando: ille pœnam tenet qui ſemper vindicat, quod ſe commiſiſſe dolet, vbi dolor finitur, deficit & pœnitenria. Et *Hugo.* Pœnitentia appellata eſt quaſi punientia, eo quod homo in ſe pœnitendo punit, quod malè admiſit. Et *S. Auguſt.* Pœnitens ſemper doleat, & de dolore gaudeat; & non ſemper ſe doluiſſe doleat.

Porro pœnitentia virtutis duplex eſt, *ordinaria* & *extraordinaria.* Pœnitentia ordinaria, alia eſt *neceſſitatis*, quæ deteſtatur, abominatur, & fugit omnia & ſingula peccata mortalia, ſupra omnia huius mundi deteſtabilia, abominabilia & fugibilia, confusè ſcilicet apprehenſa; ac omnem deſerit proximã

peccandi occasionem: & talis pœnitentia communis est omnium fidelium iustorum. Alia est *supererogationis*, quæ detestatur, abominatur, & fugit eadem peccata supra omnia huius mundi detestabilia, abominabilia, & fugibilia, distinctè scilicet apprehensa; & deserit quamuis remotam peccandi occasionem: & hæc pœnitentia, specialis est ac propria bonorum religiosorum.

Pœnitentia extraordinaria illa est, quæ detestatur, abominatur, & fugit peccata supra omnia futuri sæculi detestabilia, abominabilia, & fugibilia, fide scilicet credita. Vnde hæc est differentia inter *ordinariam* & *extraordinariam* pœnitentiam, quia illa detestatur peccata supra omnia mala naturalia; hæc verò supra supernaturalia, vt sunt pœnæ infernales: quæ quidem detestatio, alias mystica resolutio ac resignatio appellatur. Ad eandem quoque extraordinariam pœnitentiam spectat, manifestatio superiori suo propriæ conscientiæ, ea scilicet ratione, vt secundum illam ipse manifestans exterius gubernetur; nec non, cuiusuis publicæ solemnisuè punitionis, ac alias raræ confusionis, grata acceptatio, iuxta illud *S. Amb.* Qui pœnitentiam agit, paratus debet esse ad opprobria perferenda, iniuriasque subeundas; nec commoueri, si quis ei peccati sui crimen obijciat.

Hinc est, quod peccata simplicia (quibus, puta, quocunque modo peccatur ante veram supere-

supererogationis conuersionem) asceticè curantur, pœnitentiâ ordinariâ, ac maximè speciali. Peccata verò recidiuationis (quibus post veram supererogationis conuersionem peccatur, ex certa nimirum scientia, plena voluntate, ac plena libertate) non nisi per pœnitentiam extraordinariam asceticè curari possunt. Tunc autem asceticè peccata curantur, quando non solum gratia Dei recuperatur, verum etiam quando in æternum re ipsa omnino deseruntur, & effectus illorum (vt sunt principia politica, & habitus praui) ac ipsæ radices (vt sunt vitia innata, propria voluntas, proprium iudicium, & proprius amor) satis bellè purgantur.

Quantum verò ad pœnam, peccatum curatur quinque modis in regeneratis, vt docet *D. Bonau. cent. part.* 1. *sect.* 6. *Primò*, per martyrium, si quis illud propter fidem, vel obseruantiam mandatorum Dei, vel cultum alicuius virtutis, ab aduersarijs sustinuerit. *Secundò*, per eleemosynam. Vnde *Daniel.* 4. Peccata tua eleemosynis redime. Et *Tob.* 4. Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat. Et *Eccl.* 3. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. *Tertiò*, per dimissionem iniuriæ sibi à proximo factæ. Vnde *Luc.* 6. Dimittite, & dimittemini. *Quartò*, per conuersionem proximorum ad pœnitentiam. *Quintò*, per dignam Eucharistiæ sumptionem.

Conscientia his auditis, vel hilareſcit de ſuæ voluntatis pœnitentia, ſi eam eſſe ſinceram experitur; vel voluntatem corripit ac pungit, ſi in quo deficere illam aduertit. Volvntas compuncta, imitatur *tum* Regis Ezechiæ pœnitentiam, in intimo ſui cum illo dicendo. Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ. *Tum* filij prodigi dicentis. Pater peccaui in cælum & coram te, & iam non ſum dignus vocari filius tuus. *Tum* publicani agentis. Deus, propitius eſto mihi peccatori. *Tum* S. Petri foras egreſſi, à tumultu videlicet mundanorum, ac in ſe reuerſi, & peccatum ſuum deflentis. *Tum* M. Magdalenæ, pedes Domini deoſculantis, & lachrymis rigantis, & capillis tergentis. *Tum* latronis à dextris Chriſti pendentis, & Dominum obſecrantis. Memento mei Domine in regno tuo.

In ſexta conſideratione.

Ratio quærit. Quam ob cauſam Deus creauit hominem peccabilem; cùm alias ſummo odio habeat peccatum? Reſpondet primò Synteresis. rationibus octo D. Bonauenturæ, quæ habentur *lib.* 2. *Theol. Verit. cap.* 65. *Prima* eſt ratio, vt nimirum oſtendatur Dei potentia, qui ſolus inuertibilis eſt, omnis autem creatura vertibilis. *Secunda*, vt declaretur Dei ſapientia, quæ de malo ſcit elicere bonum: quod non potuiſſet fieri, niſi

Deus

Deus fecisset creaturam vertibilem in malũ. *Tertia*, vt manifestetur Dei clementia, quâ Christus per mortem suam, hominem perditum liberauit. *Quarta*, vt ostendatur Dei iustitia, quâ non solum reddit bonis præmia, sed etiam malis supplicia. *Quinta*, vt homo non sit peioris conditionis, quàm aliæ creaturæ, quas Deus omnes sic administrat, vt eas proprijs motibus agere sinat: vnde & hominem in proprio arbitrio relinquere debuit. *Sexta*, vt homo habeat laudem: laus enim est viri iusti, qui potuit transgredi & non est transgressus. *Septima*, vt decor virtutis appareat ex vitij turpitudine: quia opposita iuxta se posita, magis elucescunt: vnde & mali bonos commendant ad inuicem comparati. *Octaua* ratio est, vt boni exercitentur, & probentur per malos.

Respondet secundò. Quamuis Deus hominem creauerit peccabilem, tamen hoc ipso non necessitat eum ad peccandum, nec eum peccare vult, nec est eius peccati causa: *quod probatur primò*: quia Deus alias non odisset peccatum, quod quidem odit, & consequenter ipsum etiam peccatorem detestatur, iuxta illud *Sap.* 14. Odio sunt Deo & impius, & impietas eius. *Secundò*, quia præcipit homini non peccare: vt patet *Eccl.* 15. Nemini mandauit Deus impiè agere. *Tertiò*, quia peccanti pœnas promittit. Vt est *Eccl.* 12. Impijs & peccatoribus reddet vindictam. Et *Psal.* 10.

Pluet super peccatores laqueos. *Quartò*, quia ei qui fugit peccatum præmia pollicetur. *Sap.* 5. Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum. *Quintò*, quia dedit ei liberum arbitrium, seu liberam voluntatem, vt possit nolle peccare. Vnde *S. Bern. de lib. arbitr.* Posse peccare, datum est primo homini, non vt proinde peccaret, sed vt gloriosior appereret, si non peccaret, quum peccare posset. *Idem.* Quare peccas? quia nescis quid facias? absit: quia cogeris, vt facias? absit: sed quia placet, vt sic facias. Et *S. Aug. lib. 2. de ciuit. Dei.* Nemo quærat efficientem causam voluntatis malæ: non est efficiens, sed deficiens: quia malum non effectio, sed defectio est.

Sextò, quia Deus quamuis concurrat ad omnem actum humanum; nam absque eius concursu nihil vnquam in vniuerso fieri potest: non concurrit tamen ad formale nisi ad materiale actus peccaminosi; quia formale peccati non est quid positiuum, sed est defectus in anima rationali debitæ rectitudinis, seu priuatio speciei, modi & ordinis. *Septimò* probatur, quia Deus quamuis nolit esse hominem naturaliter impeccabilem, vult tamen eum esse impeccabilem moraliter: quod fieri potest, si etiam homo id ipsum voluerit, ac seipsum aliquomodo ad gratiam huiusmodi accipiendam suo studio disposuerit, datæque sibi gratiæ fideliter ac stabiliter cooperatus fuerit.

fuerit. Vnde 1. *Ioan.* 3. Omnis qui natus est ex Deo (*per gratiam iustificantem*) peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare. *Semen Dei* puta esse gratiam efficacem, ex qua quasi ex semine pullulant virtutes, ac bona opera & merita. *Item, semen Dei*, puta esse inspirationes diuinas, quas Deus mediante gratia sua per fidem & alia dona Spiritus sancti inspirat menti, quibus dum intendit homo, excludit omne semen diaboli, *id est*, omnes diabolicas suggestiones ac obiectorum appetibilium repræsentationes, & sic non potest peccare, quamdiu videlicet diuinarum inspirationum sequitur ductum, & gratiæ Dei fideliter cooperatur.

CONSCIENTIA his assentiens conquiescit. VOLVNTAS iudicia Dei admiratur, laudat, ac superexaltat; & efficaciter seu seriò, ac intensè vult cum auxilio Dei fieri impeccabilis.

PRAXIS VI.

Mysterium huius vitæ miseriarum asceticè meditandi.

In prima consideratione.

RATIO quærit. Quis est in hoc mundo omnium viuentium miserrimus? Respondet SYNTERESIS dicens primò. Omniũ viuentium miserrimus est homo, puta in natiuitate, in vita, & in morte: *In natiuitate quidem,*

quidem, quia omnia animalia communiter veſtita pelle, lanâ, ſquammis & his ſimilibus naſcuntur, ſtatimq; vt plurimum natare, ambulare, & neceſſaria vitæ ſuæ quærere ſciunt; homo verò nudus de vtero matris ſuæ egreditur, & nihil aliud ſcit niſi flere ac miſeriam ſuam deplorare, iuxta illud *Iob.* 1. Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ. Et *Sap.* 7. Primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans. *In vita etiam miſerrimus eſt*, quia multa animalia hominem adultum ſuperant fortitudine corporali, agilitate, ſagacitate, ſeu calliditate ac ſimilibus, vt leo, vrſus, vulpes. &c. Nec non perſpicacius illo vident, vt linx, aquila: melius audiunt, vt lepus: acutius odorantur, vt canis: maiorem delectationem guſtu percipiunt, vt lupus: maioremq; voluptatem in ſenſu tactus experiuntur, quàm homo; quia carent ſynteréſis ac conſcientiæ remorſu: & vice verſa, in eodem ſenſu tactus, minorem dolorem patiuntur; quia non reflectunt ſe ſic ſupra ſuas præſentes miſerias, nec futuras apprehendunt veluti homo. *In morte tandem* miſerrimus eſt homo omnium animalium, dum videlicet in peccato mortali hinc migrat: quia illorum miſeria ſi eſt aliqua, morte terminatur; hominis verò in æternum non finienda, de nouo inchoatur. quâ quidem ſuâ miſeriâ æternâ ſuperat miſerrimus homo, ipſam etiam miſeriam diaboli: quia diabolus hominem à ſe ſeductum, & ſe-

cum

cum condemnatum, adhuc torquebit, ac insuper in summis afflictionibus positū irridebit.

Respondet secundò. Omnium hominum miserrimus est ille homo, qui excæcatus sui amore non agnoscit se esse miserum, sed vice versa per arrogantiam putat se esse felicem, iustum, eruditum, magnum, &c. Cui illud dicitur *Apoc.* 3. Dicis, quod diues sum, & locupletatus & nullius egeo: & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Et *Galat.* 6. Si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit; ipse se seducit. Et 1. *Cor.* 8. Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognouit, quemadmodum oporteat eum scire.

CONSCIENTIA infert, veteri suo homini dicens. Tu es talis, &c. VOLVNTAS profundè se humiliat, &c.

In secunda consideratione.

RATIO quærit. Quæ & quot sunt miseriæ hominis in hoc sæculo? Respondet SYNTERESIS multas esse, iuxta illud quod ait *S. Iob. cap.* 24. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs. vtpotè animæ & corporis. *S. Bonau.* quatuor genera miseriarum animæ, & corporis octo assignat. Miseriæ corporis sunt, esuries & sitis, frigus & calor, labor & dolor, mors & incineratio.

Miseriæ animæ sunt, fragilitas & ignoran-

tia,

tia, concupiſcentia & malitia. *Fragilitas* communiter idem eſt quod infirmitas & impotentia animi aut liberi arbitrij: eſt autem liberum arbitrium idem realiter quod voluntas, ſecundum quod in ea eſt virtus intellectus: vel idem eſt ac facultas voluntatis & rationis. Sed ſpecialiter *fragilitas* illud eſt, ſecundum quam procliues ac propenſi ſumus ad peccandum: impotentia illud eſt, propter quam non ſumus ſufficientes ad reſurgendum ex peccato: infirmitas illud eſt, ob quam inſtabiles ſumus in bono. Eſt igitur *infirmitas* idem quod inclinatio voluntatis, profecta vel à timore immoderato alicuius rei damnoſæ, vel ab amore inordinato alicuius rei vtilis, contra rectum & honeſtum. *Ignorantia*, idem eſt oculo mentis, quod ſunt tenebræ & falſa lux (vtpotè, ligni putridi, &c.) oculo ſenſus. Et inde eſt quod homo qui ſibiipſi complacet in tenebris ignorantiæ ambulans, falſum & malum facilè æſtimat eſſe verum & bonum; ac vice verſa, verum & bonum, iudicat eſſe falſum & malum: & ſic in ſuo ſenſu ac arbitrio miſer comprehenditur, iuxta illud *Eccl.* 9. Neſcit homo finem ſuum, ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & aues laqueo, ſic capiuntur homines in tempore malo. *Concupiſcentia*, eſt pronitas carnis ſeu ſenſualitatis, ſollicitans voluntatem in delectabile contra honeſtum. Vnde *Iac.* 5. Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua. Et *Rom.* 7. Video aliam

legem

legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Hæc concupiſcentia ſignificat aliquando habitum prauum, aliquando potentiam animæ, aliquando eiuſdem potentiæ actum. *Malitia*, vt prauus quidam habitus innatus, eſt pronitas liberi arbitrij in malum. Vnde *Gen.* 8. Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Vt autem eſt habitus prauus acquiſitus, ſic definitur à *D. Amb.* Malitia eſt mentis atq; animi deprauatio, à tramite veritatis deuia. *Malitia* verò in actu, eſt ſapor mali. iuxta *D. Bonau.* vel iuxta *Rich. Malitia actualis* eſt ex propoſito & deliberatione, malo cognito, prono animo conſentire. His miſerijs repletos ſe eſſe agnoſcentes ſancti Dei, nimis ingemiſcebant. vt eſt *Pſal.* 114. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. Et *Rom.* 7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.

CONSCIENTIA harum miſeriarum experientiam habens, reſponſionem ſupra dictam approbat. VOLVNTAS nimis oppreſſa tantis malis, ingemiſcit coram Deo, perſeueranter cupiens, ac patienter expectans eius liberationem & conſolationem.

In tertia conſideratione.

RATIO quærit. Pro quo huiuſmodi miſerijs in hac vita replemur ac punimur? Reſpondet SYNTERESIS. Pro peccato originali,

ginali, quod omnes ex Adamo vitiata origine nostra contrahimus, iuxta pactum à Deo cum illo factum. Vnde est illud *Rom* 5. Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors (*cum suis praambulis, multarum miseriarum*) pertransijt, in quo (*id est*, in isto vno homine) omnes peccauerunt. Quia (vt ait *D. Aug.*) omnes homines fuerunt ille vnus homo, scilicet Adam. Quod intellige, non formaliter, sed originaliter, radicaliter, seminaliter, & repræsentatiuè: quia omnes homines, in primo illo homine, quasi radice, parente ac principio suo, contenti ac comprehensi fuerunt; quodque Adam fecit, omnes eius posteri fecisse censentur. Adam enim, vt pater & princeps, omnes suos posteros repræsentabat, sicut rex repræsentat regnum, & magistratus repræsentat ciuitatem.

Iam igitur est, quod nos omnes filij Adam infecti peccato originali, & consequenter priuati rectitudine originalis iustitiæ, merito affligimur præsentis vitæ miserijs. *Pro auersione* enim primi parentis nostri à Deo (per transgressionem præcepti eius diuini) vt summa felicitate & vita immortali, quamuis incurrimus miseriam corporalem cum ipsa morte. *Pro auersione* verò à Deo, vt summa virtute ac potentia; & pro conuersione ad creaturam ex nihilo factam, ac per se subsistere impotentem, incurrimus fragilitatem, impoten-

potentiam, & infirmitatem liberi arbitrij. Pro auerſione *quoque* à Deo, vt ſumma veritate ac ſapientia; & pro aſſenſu perſuaſioni diabolicæ, incurrimus bonorum ſpiritualiũ ac cæleſtium ignorantiam. Pro auerſione *denique* à Deo, vt ſumma bonitate; & pro conuerſione ad bonum commutabile per indebitum amorem, incurrimus malitiam. Pro auerſione *tandem* à Deo, vt ſummo delectabili; & pro conuerſione ad ſenſualem vetitam voluptatem, incurrimus concupiſcentiam, ac rebellionem ſenſualitatis aduerſus ſpiritum.

CONSCIENTIA infert. Si tot ac tantas miſerias, per tot millia annorum omnes homines, iuſto Dei iudicio oporteat pati pro vnico Adæ peccato; quid tibi anima mea patiendum erit in futuro ſæculo, pro tuo proprio actuali ac voluntario? VOLVNTAS recuſat peccati voluptatem, dicens in ſui intimo. Non emo tantillam delectationem, æterno pœnitere, &c.

In quarta conſideratione.

RATIO quærit. A quo miſeriæ homini veniunt, magiſq; ac magis multiplicantur? Reſpondet SYNTERESIS. Veniunt à Deo, à proprijs concupiſcentijs, & à peruerſa voluntate.. *A Deo* quidem miſeriæ veniunt hominibus ob rationes ſeptem, quæ habentur apud *D. Bonau. lib.* 1. *Theol. Verit. cap.* 33. *Primò*, punitur & affligitur aliquis homo in præſenti

præsenti vita varijs miserijs propter seipsum, vt scilicet peccatum præteritum in eo purgetur. Vnde *Ioan.* 5. Ecce sanus factus es, vade & amplius noli peccare. *Secundò*, vt propter peccatum perpetuò crucietur, tam in præsenti quàm in futuro. Exemplum habes, de Antiocho & Herode. *Tertiò*, vt culpam declinet. Vnde *S. Paulus* 2. *Cor.* 11. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulis carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet. *Quartò*, vt gloriam in futuro accipiat. Vnde *Act.* 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum. In primis duabus caussis exercet Deus iustitiam; in duabus sequentibus misericordiam. *Quintò*, affligitur quis præsentibus miserijs propter Deum, vt scilicet Deus glorificetur. Vnde *Ioan.* 9. Neque hic peccauit neque parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo. *Sextò*, punitur quis propter proximum, vt scilicet ædificetur. Sic fuit punitus Tobias & Iob, vt alijs daretur exemplum patientiæ. *Septimò*, iusto Dei iudicio puniuntur, qui vel concessis abutuntur vt Adam: vel non concessa rapere conantur, vt Luciper.

Deinde multiplicantur miseriæ ac veniunt homini, à proprijs eius indomitis concupiscentijs. Appetere enim bona sæculi huius, & assequi non posse, magna est miseria: sed maior, appetere & assequi: maxima autem

coactè

coactè possessa perdere. Vnde *Eccl.* 10. Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere: Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis. Et *S. Bern.* Si sapis, si habes cor, si tecum lumen est oculorum tuorum, desine iam & ea sequi, quæ & consequi miserum est: beatus qui post ea non abijt, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. *Idem.* Ecce huius mundi amatores nundinas huius sæculi perambulant, alij diuitias, alij honores, alij gloriam quærentes. Sed quid de diuitijs dicam? quæ cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore amittuntur. Quid de honore referam? in loco sublimi positus es, nunquid non eris iudicandus ab omnibus, lacerandus ab omnibus: nunquid in honore sine dolore, in prælatione sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate esse quis poterit. Quid de gloria dicam? nihil aliud est, nisi vana quædam animi inflatio: nunquid & ipsa est sine iudicio: respice quos antecedis, & cogita quia in omnibus inuidiæ semina præbes. Toties angelo apostatæ similis esse volo, quoties præesse desidero. *Idem de sapientia mundanorum.* Heu quot & quantos mundi maledicta sapientia supplantauit, & conceptum in eis diuinum extinxit spiritũ, quem vehementius accendi Deus voluit. Et *S. Aug.* Qui crescit in sapientia, & non in bona vita, elongatur à Deo, tu ergo si sapiens

esse desideras, discas in terris, quorum scientia perseueret in cælis. *Idem.* Infelix homo qui scit omnia alia, te autem Domine IESV nescit: Beatus autem qui scit, etiamsi alia nesciat: Si autem te & alia nouit; non propter illa beatior, sed propter te solum beatus.

Tandem multiplicantur ac veniunt homini præsentes miseriæ à propria eius voluntate. Vnde *S. Aug. lib. de Virg.* Qui nequiter vult viuere, non ne tantò miserior esse conuincitur, quantò facilius mala eius voluntas impletur. *Idem lib.* 13. *de Trinit.* Mala voluntate non solum quisque miser efficitur, sed miserior potestate, quâ desiderium malæ voluntatis impletur. Et *S. Hier. in Epist.* Apud Christianos non qui patitur, sed qui facit iniuriam miser est.

CONSCIENTIA his conuincitur. VOLVNTAS laudat & superexaltat iudicia Dei, appetitus suos mortificare seriò proponit, & seipsam abnegare vult efficaciter.

In quinta consideratione.

RATIO quærit. Quomodo miserias huius vitæ vult nos Deus sufferre? Respondet SYNTERESIS dicens: gratanter, lætanter, humiliter, patienter, fortiter, & condolenter. *Primò* quidem præsentes miserias vult nos Deus sufferre gratanter; quia Deus optimus ac infinitè sapiens & misericors, melius nobis esse iudicauit, si permitteret nos cadere in origi-

originale peccatum, & consequenter in præsentes miserias, per primos parentes; quàm si permitteret, nos per nostram voluntatem ruere in peccatum actuale, quod necessariò sequerentur æternæ damnationis miseriæ. Nam si omnes nos homines simul creati fuissemus à principio mundi, sicut creati sunt Angeli; præuidit Deus ab æterno, stante nimirum libertate voluntatis nostræ, quod etiam omnes simul cum Adamo principe nostro, tempore tentationis ac probationis, in actuale peccatum corruissemus, & consequenter iusto Dei iudicio vna cum Lucifero ac angelis eius apostatis ad æterna supplicia, absq; vlla spe veniæ condemnari nos necesse fuisset. *Et quia* si in Adamo non peccâssemus, filius Dei homo ac frater noster non fuisset factus, quamuis hoc negent nonnulli Scholastici Doctores; sed sacra Scriptura & SS. Patres nullam aliam filij Dei incarnationis causam assignant, quàm nostram à peccato expiationem ac redemptionem. Audi *Symbolum Nicænum.* Qui propter nos homines, & propter nostrã salutem descendit de cælis. Hinc ex *S. Greg.* canit Ecclesia in benedictione cerei Paschalis. O verè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est! O felix culpa, quæ talem & tantum meruit habere redemptorẽ. *S. Aug. serm. 9. de verbis Apost.* Nulla (ait) causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos, tolle

vulnera, & nulla erit causa medicinæ. *S. Leo serm. 3. de Pent.* Si homo (*inquit*) non deuiásset, Creator creatura nonfieret; neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo Patri filius, formam serui, & similitudinem carnis peccati assumeret.

Secundò, miserias huius vitæ vult nos Deus ferre lætanter; quia licet secundum corpus ac sensualitatem ex passione miseriarum seu aduersitatum cruciemur; sed secundum spiritum ex apprehensione meriti ac præmij habemus vnde consolemur. Hinc est quod ait *Eleazarus*. 2. *Mach*. 6. Duros corporis sustineo dolores: secundum animam verò, propter timorem tuum libenter hæc patior. Similiter & alij sancti, dum paterentur aduersa propter Christi fidem, amorem, ac imitationem, carne quidem ingemiscebant, sed spiritu lætabantur, iuxta illud *Isa*. 24. Ingemuerunt omnes, qui lætabantur corde. Verum quia non rarò pluribus contingit, quod tantum sentiant corporis dolorem, vt omnem eorum superet apprehensionem futurorum, ac extinguat mentalem virtutis delectationé, & ideò infundit illis Deus tantam sensibilis deuotionis gratiã, per quam in passione miseriarum ac tribulationũ præsentium fortius ad diuina eleuentur & magis in Domino consolentur, quàm à corporalibus pœnis afficiantur ac deprimantur: & tunc anima eorum pro nihilo quasi habens corporis cruciatus,

ac omnes huius vitæ miserias, in magna exultat lætitia, illud inquiens *Psal.* 93. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.

Tertiò, miserias præsentes, vult nos Deus ferre humiliter, quia illæ nobis ab ipso tanquam medicinæ ad sanationem spiritualem ordinantur & applicantur: quos enim Deus ex beneficio suæ gratiæ humiliat, illos exaltat, iuxta illud *Eccl.* 7. Humiliat & exaltat circumspector Deus. Et *Prou.* 18. Antequam conteratur, exaltatur cor hominis: & antequam glorificetur, humiliatur. Et 1. *Petr.* 5. Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis. Humiliter autem miserias nostras sustinemus, si nimirum in afflictione nostra ad Deum per confessionē nostrorum malorū conuertimur. Vnde *Leu.* 26. Affligentur, donec confiteantur iniquitates suas, & malorum suorum recordentur, quibus præuaricati sunt in me. *Verum talis humiliatio* si est violenta & ficta, non valet ad salutē, qualis fuit Antiochi 2. *Mac.* 9. Qui humiliatus ad terram, in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans. *Et infra.* Orabat autem scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. *Si etiam est voluntaria*, sed imperfecta, seu non vt oportet, valet quidem ad salutem temporalem, sed non ad spiritualem ac

æternam, ſicut patet. 3. *Reg.* 21. Nonne vidiſti Achab humiliatum coram me: Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus eius. Et 2. *Paralip.* 12. Quia humiliati ſunt, non diſperdam eos. *Verum ſi eſt ſincera* & perfecta humiliatio, vtpotè charitati coniuncta: liberat hominem à malis temporalibus & ſpiritualibus, iuxta illud *Pſ.* 114. Humiliatus ſum & liberauit me. Et *Iob.* 22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.

Quartò, vult nos Deus ſufferre miſerias ac tribulationes huius vitæ patienter, tanquam nobis vtiliſſimas: *tum* quia tolerantia illarũ patientiam operatur (vt dicitur *Rom.* 5.) patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit. Vnde *Ecc.* 2. In humilitate tua patientiam habe, quoniam igne probatur aurum & argentum, homines verè receptibiles, in camino humiliationis. *Tum* quia per illarum tolerantiam ſurſum eleuamur in Deum. Vnde *S. Greg.* Mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. Et *S. Chryſoſt.* Sicut pluuia in terram deſcendens eleuat ſemina; ſic & tribulatio animam intrans, erigit deſiderium. *Tum* quia, vt ait *S. Greg.* Flagella bonorum, aut vitia perpetrata purgant, aut quæ poterant perpetrari deuitant. *Tum* quia, vt *Rom.* 8. dicitur. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et 2. *Cor.* 4. Id quod in præſenti eſt momen-

taneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis,

Quintò, vult nos Deus tolerare miserias & aduersitates nostras fortiter, perseueranter, & confidenter, quia per ipsius misericordiam ab eis cita nobis liberatio promittitur, iuxta illud *Eccl.* 2. Qui timetis Dominum, sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia. Vnde Dauid *Psal.* 24. Ad te Domine leuaui animam meam : Deus meus in te confido non erubescam : neque irrideant me inimici mei, etenim vniuersi qui sustinent te, non confundentut. Et *Psal.* 26. Expecta Dominum viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Et *Isa.* 30. In silentio & in spe, erit fortitudo vestra. Et *S. Greg. super Ezech.* Ille nouit in exterioribus miserijs subsistere, qui scit de spe interna, semper gaudere.

Sextò, vult Deus vt miserias nostras feramus condolenter, compatiendo nimirum alijs in ijsdem aut similibus miserijs & afflictionibus constitutis, iuxta illud *Matth.* 7. Omnia quæcunque vultis bona, vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis. *Rom.* 17. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. Vnde *S. Greg.* Compassio est, cùm malum inopiæ pro proximo non metuimus, vt eum à passione liberemus. *Idem.* Cùm alienæ infirmitati compatimur, valentius à nostra robo-

ramur; vt amore futurorum, mens ad præsentia aduersa se præparet, & cruciatus corporis, quos timebat, expectet.

CONSCIENTIA his conuicta, stimulat voluntatem ad horum executionem. VOLVNTAS omnes miserias, afflictiones & aduersitates huius conditionis, proponit ferre gratanter, lætanter, humiliter, patienter, perseueranter, & condolenter.

In sexta consideratione.

RATIO quærit. Quam ob causam Deus Saluator mundi, redimendo ac reparando genus humanum, miserias & afflictiones, quibus electi eius in hac vita repleti premuntur, non sustulit? quin imo, sæpè adhuc grauiores, vult eos ferre ac pati, (& hoc, ab ipsis etiam suis inimicis iniuriosè illatas) quàm impios? Respondet SYNTERESIS ad primã propositionis partem. *Primò*, non sustulit Saluator mundi nostras temporales miserias, nisi æternas: quia sic nobiscum suam facere proposuit misericordiam, vt nihilominus decretum ac statutum iustitiæ suæ diuinæ omninò permaneret inuiolatum, de quo *Heb. 9.* Statutum est hominibus semel mori. & per consequentiam, statutum etiam est hominibus pati miserias, quæ sunt præambula mortis. Vnde *Iob. 5.* Homo nascitur ad laborem, &c. *Secundò*, quia sic Christus satisfacere voluit pro peccatis nostris, quantum ad culpam & pœ-

& pœnam æternam, vt nihilominus mediante nostra in eum fide, istarum tolerantiâ temporalium miseriarum, nos etiam pro illis quantum ex nobis est satisfaceremus; ac huiusmodi nostrâ satisfactione, satisfactioni eius cooperaremur, iuxta illud Apostoli ad *Colos.* 1. Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi. Desunt autem passionum Christi, nostræ scilicet passiones, quibus per communicationem & participationem passionis ac meritorum Christi, pro nostris præuaricationibus satisfacere debemus. *Tertiò*, quia pater cælestis æterno statuit decreto, vt omnis quicunque vult similis esse filio eius in futura gloria, (iuxta quod dicitur 1. *Ioan.* 3. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est) prius in præsenti vita necessariò conformis ei efficiatur in sufferentia pœnalitatum, miseriarum, & aduersitatum, sicuti est *Rom.* 8. Quos præsciuit & prædestinauit (*ad gloriam futuram, illos voluit, in præsenti vita*) conformes fieri imaginis filij sui. *Quartò*, reliquit nobis temporales miserias Saluator noster postquam redemit nos, in signum suæ abominationis sempiternæ ac sui odij æterni, quod habet contra peccatum, quod est causa omnis nostræ miseriæ; vt & nos ob eius amicitiam & imitationem, simili odio illud habere in perpetuum recordaremur, iuxta illud *Psal.* 96. Qui diligitis Dominum, odite malum.

Respondet SYNTERESIS, ad secundã partem assumptæ propositionis. *Primò*, vult Deus non rarò grauiores miserias & afflictiones pati suos electos quàm impios, & hoc etiam ab ipsis impijs illatas: ita vt quodammodo videatur vias impiorum prosperare, & suorum electorum infortunare: quia donauit Pater æternus electis, non solum vt crederent in Christum filium suum, verum etiam vt paterentur pro illo. Vnde *Philip.* 1. In nullo terreamini ab aduersarijs, quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis, & hoc à Deo: quia vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini; idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc audistis de me.

Secundò, quia vt ait *S. Greg. in Moral.* Omnipotens electorum suorum aduersarios temporaliter permittit excrescere, vt per malorũ sæuitiam, purgetur vita bonorum. Nunquam quippè Dominus malos aduersari bonis permittet, nisi in quantum prodesse viderit: nam dum iniusti sæuiunt, iusti purgantur; & vtilitati innocentium, militat vita prauorũ; dum hanc & premendo humiliat, & humiliando semper ad melius format: quia mala reproborum, bonos dum cruciant, purgant; vtilitati iustorum, militat etiam potestas prauorum. Vnde *S. Aug. in Psal.* 84. Ne putetis gratis esse malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideò viuit

viuit vt corrigatur; aut ideò, vt per eum iustus exerceatur. Et *Dauid Psal.* 124. Non relinquet Dominus virgam peccatorum, super sortem iustorum (*non vigilare*) vt non extendant iusti, ad iniquitates manus suas,

Tertiò, quia sicut inter iustos nullus est, qui omni careat culpa (iuxta illud 1. *Ioan.* 1. Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est) pro qua non sit puniendus. Ita inter impios multi sunt, qui habent aliqua bona opera, pro quibus in præsenti vita, debetur illis remuneratio.

Quartò, D. August. Noli admirari frater, si postquam Christianus effectus es, mille te vndique tribulationes vexant. Quoniã Christus nostræ religionis caput est, nosque eius membra sumus; debemus ergo non solum eum, sed etiam eius vitam cumulatissimè sequi: vita enim Christi respersa fuit angustijs plurimis: summâ paupertate circumdatus, à Scribis & Pharisæis derisus, tandem propter nos peccatores morti turpissimæ traditus est. Vnde coniectura est, cùm te Deus immensis persecutionibus corripit, te in electorum suorum numero deputâsse: omnes enim qui ad paradisum redire desiderant, oportet transire per ignem & aquam, siue fuerit Petrus Apostolus, cui traditæ sunt claues regni cælorum, siue Paulus vas electionis, siue Ioannes, cui reuelata sunt secreta cælestia, necesse est, vt

omnes dicant. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ Dei. *Idem.* Transeunt in præsenti tribulationes & prospera cum tempore, sed cancellatis manibus more Iacob eadem redeunt sine fine mansura: vt hic tribulati & afflicti, sine fine gaudeant; iucundati verò & ditati, pænas æternas sustineant. Et *Vener. Beda.* Ne indignemini fratres, si mali in hoc mundo floreant,& vos patimini: quia non est Christianæ religionis in hoc mundo exaltari, sed deprimi: mali nihil habent in cælo, vos in mundo; sed spe illius boni ad quod tenditis, quidquid in via contigerit, gaudere debetis.

Quintò, quia electi,sublatis hisce miserijs, & non existentibus impijs ac persecutoribus, non possent erga Deũ tantum declarare suum amorem,quantum in præsenti declarant;siue nimirum cum propter eum suos diligunt aduersarios ac inimicos: iuxta illud *Matth.* 5. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, &c. Siue cùm varijs vexati aduersitatibus, in sua erga Deum fidelitate stabiliter persistunt: non enim gloriosum est iustis, si Deo seruiant solum in prosperis, quod etiam ipse diabolus de sancto Iob iudicauit; ac idipsum patet *Psal.* 48. Quia anima eius in vita ipsius benedicetur: confitebitur tibi cùm benefeceris ei. Vnde *S. Greg.* Pœna interrogat, si quietus quis veraciter amat. *Idem.* Sicut aromata fragrantiam suam, non nisi cùm incen-

incenduntur expandunt; ita ſancti viri, omne quod virtutibus redolet, in tribulatione innoteſcit. Et *S. Iſid.* Viri ſancti plus formidant proſpera quàm aduerſa: quia ſeruos Dei proſpera deiciunt, aduerſa verò erudiunt.

Sextò, vt inde conijciamus quantum impij in futuro ſæculo punientur, ſiquidem iuſti tantum in præſenti affliguntur. Vnde eſt illud 1. *Petr.* 2. Tempus eſt vt incipiat iudiciũ à domo Dei: Si autem primum à nobis, quis finis eorum qui non credunt Euangelio Dei? Et *S. Greg.* Cùm recognoſco Iob in ſterquilinio, Ioánnem eſurientem in eremo, Petrum extenſum in patibulo, Iacobum decolatum ab Herodis gladio; cogitò qualiter Deus in futuro cruciabit quos reprobat, qui ita durè affligit quos amat.

CONSCIENTIA approbat iudicia Dei æterna. VOLVNTAS ſubdens ſe humiliter diuinæ ordinationi, in actus pactorum reſoluitur, dicens. Amo tuam iuſtitiam. Amo tuam potentiam. Amo tuam ſapientiam. Amo tuã bonitatem. Amo tuam miſericordiam. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Omnia volo, nihil volo, in toto corde meo in æternum.

PRAXIS VII.

Myſterium humanæ mortis aſceticè meditandi.

In prima consideratione.

RAtio proponit. Quis morietur, vbi, quando, & quomodo? Respondet SYNTERESIS ad primum punctum dicens. Morietur omnis homo, iuxta illud *Psal.* 80. Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem? Et 2. *Reg.* 14. Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur. Et *Sap.* 7. Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus. *Ad secundum*, respondet incertum esse, quo in loco vnusquisque nostrûm moriturus sit. Vnde *Seneca.* Insidiatur tibi mors in omni loco: nescis enim quo loco mors te expectat; tu quoque si sapiens fueris, vbique eam expectabis. *Ad tertium ex D. August.* Nescis quâ horâ veniet: semper vigila, vt quod nescis quando veniet, paratum te inueniat, cùm venerit: & ad hoc fortè nescis quando veniet, vt semper paratus sis. Et ex *D. Bern.* Quid in rebus humanis certius est morte, quid incertius hora mortis inuenitur? Non miseretur inopiæ, non reueretur diuitias, non sapientiæ, non moribus non ætati denique parcit, nisi quod senibus mors est in ianuis, iuuenibus verò in insidijs. *Ad quartum* respondet, quod eo modo quisque morietur, quomodo & viuit. Vnde *S. Aug. de doctrina Christiana.* Non potest malè mori, qui benè vixerit: & vix benè moritur, qui malè vixit. Quod etiam probatur verbis Apostoli

postoli *Rom.* 8. Fratres debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis (*malâ morte*) moriemini: Si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis (*morte bonâ morientes*) viuetis.

CONSCIENTIA infert dicens. Tu es homo, qui tanquam stultus ac insipiens periturus, minimè cogitas te moriturum, qui longam tibi promittis vitam, qui carnis non animæ tuæ curam agis, qui potius leges mundi quàm Dei præcepta sectaris, qui pœnitentiã & emendationem tui procrastinas, donec illud tecum impleatur quod ait *Psalmista*. Simul insipiens & stultus peribunt. Insipiens enim es, dum carni ac sensualitati tuæ tanquam animal irrationale morem geris. Stultus verò, dum in hoc statu viuis, in quo non audes mori. Igitur nisi sensum tuum ac studium mutaueris in melius, morte improuisâ ac pessimâ morieris, iuxta illud 1. *Thess.* 5. Dies Domini sicut fur in nocte, ita & veniet; cùm enim dixerint pax & securitas, tunc eis repentinus superueniet interitus. VOLVNTAS suæ mentis insipientiã & stultitiam detestatur.

In secunda consideratione.

RATIO proponit. Quæ mala morienti impio homini, & quæ bona iusto, mors adferre solet? Respondet SYNTERESIS ad primam propositionis partem dicens. Multa

mala mors adfert homini impio, ſicut in eius perſona dicitur. *Pſ.* 39. Circumdederunt me mala quorum non eſt numerus. Iſta autẽ mala impij, alia ſunt quæ mortem præcedunt, alia quæ concomitantur, & alia quæ ſubſequuntur.

Mala mortem impij præcedentia, puta eſſe infirmitatem corporalem, homini in delicijs enutrito ac prauis ſuis affectionibus ſemper indulgenti, moleſtiſſimam; *nec non* timorem mortis vehementem; dolorem quoque ac triſtitiam de amiſſione bonorum temporalium animam nimis conturbantem; *ac tandem* amaram apprehenſionem æternæ damnationis. Vnde eſt illud *Eccl.* 41. O mors quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantijs ſuis. Et *Pſal.* 54. Cor meũ conturbatum eſt intra me, & formido mortis cecidit ſuper me. Et *Pſal.* 17. Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me: dolores inferni circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis.

Mala mortem impij hominis concomitantia, puta eſſe obliuionem ſui, ſeu, ſalutis æternæ; quæ quidem obliuio cauſat vel præſumptionem de miſericordia Dei, vel deſperationem, & conſequenter impœnitentiam finalem. Vnde in impij perſona dicitur *Pſal.* 30. Obliuioni datus ſum, tanquam mortuus à corde, *id eſt*, Per meas iniquitates, factus ſum obliui-

obliuiſcens mei, tanquam alienatus à mente. Hinc *S. Anſel.* Percutitur hâc animaduerſione peccator, vt moriendo obliuiſcatur ſui, qui viuus oblitus eſt Dei. *Deinde* occurſum terribilem dæmonum; qui ſub forma turpiſſima & horribiliſſima impio nonnunquam apparere ſolent, parati ad animam eius rapiendam. Vnde *S. Greg. in Moral.* Antiquus hoſtis ad rapiendas peccatorum animas tempore mortis crudeli effrenatur violentia; vt quos viuentes blanditijs deceperit, morientes ſeuerius rapiat. *hac ille.* O quàm horrendè tunc turbatur, ac amare intra ſeipſum gemit impius, videns quod propter momentaneam voluptatem, & æterna gaudia perdiderit, & pœnas infinibiles ſibi comparauerit! *Tandem* defectum omnium corporis ſenſuum, ac ipſam amaram à corpore ſeparationem, quam guſtans Agag Rex Amalech dixit 1. *Reg.* 15. Siccinè ſeparat amara mors.

Mala mortem impij ſubſequentia, puta eſſe, à ſpiritibus immundis infeliciſſimæ animæ comprehenſionem, & coram iudice Chriſto accuſationem, iuxta illud *Tren.* 1. Omnes inimici eius apprehenderunt eam inter anguſtias. *Deinde* eiuſdem animæ auditionẽ Chriſti verborum exprobratiuorum; & ſententiæ condemnatiuæ per tortores infernales executionem, iuxta illud *Matth.* 22. Ligatis manibus & pedibus mittite eum, &c. *Tandem*, corporis corruptionem & incinerationem,

iuxta

iuxta illud *Gen.* 3. Puluis es & in puluerem reuerteris. Et *Eccl.* 10. Cùm morietur homo, hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes. Vnde *S. Bern. in illud Psal.* Mors peccatorum pessima. Mala siquidem est (*ait*) in mundi amissione; peior, in carnis separatione; pessima, in vermis ignisque duplici contritione. *Idem.* Mors peccatorum pessima, quorum (*inquit*) & natiuitas mala (*ratione videlicet occasionum*) & vita peior. Respondet SYNTERESIS ad secundam propositionis partem, dicens: Mors iusto homini multa bona adfert, vt meritò illud dicere possit. *Sap.* 7. Venerunt mihi omnia bona, pariter cum illa. *Primum* autem bonum est, quod iustus in sua morte non turbatur propter infirmitatem corporalem in quam cecidit, sed potius ob amorem ac imitationem Christi, æquo illam tolerat animo. *Secundum* est, quod non tam dolet de amissione mundi, aut bonorum eius, quæ arbitratus est vt stercora; quàm gaudet de Christo, quem huiusmodi abnegatione lucratus est. *Tertium* est, quod iustus quamuis aliquando timeat mortem timore naturali, non timet tamen timore rationali: quia securus est de sua salute, ob perfectam spem veniæ, gratiæ & gloriæ, iuxta illud *Prou.* 14. Sperat autem iustus in morte sua. Vnde *Cassiod.* Quis mortem temporalem metuat, cui vita æterna promittitur? quis labores corporis timeat, cum se in perpetua quiete nouerit

collo-

collocandum? Et *S. Ambr.* Non timeo mori, quia bonum Dominũ habemus. Et *S. Hilar.* moriens ait. Egredere anima mea, quid times, septuaginta annis seruiuisti Deo, & mori times? *Quartum* est, quod iusto non nocet ad desperationem ac deceptionem apparitio & tentatio dæmoniorum, sed prodest ad probationem & purgationem: quia nimirum, qui in vita sua semper fuit illorũ victor, in morte necesse est, vt sit de ipsis triumphator; præsertim verò cùm etiam contra illorum insidias optimè se instruxerit Sacramentis, & inuocatione sanctorum Angelorum, Beatissimæ Virginis & ipsius Domini Saluatoris sui: vnde tanto suffultus auxilio, confidenter illud dicere potest *S. Martini.* Quid hic adstas cruenta bestia, nihil in me funeste reperies, sinus Abrahæ me recipiet. *Quintum* bonum est, quod iustus in morte non distrahitur aliqua cura seu solicitudine corporis sui, sciens omninò custodire Dominum omnia ossa ac ipsos capillos iustorum, & seruare in diem resurrectionis. Reliqua huiusmodi bona *S. Bernard.* summatim his tangit verbis. Bona mors iusti propter requiem, melior propter nouitatem, optima propter securitatem. Deinde in illa verba *Ps.* 115. Pretiosa in conspectu Domini, mors sanctorum eius. Pretiosa planè (*inquit*) tanquam finis laborum, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ ianua, & perfectæ securitatis ingressus. Hoc quoque ipsum

patet

patet *Sap.* 3. vbi dicitur. Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentũ mortis, visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.

CONSCIENTIA talem animæ suæ pollicetur mortem, qualem videt illam ducere vitã. VOLVNTAS clamat in cælum. Viuat anima mea vitâ iustorum, & fiant nouissima mea similia eorum.

In tertia consideratione.

RATIO proponit. A quo mors homini venit? Respondet SYNTERESIS dupliciter. *Primò*, mors in quantum habet rationem mali, seu secundum quod est quidam defectus naturæ, venit nobis à diabolo, & à culpa nostrorum primorũ parentũ. Vnde *Sap.* 1. Deus mortem non fecit nec lætatur in perditione viuorum. Et *Sap.* 2. Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum; inuidiâ autem diaboli, mors intrauit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. Et *Eccl.* 25. A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur. Et *Rom.* 5. Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt.

Secundo, mors quatenus habet rationem boni, venit nobis à Deo, iuxta illud *Iob.* 30.
Scio

Scio quia morti trades me, vbi constituta est domus omni viuenti. Et *Hebr.* 9. Statutum est hominibus semel mori. Habet autem mors aliquam rationem boni: *Vel prout* est iusta quædam temporalis pœna, communi lege omnibus hominibus pro peccato originali imposita: & sic à Deo venit cuilibet hominum, naturaliter quidem post septuaginta annos; casualiter verò ac violenter post aliquot à natiuitate horas, dies, menses, &c. Vnde est *Ps.* 38. Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te. Et *Iob.* 14. Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est; constituisti terminos eius qui præteriri non poterunt. *Item Ps.* 89. Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni, si autem in potentatibus octoginta anni; & amplius eorum labor & dolor. *Vel prout* est iusta quædam temporalis pœna specialiter aliquos peccatores tangens: & sic etiam mors venit à Deo, post certum aliquem ac præfixum numerum eorum peccatorum actualium. Vndè est illud *Eccl* 7. Ne impiè agas multum, & noli esse stultus; ne moriaris in tempore non tuo. Et *Psal.* 54. Viri sanguinum & dolosi, non dimidiabunt dies suos. *id est.* Viri, tàm nimirum sanguinem humanum effundentes, quàm suo sanguini indulgentes, seu propriæ sensualitati obedientes; ad dimidium dierum suorum non peruenient. *Vel prout* est iusta quædam temporalis pœna, æ-

ternæ

ternæ pœnæ coniuncta, specialiter aliquos oppressores hominum ac persecutores iustorum concernens; & sic mors venit etiam à Deo. Vnde est *Sap.* 5. Iniustitia, mortis est acquisitio. *Item cap.* 15. Malorum amatores, digni sunt morte. Et *S. Chrys.* Vocantur ante tempus boni, ne diutius vexentur à noxijs: mali verò & impij tolluntur, ne diutius bonos persequantur. *Vel prout* mors est terminus miseriarum huius vitæ, & periculorum in peccata ruendi sublatio: & sic venit à Deo. Vnde est *Eccl.* 30. Melior est mors quàm vita amara, & requies æterna, quàm languor perseuerans. Et *Sap.* 4. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, & ne fictio deciperet animam illius. *Vel prout* mors benefica est, in hoc, quod pios copulat æternis bonis, post certum videlicet ac à Deo præfixum numerum bonorum operum: & sic etiam venit à Deo. Vnde est *Sap.* 4. Consummatus in breui expleuit tempora multa, placita enim erat Deo anima illius. *Ibidem.* Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. *Apoc.* 14. Beati mortui qui in Domino moriuntur. *S. Anselm.* Non nocet bonis, si occidantur, vel subitâ morte rapiantur: non enim subitò moriuntur, qui semper se cogitauerunt morituros. Siue ergo ferro immolentur, siue à bestijs lacerentur, aut flammis vel vndis immergantur, aut suspendantur, vel crura frangantur, vel quolibet alio infortunio morian-

tur,

tur, semper est pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Quacunque hora iustus moriatur, iustitia eius non auferetur ab eo: & ita mors non obest, imò multum prodest eis: quia si quid peccati contraxerunt per humanam fragilitatem, relaxatur per mortis acerbitatem. *hæc ille.*

CONSCIENTIA satis instructa præsentibus documentis, conquiescit. VOLVNTAS nullam deinceps temporalem timere vult mortem, propter spem vitæ æternæ, quæ sibi cælitus promittitur.

In quarta consideratione.

RATIO proponit. Pro quo mortis incertitudo, quo ad statum, modum, locum, ac tempus nobis necessaria est? Respondet SYNTERESIS. *Primò, ex D. Bernardo dicente.* Certum est quod morieris, & incertum est quando, aut quomodo, aut vbi: quoniam vbique te mors expectat, tu quoque si sapiens fueris, vbique eam expectabis. *Item ex D. Greg.* Horam vltimã Dominus noster idcircò voluit nobis esse incognitam, vt semper possit esse suspecta, vt dum illam præuidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur. Vndè & ipse Dominus ait *Luc.* 13. Beati sunt serui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes. *Et infra.* Et vos estote parati: quia quâ hora non putatis, filius hominis (*ad educendum vos de hac vita*) veniet.

Secundò,



Secundò, quod peccator si sciret longè mortem suam abesse, suis securè indulgere vellet concupiscentijs, & pœnitentiam vsque ad mortem differret: & sic vix aliquis inueniretur, qui veram, voluntariam ac tempestiuam ageret pœnitentiam. Iustus etiam si sciret se diu victurum, negligeret profectum ac disciplinam spiritualem, & sic facilè tepesceret in charitate Dei & proximi. Vel quoque si sciret propè esse mortem suam, multa bona opera, bono communi deseruientia omitteret, vt liberius recollectioni suæ vacare posset.

CONSCIENTIA, æterna iudicia Dei approbat. VOLVNTAS eadem laudat, superexaltat, &c.

In quinta consideratione.

RATIO quærit, Quomodo se homo ad mortem benè præparare debet? Respondet SYNTERESIS dicens. Per *remotam* videlicet ac *proximam præparationem*. Remota præparatio tria postulat. *Primò*, memoriam ipsius mortis perpetuã, ex qua sequitur dolor pœnitentiæ de peccatis præteritis, & timor Dei, mentem ab omni peccato retrahens. Vnde est *Eccl.* 14. Memor esto, quoniam mors non tardat. *Et cap.* 7. In omnibus operibus tuis memorare nouissima, & in æternum non peccabis. *Et S. Hier.* Nihil æquè tibi proficiet ad temperantiam omnium rerum, quàm frequens cogitatio breuis æui, & huius incerti: quid-

quidquid facies respice mortem. Et *S. Cypr.* Memento mortis tuæ & non peccabis: qui se quotidie recordatur esse moriturum, contemnit præsentia, & ad futura festinat. *Secundò*, remota præparatio ad mortem, requirit vitam bonam. Vnde est illud quod dicitur. Viuite benè, ne malè moriamini. Viuit autem quis benè, si viuit sobriè erga seipsum, iustè erga proximum, & piè erga Deum, iuxta illud 1. *Timot.* 2. Sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei. *Et Luc.* 1. In sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. *Tertiò*, requirit semper paratum ac resignatum habere moriendi animum, iuxta Domini Dei beneplacitum. Vnde *S. Climachus.* Probatus ille est, qui mortem singulis diebus expectat: sed ille Sanctus, qui eam singulis horis desiderat.

Proxima quoque ad mortem præparatio, tria itidem requirit. *Primum* requisitum est, vt homo quamprimum incurrerit aliquam corporalem infirmitatem, statim persuadeat sibi illam esse quendam nuncium ac præcursorem mortis, signumque voluntatis diuinæ de sua ex hoc mundo transmigratione; vbi manifestata sua ægritudine illis quibus ex officio seu ex charitate incumbit sui curam gerere; totum sui corporis negotium committat dispositioni eorum, vt sic ipse liberius vacare possit diuinis ac spiritualibus: quod si

aliquan-

aliquando viderit eos negligenter sibi seruire, patientiam omninò habeat; ac propter Christi imitationem æquo, mansueto, & grato animo sufferat eorum incuriam: ac protinus cogitationem & affectionem suam ab omnibus transitorijs auertere studeat, sursumque in Deum erigere conetur, exemplo sancti Martini, qui oculis ac manibus in cælum semper intentus, inuictum ab oratione Spiritum non relaxabat. *Secundum*, vt infirmus, diligenter suâ examinatâ conscientiâ, humillimè Sacramentum pœnitentiæ, & sacrosanctæ Eucharistiæ affectuosissimè, ac tandem infirmitate ingrauescente, etiam vnctionis extremæ deuotissimè suscipiat.

Tertium requisitum proximæ præparationis ad mortem, est, vt infirmus in vnione nuditatis, passionis ac mortis Christi Domini in cruce pendentis, animam suam ab omni cogitatione & affectione transitoriorum denudatam, & corpus multis languoribus afflictum humillimè offerat, ac eo ipso, pro suis peccatis satisfacere cupiat. Deinde eundem Christum Dominum, tanquam verum Deum, Creatorem, Saluatorem, Iudicem, ac remuneratorem suum actibus fidei, spei, & charitatis adoret. Detestationem quoque, displicentiam ac fugam peccatorum suorum coram illo renouet, & iuramentum, vota, professionem, intentionem, proposita, & pacta sui æterni testamenti confirmet. Ac tandem Do-

minica



minica illa septē verba in cruce prolata, tum ad ipsum Christum, tùm ad ipsius Patrem æternum, deuotissimè & confidentissimè ex intimo sui cordis proferat. *Primum* verbum est *Luc.* 23. Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. *Vbi infirmus dicat.* Pater mi ac Saluator benignissimè, per illum affectum tuum ardentissimum, quo hanc orationem pro tuis fudisti inimicis, obsecro te, vt delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas coram tuo Patre æterno excusare digneris; qua ratione ego quoque in vnione huius modi affectus tui, dimitto aduersarijs meis omnes iniurias ac offensas, quibus me aliquando affecerunt aut afficere voluerunt: & quos etiam ego aliquando offendi, siue aliquo modo scandalizaui, nunc coram te humiliter deprecor, vt propter amorem ac imitationem tui, idipsum mihi dimittant.

Secundum est Luc. 23. Dicebat latro ad IESVM. Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi IESVS: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. *Vbi infirmus.* Sonet quæso Domine in auribus animæ meæ, huiusmodi vox tua dulcis, quando solutus ab his vinculis mortalitatis coram te miserrimus comparebo, Amen.

Tertium est Ioan. 19. Cùm vidisset IESVS matrem, & discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus: Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et

ex illa hora accepit eam discipulus in suam; *Hæc Verba Christi infirmus mente reuoluens*, ac si ad se directè modo primum prolata essent, Beatissimam Virginem Mariam affectu deuotissimo in matrem suam recipiat, & erga illam filialem, in se amorem excitare curet: eandemque suppliciter oret, vt vice versa maternum affectum in hac vltima hora erga se manifestare dignetur, dicens illud ad eam. *Monstra te esse matrem*. Et illud, *Maria mater gratiæ, dulcis parens clementiæ. Tu nos ab hoste protege, & mortis hora suscipe*. Similiter etiam aliorum Sanctorum auxilium ac patrocinium inuocare potest.

Quartum est Matth. 27. Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me. *Vbi infirmus*, Domine, ideò derelinqueris à Patre tuo in æternum benedicto, per subtractionem videlicet sensibilis internæ consolationis; vt mihi eo ipso homini miserrimo multis angustijs, infirmitatibus ac tentationibus circumdato, promerearis cælestem consolationem, benedictionem & protectionem.

Quintum est Ioan. 19. Postea sciens IESVS quia omnia consummata sunt, vt consummaretur scriptura, dicit: Sitio. *Vbi* in vnionem ac memoriã sitis Domini in cruce pendentis, sitiat quoque infirmus inprimis, omnem Dei implere iustitiam & voluntatem: *deinde*, sitiat & cupiat dissolui, & esse cum Christo; *ac tandem*, sitiat, vt ipse Saluator animæ suæ salutem sitire dignetur. *Sextum*

Sextum est Ioan. 19. Cùm ergo accepisset Iesvs acetum, dixit: Consummatum est. *Vbi considerans infirmus* dies suos esse consummatos, & agnoscens se non consummâsse aut non impleuisse sicut necesse erat præcepta Dei, & propriæ suæ vocationis obligationes; corde contritus confidentiaque plenus: recurrat ad suum Mediatorem, orans eum humillimè pro venia omnium suarum defectionum, vt misericordia Dei protectus, in regione viuorum gratias ei agendo dicere possit. *Consummatum est.* id est, impletum est mihi omne tuum promissum. Ecce quod credidi, iam video; quod speraui iam teneo; quod concupiui ac dilexi, iã tota deuotione complector, & in complexu illius iam plenè gaudeo.

Septimum est Luc. 23. Et clamans voce magnâ Iesvs, ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expirauit. *Vbi infirmus.* Pater mi benignissime, in manus tuas commendo spiritum meum, quibus me ad imaginem & similitudinem tuã creâsti, & in æternum conseruare decreuisti: in manus tuas, quibus me per gratiam tuam redemisti, quasque pro salute mea perforari voluisti: in manus tuas, quibus me hucusque pro peccatis meis paternè ac benignè castigâsti: in manus tuas, quibus mihi ad te clamanti, semper contra tentationes mundi, carnis, ac diaboli auxilium præstitisti: in manus tuas, quibus me semper per vias rectas iustificatio-

num tuarum ducere dignatus es: denique in manus tuas commendo ſpiritum meum, in quibus iuſtorum animæ repoſitæ ſunt, & à tormento ac ictu mortis æternæ cuſtodiuntur, vt in æternũ gaudio cæleſti perfruantur ineffabili. IESVS, IESVS, eſto mihi IESVS.

CONSCIENTIA vtramque approbat præparationem. VOLVNTAS dum tempus habet, ante ipſum ſcilicet mortis nuncium, ſæpè in eadem præparatione ſeſe exercere vult.

In ſexta conſideratione.

RATIO quærit. Quam ob cauſam, ſicut iuſtis ita & iniuſtis, potius citam mortem, quàm longam vitam cupere melius eſt? Reſpondet SYNTERESIS ad primum dicens: Iuſtis melius eſt citam mortem cupere, quàm longam vitam, ob triplicem rationem: *quarum prima* habetur, quia vita illorum præſens multis miſerijs repleta eſt, à quibus non poſſunt niſi per morté liberari. Vnde *S. Aug. de Verbis Dom. ſerm.* 17. Quid eſt diu viuere, niſi diu torqueri? Et *S. Ambr. ſer. de Quadr.* Tantis malis hæc vita repleta eſt, vt comparatione eorum, mors remedium illius putetur eſſe, non pœna: ideoque breuem vitam Deus facit, vt hæ moleſtiæ, quæ proſperitate eius vinci vel tolli non poterant, temporis exiguitate finirentur. Et *S. Greg. hom.* 37. Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors eſt potius dicenda quàm vita: ipſe enim quotidianus

dianus

dianus defectus corruptionis, quid est aliud quàm quædam prolixitas mortis. Idcircò S. Iob vita sua odiosa erat non amabilis, vt patet ex *cap.* 10. verborum eius vbi dicit: Tædet animam meam vitæ meæ. *Secunda* ratio est, ob quam iusti citam mortem magis quàm longam vitam cupere sibi melius existimant; quia quamuis vita illorum sit eis bona propter meritum, tamen mors melior, per quam effugiunt quæuis pericula peccandi mortaliter, & necessitatem peccandi venialiter: nullum enim malum pœnæ, sic est graue, ineligibile, ac omninò fugiendum homini, vti malum cuiuscunque culpæ. Vnde *quidam ait.* Præstat millies mori, quàm Deum vel leuissimè offendere. Idcircò *S. Casimirus*, maluit mori, quàm peccati culpâ fædari. Et *S. Paul.* ab ipsa propensione ad peccandum, per mortem liberari cupiuit, vt patet ex eius verbis *Rom.* 7. vbi dicit. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? *id est*, de corpore, corruptioni, concupiscentijs, affectibus peccandi, vitijs, & morti obnoxio. *Tertia* est, vt præmium æternæ vitæ assequantur, quod assequi non possunt, nisi moriantur. Sicut enim operarij appetunt finem diei, vt mercedem sui laboris accipiant; ita Sancti viri mortẽ cupiunt, quæ est terminus ac finis vitæ eorum, vt quantocius mercedem operũ suorũ feliciter obtineant, iuxta illud *Apoc.* 14. Beati mortui, qui in Domino moriuntur, o-

pera enim illorũ, sequuntur illos. Et *Rom.* 2. Gloria & honor, & pax omni operanti bonũ. Ad hanc mercedem æterni gaudij anhelabat S. Paulus, cùm diceret *Philip.* 1. Cupio dissolui, & esse cum Christo. Et *S. David Ps.* 41. Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?

Respondet ad secundum sic: Iniquis ac impijs peccatoribus, melius etiam est citam mortem, quàm longam vitam cupere: quia quò hîc diutius viuunt, eò magis peccata multiplicant, quibus Deum offendunt, proximũ scandalizant, & continuò maiorẽ suæ damnationis gehennam ædificant: quâ de causa *Eccl. cap.* 4. Laudauit magis mortuos, quàm viuentes. Et *S. David* partim compassione motus, partim zelo succensus, citã mortem & citam condemnationem impijs precatus est, dicens: *Ps.* 54. Veniat mors super illos, & descendant in infernum (*carnis scilicet, mundo ac diabolo*) viuentes. ne videlicet plus Deum offendant, proximis noceant, & sibiipsis pœnas æternæ mortis adaugeant.

CONSCIENTIA huiusmodi rationibus conuincitur. VOLVNTAS, præsentem vitam habere vult in patientia, & mortẽ in desiderio.

PRAXIS VIII.

Mysterium iudicij Dei asceticè meditandi.

In prima consideratione.

RATIO affert propositionem. Quis est iudex futuri sæculi, & quem ille iudicabit,

&ybi

& vbi, & quando, & quomodo? Respondet SYNTERESIS ad primum punctum deferens solutionem. Iudex futuri sæculi ordinarius, est ipse Deus vnus & trinus, vt patet *Ezech.* 18. Idcircò vnumquemque iuxta vias suas iudicabo domus Israël, ait Dominus Deus. Et *Ierem.* 29. Ego sum iudex & testis. Iudex verò delegatus, est Christus Dominus vt homo, quod patet *Ioan.* 5, Neque enim pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem; & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Et *Matt.* 26. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Et *Act.* 10. Et præcepit nobis prædicare populo & testificari, quia ipse est constitutus à Deo iudex viuorum & mortuorum.

Ad secundum punctum. Iudicabit omnem hominem, iuxta illud *Rom.* 14. Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Itaque vnusquisq; nostrûm pro se rationem reddet Deo. Et 2. *Cor.* 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. Sciendum autem est, quod quatuor erunt differentiæ seu ordines hominum in iudicio Dei. *Primus* ordo erit illorum, qui non iudicabuntur & saluabuntur. Vt sunt omnes viri Apostolici, ac perfecti, qui erunt coiudices, seu iudicis Christi assessores, sicut illis promissum est *Matth.* 19. Amen dico vo-

bis, quod vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit filius hominis, in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël. *Secundus* ordo illorum eſt, qui iudicabuntur & ſaluabuntur. Vt ſunt omnes iuſti, quorum merita bona permixta ſunt aliquibus malis, vtpotè ex euentu venialibus. *Tertius* eorum, qui iudicabuntur & condemnabuntur, vt ſunt fideles, quorum damnabilia merita, permixta ſunt aliquibus bonis operibus. *Quartus* eorum, qui non iudicabuntur & condemnabuntur. Vt ſunt infideles, quod probatur *Ioan.* 3. Qui non credit, iam iudicatus eſt.

Ad tertium. Iudicio particulari non aſſignatur aliquis locus determinatus; quia communiter, vbi quis moritur, ibi etiam iudicatur, vel nimirum paulò ante, vel mox poſt ipſam animæ à corpore ſeparationem. Sed iudicium vniuerſale celebrabitur in valle Iozaphat, iuxta illud *Iohelis* 3. Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallē Iozaphat: quia ibi ſedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu. Vnde *S. Thomas*, Iudicium generale fiet circa montem Oliueti, vbi eſt vallis Iozaphat; & circa locum illum Chriſtus deſcendet, ſicut inde aſcendit; vt idem eſſe oſtendatur, qui deſcendit, & qui aſcendit.

Ad quartum. Tempus extremi iudicij, ſoli Deo cognitum eſt, iuxta illud *Zach.* 14. Et erit dies vna, quæ nota eſt Domino. Vnde inqui-

renti-

rentibus discipulis de tempore illo, respondit Dominus, *Act.* 1. Non est vestrûm nôsse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. *Idem prædixit Marc.* 13. De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater. *id est.* Nescit filius, vt filius hominis; sed scit vt filius Dei. *Vel,* nescit filius, vt est Saluator ac Mediator hominum; sed scit, vt est iudex. *Vel* nescit filius vt nobis reuelet; sed propter seipsum scit. Idem docuit Apostolus 1. *Thess.* 5. dicens: De temporibus autem & momentis, fratres, non indigetis vt scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte ita veniet. Cùm enim dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus.

Ad quartum punctum responsio habetur *Ps.* 5. Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua. Vnde *S. Greg. super Matth.* In illa districtione vltimæ increpationis, omne argumentum cessat excusationis: quippè, quia ille fortis increpat, qui testis conscientiæ, intus animam accusat. Et *S. Ber. super Cant.* Veniet dies illa in qua plus valebunt pura corda, quàm astuta verba; conscientia bona, quàm marsupia plena; quoniam quidem iudex ille non falletur verbis, nec flectetur donis.

CONSCIENTIA infert. Tu es reus, die tibi ignota iustè à Deo iudicandus. Igitur iuxta

illud *Eccl.* 18. Ante iudicium interroga teipsum, ac para iustitiam tibi, & in conspectu Dei inuenies propitiationem. VOLVNTAS, consilio suæ conscientiæ obtemperat.

In secunda consideratione.

RATIO quærit. Quæ proximè præcedent vniuersale iudicium? Respondet SYNTERESIS. *Primò*, Iudicium vniuersale, præcedet iudicium particulare: quilibet enim homo in sua morte, stabit singillatim ante tribunal Christi Domini, vbi accipiet sententiã de omnibus bonis & malis quæ gessit: sed non omnia bona vel mala statim recipiet; quia in hoc particulari iudicio, non nisi secundum animam vel damnabitur vel saluabitur: in generali verò, etiam secundum ipsum corpus eandẽ consequetur mercedem. Vnde *S. Aug.* Qualem te inueniet Deus in tuo nouissimo die, talem te iudicaturus est in mundi nouissimo die. *Secundò*, præcedent multa mala, quibus peccatores flagellabuntur ac punientur; & multæ iustorum persecutiones, quibus purgabuntur: ac tandem ipse Antichristus veniet, qui superatis regibus terræ, conabitur omnes homines, etiam ipsos electos à cultu veri Dei auertere, & ad sui trahere venerationem & adorationem, *tum videlicet* per apparentem sanctitatem, *tum* per simulatam humanitatem ac benignitatem, *tum* per astutiam argumentorum ex doctrina diaboli sibi

venien-

venientium, *tum* per falſa miracula, quæ arte magicâ operabitur, *tum* per munera & largitionem bonorũ temporaliũ, *tum denique* per varia tormenta, ac omne genus tyrannidis.

Tertiò præcedet iudicium generale, apparitio Enoch &Eliæ, qui immediatè ante ipſum Antichriſti imperium Iudæos in Chriſtum credere facient, iuxta illud *Malach.* 4. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequã veniat dies Domini magnus & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum. Et *Matth.* 17. Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia. Et *Apoc.* 11. Dabo duobus teſtibus meis (*Enoch ſcilicet ac Elia*) & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis. Hos Sanctos patres occidet Antichriſtus in Ieruſalem; poſt quindecim autem dies, & ipſe impius occidetur à Sancto Michaële Archangelo, in monte Oliueti, in loco circa quem Dominus noſter aſcendit in cælum: occidetur autem vt aliqui putant, vltimo die bacchanaliorum.

Quartò, præcedent ſigna in ſole, & luna, & ſtellis, iuxta illud *Matth.* 24. & *Luc.* 21. Statim autem poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur. Et *Ioël.* 2. Sol & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt lumen ſuum. *Quintò*, præcedet maximus ignis, qui faciem huius mundi expurgabit ac

renouabit, iuxta illud *Psal. 96.* Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Et *Ioël.* Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma.

Sextò, his omnibus succedet resurrectio generalis, tàm iustorum quàm impiorum, ipso die, vt aliqui sanctorum existimant, resurrectionis Dominicæ. Vnde est *Matt.* 24. Mittet Angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum vsque ad terminos eorum. Illud verò quod dicitur. *Psal.* 1. Non resurgent impij in iudicio, *sic intelligendum est.* Non resurgent ad gloriam, sed resurgent ad pœnam & confusionem æternam, iuxta illud 1. *Cor.* 15. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Hinc *S. Bon. lib.* 7. *Theol. Verit. cap.* 16. Resurgent igitur omnes nulla in eis existente differentia, quantum ad ordinem temporis; sed magna, quantum ad ordinem dignitatis: nam mali resurgent deformes & passibiles; in bonis autem natura seruabitur & vitia detrahentur: omnes verò tàm boni quàm mali resurgent integri corpore, debita statura, secundum ætatem plenitudinis Christi. *Item.* Resurrectio igitur tria corriget in natura. Scilicet defectum, sicut in pueris & mutilatis, seu in diminuta natura membrorum. Superfluum, scilicet vnguium, crinum, & huiusmodi. Errorem, sicut in monstruositate membrorum, *hæc ille.*

Diuer-

Diuersitas quoque inter ipsos iustos magna erit: nam sicut alia est claritas solis (*Vt ait S. Paulus* 1. *Cor.* 15.) alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum: stella enim à stella differt in claritate; sic & resurrectio mortuorum. *Tunc* in illa resurrectione multi ex primis, erunt nouissimi; & ex nouissimis, primi. *Tunc* stabunt iusti in magna constantia, aduersus eos qui se angustiauerunt. *Tunc* dicent iusti de vnoquoque reprobo. Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum; nec non, in multitudine potentiæ, nobilitatis, sapientiæ & astutiæ suæ. *Tunc* dicent iusti inuicem ad seipsos. Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus. Confiteamur igitur Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. *Tunc* & impij iustos aspicientes dicent. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.

Septimò. Et ecce præuio signo triumphali crucis, aduentus iudicis Christi Domini, in maiestate magna, iuxta illud *Matth.* 26. A modò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus

cæli. Et *cap.* 25. Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eũ omnes gentes, & separabit eos abinuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis, & statuet oues quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris. Hic autem aduentus Christi, iustis quidem erit desiderabilis & amabilis, iuxta illud *Apoc.* 22. Veni Domine IESV. Sed impijs erit formidabilis ac terribilis, iuxta illud *Malach.* 3. Ecce veniet, & quis stabit ad videndum eum? & quis (*impiorum scilicet*) poterit cogitare diem aduentus eius? si enim populus Israëliticus nimis contremuit ad præsentiam Dei se in monte Sinai manifestantis, cùm ab eo legem acciperet, sicuti est *Exod.* 18. & *Deut.* 4. Quomodo non contremiscet impius peccator in aduentu iusti iudicis, cuius legem non obseruauit. Si etiam S. Ioannes & Daniel Propheta, vt est *Apoc.* 1. & *Daniel.* 10. ad aspectum vnius Angeli, tanquam mortui in terram corruerint: Et si Sacerdotes, seueritate vultus Christi adhuc morituri (vt est *Matth.* 21.) de templo eiecti, ita metu perculsi obstupuerunt, vt hiscere ac mutire non auderent: & si ad vnicam vocem illam Christi, *Ioan.* 18. Ego sum: cohors militum retrò in terram ceciderit: quomodo miserrimi homunculi plurimis onusti peccatis, Dominum Deum testem conscientiæ suæ, ac iudicem operum suorum,

nimis furentem ac minitantem sustinebunt? Heu dicturi (*Luc.* 23. & *Apoc.* 6.) montibus & petris: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni: quoniam venit dies magnus ipsorum, & quis poterit stare. Vnde *S. Hieronymus super Matt. att.* Siue comedam, siue bibam, siue aliquid aliud faciam, semper vox illa videtur sonare in auribus meis: Surgite mortui & venite ad iudicium. Quoties diem iudicij cogito, totus corde & corpore contremisco. Si qua præsentis vitæ est lætitia, ita agenda est, vt nunquam amaritudo futuri iudicij recedat à memoria. Non est nostrûm nôsse tempora, id est, non expedit nobis diem iudicij nôsse, sed semper incerti de aduentu iudicis, sic quotidiè viuamus, quasi die altera iudicandi simus, *hæc ille.*

CONSCIENTIA his assentitur. VOLVNTAS iudicem adorat deprecaturque dicens, Iudex crederis esse venturus. Te ergo quæsumus &c. Et ab hædis me sequestra, statuens in parte dextra.

In tertia consideratione.

RATIO quærit. A quo coram æquissimo iudice accusabitur homo? Respondet SYNTERESIS. *Primò* accusabitur homo à diabolo qui *Apoc.* 12. dicitur accusator fratrum, ante conspectum Dei nostri, die ac nocte. Hic enim nequissimus & callidissimus hostis nunc

indu-

inducens aliquem ad peccandum, dolosâ suâ persuasione extenûat peccati culpam; infirmitatem ac fragilitatem corporis eius exaggerat; misericordiam Dei amplificat, & facilem ei pollicetur de peccato resurrectionem: tunc verò omnia inuerso modo faciet; ac ipsius iudicis iustitiam, secundum vltimũ suum posse, ad vltionem iniquitatis acuere ac prouocare conabitur. *Secundò*. Ab Angelo custode: Iustum enim est, vt homo qui noluit in hac vita sanctum suum Angelum habere instructorem; habeat in futura, eundem suarum iniquitatũ denunciatorem, testem, & accusatorem. *Tertiò*. Accusabitur homo à complicibus suæ iniquitatis, & ab alijs pusillis, quos aliquando vel malis suis exemplis scandalizauit, vel aliquo modo eis iniurius fuit: imo quoque accusabitur ab omni creatura, quâ fuit aliquando abusus. Vnde *Iob*. 2. Reuelabunt cæli iniquitatem eius, & terra consurget aduersus eum. Et *Sap*. 5. Armabit creaturam ad vltionem inimicorum. *Quartò*. A propria conscientia accusabitur homo. Vnde est *Dan*. 7. Iudicium sedit & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ: & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum. Per libros istos intellige singulorum hominum conscientias, in quibus quasi in libris descripta & recondita seruantur illorum mala & bona, in iudicio Dei aperienda & manifestanda, iuxta illud

Eccl. 11.

Eccl. 11. In fine hominis denudatio operum eius. Et *Luc.* 12. Nihil enim opertum est, quod non reueletur; neque absconditum, quod non sciatur. Et 1. *Cor.* 4. Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Per librum vitæ, intellige librum præceptorum Dei; aut quoque librum Christi conscientiæ: cum quo quidem libro, in illa die libri conscientiarum omnium hominum conferentur, ad videndum ac discernendum, vtrum conformia aut difformia sibi in illis contineantur.

CONSCIENTIA his illuminata, diligenter se recolligit ac examinat. VOLVNTAS, mala sua detestatur, & bonis actibus efficaciter insistere vult.

In quarta consideratione.

RATIO quærit. Pro quo homo in iudicio Dei accusabitur, iudicabitur & sententiabitur? Respondet SYNTERESIS. *Primò*, accusabitur & sententiabitur homo pro omni suo cogitatu inordinato, iuxta illud *Sap.* 1. In cogitationibus enim impij interrogatio erit. Et *cap.* 3. Impij secundum quæ cogitauerunt, correptionem habebunt Et *Prou.* 15. Abominationes Domini, cogitationes malæ. *Secundò*, accusabitur & sententiabitur homo pro verbis otiosis, vt patet *Matth.* 12. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum,

ſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij: ex verbis enim tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Hinc eſt, quod ſi illic de verbis vanis ac otioſis quilibet homo rationem redditurus ſit, multò magis de verbis malis, falſis, obſcænis, ſcurrilibus, iniurioſis, detractorijs, & ſimilibus examinabitur. Vnde *Eccl.* 28. Suſurro & bilinguis maledictus, multos enim turbauit pacem habentes. Et *Sap.* 1. Cuſtodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt, & à detractione parcite linguæ; quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit: os autem quod mentitur, occidit animam. *Tertiò*, pro malis operibus. Vnde *Eccl.* 11. Omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui illud operatur ibit cum illo. Et *Pſ.* 33. Vultus autem Domini ſuper facientes mala: vt perdat de terra memoriam eorum. Et *Prou.* 11. Si iuſtus in terra (*mala*) recipit: quantò magis (*illa in futuro ſæculo recipiet*) impius & peccator. *Quartò*, pro peccatis ignotis & alienis, à quibus Dauid mundari & abſolui cupiuit, dum ſic Deum oraret *Pſal.* 18. Ab occultis meis munda me, & ab alienis (*quorum fui aliqua cauſa*) parce ſeruo tuo. Ad eadem peccata reſpectum habuit S. Paulus, cùm diceret 1. *Cor.* 4. Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum: qui autem iudicat me, Dominus eſt. *Quintò*, ſententiabitur homo pro operibus iuſtis ac bonis, nonnullis

videlicet

videlicet imperfectionibus permixtis. iuxta illud *Ps.* 74. Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Vnde est, quod iusti semper contemnant suas iustitias, dicentes intra se illud *Isa.* 64. Quasi pannus menstruatæ, iustitiæ nostræ. Hinc *S. Isid. de summo bono.* Sæpè quæ apud hominum iudicium bona patent; apud examen diligentissimi & acutissimi iudicis reproba deteguntur: ideòque omnis sanctus veretur, ne fortè bonum quod agit, pro aliqua animi intentione, in oculis Dei reprobum fit. *Sextò.* Accusabitur, iudicabitur, & sententiabitur impius homo pro abusione donorum ac talentorum Dei,& pro omissione bonorum operum, iuxta illud *Luc.* 12. Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Et *Matth.* 25. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: esuriui enim & non dedistis mihi manducare, &c. Sic autem seuero vultu & implacabili animo æquissimus iudex contra impios hanc proferet sententiam, vt *S. Bonau. inquiens dicat.* Quod si B. V. Maria & omnes Angeli, & Sancti, ac Sanctæ genua flecterent, & cum lachrymis orarent pro aliquo, qui esset in mortali peccato, Iudex non exaudiret eos, quia dicitur *Prou.* 6. Zelus & furor viri, non parcet in die iudicij,nec acquiescet cuiuscunque precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.

Septi-

Septimò. Sententiabitur & vocabitur, omnis iustus, pro bonis operibus in gratia Dei, & propter Deum patratis, ad vitam æternam, vt est ibidem *Matth.* 25. Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim & dedistis mihi manducare, &c.

CONSCIENTIA recognoscit suas culpas. VOLVNTAS dignos fructus pœnitentiæ seriò agere vult.

In quinta consideratione.

RATIO quærit. Quomodo se homo, ad iudicium Dei, tam particulare quàm generale, præparare debet? Respondet SYNTERESIS. *Primò*, Homo qui vult effugere seueritatem futuri iudicij, conscientiã suam sæpè examinet ac scrutetur, & cùm opus fuerit, statim eam ab omni peccato emundare conetur per veram scilicet contritionem & sententiam Vicarij sæculorum Iudicis absolutoriam, quia dictum est *Matth.* 18. Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. *secundò*, Curet placare faciem iudicis, muneribus piorum operum, tam corporalium quàm spiritualium, & hoc tempestiuè, antequam nimirum dies eius veniat: quia huiusmodi deditis pietati dicturus est iudex *Matth* 25. Quod vni ex his fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis. *Tertiò,*

Curet

Curet ſemper in ipſius Iudicis Chriſti, amore, gratiâ, charitate, amicitiâ & perfectione omninò proficere, per ſtudium videlicet aſceticarum meditationum, orationis mentalis, & eius imitationis: nam viri perfecti non iudicabuntur; ſed ipſi alios iudicabunt, ſicut dictum eſt eis *Matth.* 19. Vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël. *Quartò*, Aliorum iudicia falſa, iniuſta, ac temeraria, æquo animo ferat: & cum nemine lites moueat, ſeu contentioſa iudicia exerceat, nec de vllis iniurijs ſibi factis aliquando conqueratur: ſed in omni aduerſitate & oppreſſione ſua exemplo Chriſti Domini patientiam habeat, iuxta illud *Iacob.* 5. Patientes eſtote & confirmate corda veſtra, quoniam aduentus Domini appropinquabit: nolite ingemiſcere in alterutrum, vt non iudicemini; ecce iudex ante ianuam aſſiſtit. Et 1. *Cor.* 5. Iam quidem omninò delictum eſt in vobis, quod iudicia habetis inter vos: quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Et *S. Hieron.* Libens nunc tormenta patiar, vt tunc futura mihi gloria ſeruetur: non enim iudicabit Dominus bis in idipſum. *Quintò*. Neminem temerè audeat iudicare, ac deſpicere, niſi ſeipſum iudicet & deſpiciat, iuxta illud 1. *Cor.* 11. Quod ſi noſmetipſos diiudicaremus, non

vtique

vtiq; iudicaremur. Et *S. P. Fran. in Reg. c. 2.* Sed magis vnuſquiſque iudicet & deſpiciat ſemetipſum. Et *S. Bern.* Caue alienæ vitæ eſſe curioſus explorator, aut temerarius iudex, etiamſi perpetrat opus quod reprehendas, proximum tuum non iudices, magis autem excuſa; excuſa intentionem, ſi opus excuſari non poteſt, puta ignorantiam, puta caſum, puta ſurreptionem: quod ſi rei certitudo nullam omninò excuſationem recipit, ſuade nihilominus tibi, & dic apud temetipſum, ô vehemens certè fuit iſta tentatio, & quid mecum feciſſet, ſi accepiſſet in me ſimilem poteſtatem! Et *S. Aug.* Ea facta, quæ dubium eſt, quo animo fiant; in meliorem partem interpretemur. *Idem.* Cauere debemus à iudicio, cùm incertum eſt, quo animo quid factum ſit: vel cùm incertum eſt, qualis futurus ſit, qui nunc vel bonus vel malus apparet. *Idem.* Temerarijs iudicijs plena ſunt omnia. De quo deſperamus, ſubitò conuertimur, & fit optimus. De quo multum præſumpſeramus, deficit, & fit peſſimus: nec timor noſter certus eſt, nec amor. *hæc ille.*

CONSCIENTIA doctrinam acceptat. VOLVNTAS eo modo inueniens ſe eſſe paratã ad iudicium Dei, de donis cæleſtibus ſibi collatis humiliter gaudet: ſed triſtatur, ſi ſe imparatam eſſe conſpicit.

In ſex-

In ſexta conſideratione.

RAtio quærit. Quam ob cauſam iudiciũ Dei futurum, omninò neceſſarium eſt? Reſpondet SYNTERESIS. *Primò*, quia iudices huius ſæculi à Deo conſtituti, vix aliquando rectè ac iuſtè cauſas hominum decernunt ac ſententiant: nam non niſi exteriora & aperta iudicant, & hoc ſecundum allegata aliorum teſtimonia, quæ ſæpiſſimè falſa ſunt: interna verò & occulta ſoli Deo iudicanda relinquuntur, qui ſolus nouit abſcondita cordium. *Vel* quia iudices huius ſæculi, ſcire ſui muneris principia, diligenter non quærunt. iuxta illud *Pſ.* 2. Erudimini qui iudicatis terram. Vnde *S. Aug. lib.* 16. *de ciu. Dei*, Ignorantia iudicis, plerumque eſt calamitas innocentis. *Vel* quia potentiores pertimeſcunt, contra illud *Eccl.* 7. Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates; ne fortè extimeſcas faciem potentis. *Vel* quia munera diligunt, quibus dicitur *Iſa.* 5. Væ qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiã iuſti aufertis ab eo. *Vel* quia amore in conſanguineos ſuoſque familiares, ac amicos feruntur; & vice verſa contra ſuos aut ſuorum aduerſarios prauo laborant affectu. Vnde *Philoſophus lib.* 1. *Rhet.* Amor, & odium, & proprium commodum, ſæpè faciunt iudicem non cognoſcere verum. Et *S. Greg. in Mor.* Iudicare dignè de ſubditis nequeunt; qui in ſub-

ditorum

ditorum causis, vel odium vel gratiã sequuntur. Et *Prou.* 17. Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.

Secundò, quia pauci sunt, qui coram Vicarijs Dei, causas peccatorum suorum deponant, ac fideliter occulta sua confiteantur, vt illorum accipiant absolutionem: aut qui dum confitentur, habeant efficax & resolutũ propositum tam singula quàm omnia peccata mortalia cauendi in posterum: aut qui post acceptam absolutionem in proposito suo stabiles inueniantur.

Tertiò. Necessarium est generale futurum Dei iudicium, vt ibi omnis homo accipiat sententiam ac mercedem iuxta opera sua, tam in anima, quàm in corpore: quia in particulari iudicio non fit decretum de corpore, nisi de anima. Vnde sicut tunc iusti tam secundum animam quàm secundum corpus, pro malis quæ in hac vita passi sunt, & pro bonis quæ egerunt, & pro humilitate quâ se humiliauerunt, gloria & honore publicè coronabuntur, & iuxta modum ac perfectionem suæ virtutis exaltabuntur: ita impij tam etiã secundum animam, quàm secundum corpus, pro suis iniquitatibus & superbijs iustè damnabuntur & condignè humiliabuntur. Et sicut tunc iustorum tristitia vertetur in gaudium, quemadmodum illis promissum est *Ioan.* 16. Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis

vos, mundus autem gaudebit : vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Ita etiam gaudium impiorum vertetur in tristitiam sempiternam, iuxta illud *Prou.* 14. Extrema gaudij occupat luctus. Et *Iob.* 21. Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Et sicut tunc nullum decus boni operis, absq; gloria honoris & præmij remanebit: ita & nullum dedecus culpæ, absque decore iustitiæ inuenietur, iuxta illud *in Symbolo Athan.* Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala in ignem æternum.

Quartò, Vt Christus Dominus sicut publicè ab impijs dum hic viueret fuit despectus, humiliatus, & ad mortem turpissimam condemnatus; & modò dum iam regnat in gloria Patris sui, vsque ad finem mundi blasphematur & contemnitur: ita etiam publicè coram omnibus hominibus & Angelis gloriosus appareat, iuxta quod prædixit ipse, cùm staret coram principibus Sacerdotum, *Matth.* 26. Verumtamen dico vobis, amodò videbitis filium hominis, sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. Et *Zach.* 12. Aspicient ad me, quem confixerunt. Et *S. Ioan. Apoc.* 1. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent super eum omnes tribus terræ. Et *S. Aug. de Ciuit. Dei.* Tunc manifestus ve-

niet inter iuſtos, iudicaturus iuſtè; qui occultè venerat ab iniuſtis iudicandus iniuſtè.

Conscientia rationes allegatas comprobat. Volvntas, in laudes Dei ac iudiciorum eius reſoluitur.

PRAXIS IX.

Myſterium pœnarum infernalium aſceticè meditandi.

In prima conſideratione.

Ratio quærit. Quis condemnabitur ad pœnas inferni perpetuas? Reſpondet Synteresis. Condemnabitur omnis à Deo reprobatus, propter præuiſum finale peccatum, iuxta illud *Apoc.* 20. Qui non inuentus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis. Licet autem non ſit nobis certitudinaliter ac infallibiliter ſcire poſſibile, quis videlicet hominum ſingillatim ab æterno vel prædeſtinatus vel reprobatus fuerit, cùm etiam de nullius hominis vel iuſtitia vel peccato finali certò nobis conſtet, eò quod ſæpius accidat, vt cùm de vnius correctione deſperamus, ſubitò conuertatur, & fiat optimus; & cùm de alterius vitæ probitate multum præſumimus, breui deficiat & fiat peſſimus: & hinc omninò incertum eſt, qualis futurus ſit, qui nunc vel bonus vel malus apparet. Tamen in quandam huius rei coniecturalem ac probabilem poſſumus deuenire cognitionem, ex nonnul-

nonnullis videlicet testimonijs ac signis, tum in sacra Scriptura, tùm inter placita Sanctorum Patrum expressis & consignatis: quorũ quidem signorum reprobationis, aliqua in medium ad nostri cautellam proferre liceat.

. *Primum* signum finalis peccati & consequenter ipsius reprobationis est infidelitas: quæ alia absoluta habetur: qualis est Iudæorum, Turcarum, & similium; alia secundum quid: qualis est hæreticorum. Vnde *Ioan.* 3. Qui autem non credit, (*siue in toto, siue in parte,*) iam iudicatus est. Et *Rom.* 2. Quicunque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt. Et *Tim.* 3. Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens quod subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus. Et *Heb.* 11. Sine fide, impossibile est placere Deo.

Secundum signum finalis peccati ac ipsius reprobationis est iniustitia, quæ iustitiæ generali opponitur. Vnde sicut iustitia generalis secundum *D. Bonauent.* est virtus, quâ sibi, Deo, & proximo, quod suum est tribuitur. *Vel* est virtus, quæ comprehendit totius animæ rectitudinem, ac omnes virtutes ordinantes ad proximum, sicut est æquitas, liberalitas: & ad seipsum, sicut est innocentia, pœnitentia: & ad Deum, sicut est latria, obedientia. Ita iniustitia præsens, nihil aliud est, quàm vitium, quo sibi, Deo, & proximo, quod

ſuum eſt ſubtrahitur. *Vel* nihil aliud eſt, quàm omne quod fit contra iuris æterni regulas in cauſa Dei, ſui, & proximi. De hac iniuſtitia illud eſt *Deut.* 25. Dominus auerſatur omnē iniuſtitiam. Et *Pſal.* 5. Non permanebunt iniuſti ante oculos tuos. Et 1. *Petr.* 4. Si iuſtus vix ſaluabitur (*lectio græca habet*, ſaluatur) impius & peccator (*qui nimirum habentes fidem & agnoſcentes veritatem Dei, operibus impijs, & quibuſuis peccatis dediti ſunt*) vbi parebunt? Et *Rom.* 2. Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Et *Iacob.* 1. Eſtote autem factores legis & non auditores tantum, fallentes voſmetipſos. Et *cap.* 2. Fides, ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa. *Et infra.* Fides ſine operibus (*iuſtitiæ*) otioſa eſt.

Tertium eſt conſuetudo praua aliquod peccatum perpetrandi, iuxta illud *Iacob.* 2. Quicunque autem totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus. *id eſt*, quantum ad auerſionem à ſummo bono, & quantum ad durationem punitionis: quia ſic ſe homo per vnum peccatum auertit à Deo, ſicut per plura; & ſic etiam punietur pro vno peccato quantum ad durationem, ſicut pro pluribus. Quod autem conſuetudo alicuius peccati ſignum ſit reprobationis, dat rationem *S. Greg. mor. lib.* 15. Tenent enim prauæ conſuetudines quem ſemel ceperunt, atque quotidie duriorem efficiunt: & non

niſi

nisi cum péccatoris vita finiuntur. *Idem.* Vsitata culpa obligat mentem, vt nequaquam surgere possit ad rectitudinem, conatur enim & labitur: quia vbi diu spontè persistit, ibi etiam cùm noluerit coactè cadit. *Idem.* Si prauæ rei aditus, antequam diu patescat non clauditur, vsu fit latior, & erit consuetudine licitum, quod ratione & lege constat esse prohibitum. *Item Isid. lib. 1. Solilog.* Difficile est peccati consuetudinem vincere, prauus vsus vix aboletur; assidua consuetudo, vitium in naturam conuertit. Animus sceleribus astrictus, vix ab eis diuelli potest. *Idem de summo bono.* Cogitatio praua delectationem parit, delectatio consensionem, consensio actioné, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem. *Idem.* Dùm facta quædam non grauia libere & sine metu committimus, ad peiora scelera, & horrendam peccati consuetudinem labimur. Vnde *Pr.* 22. Prouerbium est, Adolescens iuxta viam suam etiam cùm senuerit, non recedet ab ea. *Item Ierem.* 13. Si mutare potest Æthiops pellé suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.

Quartum signum reprobationis est recidiuatio animæ in pristinam peccati ægritudinem. Illud autem peccatum recidiuationis dicitur, quod videlicet post veram ac plenam ad Deum conuersionem practicam, ex certa scientia & libera voluntate iterum perpetratur.

 tur.

tur. Vnde *Ezech.* 18. Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, secundum omnes abominationes quas operari solet impius, nunquid viuet? omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur : in præuaricatione quâ præuaricatus est, & in peccatò suo quod peccauit, in ipsis morietur. Et *S. Greg. in Ezech.* Sicut qui à fide recedit apostata est, ita qui ad peruersum opus quod deseruit reddit, ab omnipotenti Deo absque vlla dubietate apostata deputabitur, etiamsi fidem tenere videatur.

Nota autem quod huiusmodi peccatum recidiuationis peius, grauius & periculosius est peccato simplicis consuetudinis, vt patet *Ioan.* 5. Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Tum scilicet*, quia difficilioris est curationis : peccatum enim simplicis consuetudinis, curari solet funditus pœnitentiâ ordinariâ ; peccatum autem recidiuationis præsertim in conuersis supererogatiuè, communiter sic non curatur, nisi pœnitentiâ exrraordinariâ solenni, ac publicâ. *Tum* quia peccata per pœnitentiam dimissa, redeunt deindè recidiuanti, non quidem secundum ipsam deordinationem, sed secundum reatum, *id est*, obligationem ad pœnam : *seu*, non quo ad actum ; sed tanquam circumstantia, peccatum præsens multum aggrauans.

Quintum signum reprobationis puta esse princi-

principia politica, & habitus prauos: quia ſicut concubina de domo non expulſa, ſolet eſſe pœnitenti laqueus & cauſa recidiuationis, tanquam proxima peccati occaſio externa; ita etiam principia politica per ſtudium meditationis non ſuperata, & habitus praui per aſceticam diſciplinam non mortificati, ſunt cauſa recidiuationis viam ſpiritualem incipienti, tanquam proxima occaſio interna diuerſorum peccatorum: *Et* quia ſicut ventus ignem, ſic principia politica & habitus praui concupiſcentiam ac deſiderium peccandi accendunt, quemadmodum quotidiana docet experientia.

Principia politica, vel alias Regulæ ſapientiæ mundanæ, ſunt in triplici differentia. *Prima* differentiæ principia prauæ politicæ, puta eſſe omnia dogmata hæreticorum, per quæ nimirùm, & ipſa doctrina veræ fidei Catholicæ deprauatur, & ipſius carnis ac ſenſualitatis habenæ laxantur. *Secunda* differentiæ principia prauæ politicæ, per quæ ſimplicitas ac ſinceritas Chriſtiana expreſsè ſubuertitur, & boni mores apertè funditus corrumpuntur, ſic deſcribit *S. Greg. Moral. lib.* 10. *cap.* 16. *dicens*. Huius mundi ſapientia eſt, cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare: quæ falſa ſunt, vera oſtendere, quæ vera ſunt, falſa demonſtrare. Hæc nimirum prudentia vſu à iuuenibus ſcitur, hæc à pueris pretio diſcitur: hanc qui ſciunt, cæteros deſpiciendo

ſuperbiunt: hanc qui neſciunt, ſubiecti & timidi in alijs mirantur: quia ab eis hæc eadē duplicitatis iniquitas nomine palliata diligitur, dum mentis peruerſitas, vrbanitas vocatur. Hæc ſibi obſequentibus præcipit honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab alijs mala multipliciter reddere; cùm vires ſuppetunt, nullis reſiſtentibus cedere; cùm virtutis poſſibilitas deeſt, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate ſimulare. *Tertia* differentiæ principia politica huius loci propria, quæ nimirum principijs Chriſtianæ politicæ tum occultè tum apertè aduerſantur, ac vitæ ſpirituali diſſentiunt, iſta eſſe puta. Vitam ſcilicet, poſſeſſiones, propriam excellentiam, corporis commoditates, & his ſimilia tueri cum diſpendio legis diuinæ, ſi aliter fieri non poteſt. Ante omnia curam habere proprij ſtatus, prolis, familiæ, ac eniti vt bona acquiſita retineantur, aut quoque augeantur, etiamſi leges Eccleſiaſticæ aut diuinæ obſiſtant. Libenter diuina ignorare, vt in peccatis excuſatio habeatur. Non reputare pro peccato voluntariam tranſgreſſionem legis æternæ, vbi conſcientia non vult Deum offendere. Omnibus bonum pro bono, & malum pro malo velle ac rependere. Nemini nocere innocenti velle, niſi alias ipſi nocenti. Pacificè ſe habere cum pacificis, & turbulenter cum turbulentis.

bulentis. Benedicere benedicentibus, & maledicere maledicentibus &c. Vnde *S. Ber.* Est homo pacatus; qui bona pro bonis reddens, quantum in se est nemini vult nocere. Est alius patiens, qui non reddens malũ pro malo, etiam potens est sustinere nocentem. Est quoque pacificus, qui bona pro malis reddens, in promptu habet prodesse nocenti. Primus quidem paruulus est, & facilè scandalizatur: nec facilè qui huiusmodi est, in hoc sæculo nequam, & pleno scandalis poterit obtinere salutem. Secundus, vt scriptum est in patientia sua possidebit animã suam. Nam tertius quidem, non modo suam possidet, sed & multorum animas lucrifacit.

Habitus praui (*vtpotè,* habitus acquisitæ superbiæ, auaritiæ, luxuriæ, inuidiæ, gulæ, iræ & acediæ,) sicut ex actibus peccatorum in anima generantur; ita deinde, si illis tempestiuè, à principio nimirum conuersionis, studio asceticæ disciplinæ non obuiatur, eandem animam in alios actus peccatorum pellunt, & communiter non nisi ipsa morte superantur. Vnde *S. Chrysost. in Matth. cap. 32. hom.* 3. Sicut ex parte Dei quamuis plures sint spiritus virtutum, tamen septem dicuntur: quia ex illis septem, omnes species virtutum procedunt: quos spiritus, enumerat Isaias & Salomon signat dicens. Sapientia ædificauit sibi domum, & subdidit columnas septem: sic ex parte diaboli quamuis multi

spiritus vitiorum sint, tamen septem dicuntur; quoniam ex illis principalibus vitijs, vitia vniuersa ac ipsa peccata nascuntur. Et *Origenes hom.* 12. *in Num.* Sicut ex iustitia generatur iustitia, & ex castitate castitas; si quis enim primo tenuiter castus ac iustus esse cœperit, accepto castitatis ac iustitiæ fermento, quotidiè castior & iustior efficitur. Ita & qui semel intra se, licet paruum posuerit fermentum alicuius vitij ac peccati, quotidiè semetipso nequior ac deterior efficitur. Et *S. Greg. in Moral.* Prima vitia, deceptæ menti, quasi sub quadam ratione se ingerunt: sed quæ sequuntur, dum mentem ad omnem insaniam protrahunt, quasi bestiali clamore mentem confundunt.

Nota autem quod nemo potest triumphare de victoria vitiorum, nisi prius principia politica superauerit. Non aliter verò vitia acquisita probantur esse deuicta, quàm per stabilitatem propositi amplius Deum non offendendi, pluribus nimirum ac diuersis vexati & probati tentationibus.

Nota deindè, quod habitus praui, à consuetudine peccandi, hoc ipso differunt: quia peccata ex praua consuetudine perpetrata, sunt actus voluntatis deprauatæ, & omninò in malum ante omnem tentationem resolutæ ac paratæ: peccata verò ex habitibus prauis nata, sunt actus voluntatis immortificatæ, ac tentationibus aut externis aut internis ali-

quate-

quatenus diuexatæ ac prouocatæ. Differunt etiam habitus praui, à principijs politicis, hoc modo: quia habitus praui, magis ad partem spectant animæ rationalis appetitiuam; principia verò politica, magis ad potentiam pertinent intellectualem.

Sextum signum reprobationis est, pœnitentia sera seu tarda, ac vsque ad mortem dilata: & ratio est, quia huiusmodi pœnitentia, communiter ac ordinariè, ex parte hominis, non solet esse vera; & ex parte Dei, non solet esse accepta. Ex parte quidem hominis pœnitentia sera, ordinariè non est vera, propter duas rationes. *Prima* est, quia talis pœnitentia, communiter non est voluntaria, & consequenter, non meritoria: nam nullum opus nostrum potest esse meritorium, quod non est voluntarium. Probatur autem pœnitentia in mortem dilata non esse voluntaria: quia si mors nunquam veniret, pœnitens huiusmodi nunquam pœniteret: & ita, cùm quis vellet mortem nunquam venire, nunquam etiã vellet verè pœnitere. Et inde patet, quod pœnitentia in morte communiter fiat ex necessitate non ex voluntate. Hinc *S. Aug. ser.* 36. Age pœnitentiam dum sanus es, si sic agis, dico tibi quod securus es: quia pœnitentiam egisti eo tempore, quo peccare potuisti. Si vis pœnitentiã agere quando iam peccare non potes; peccata te dimiserunt, non tu illa.

Secunda est ratio, quia pœnitentia in mor-

te solet esse nimijs impedita doloribus. Videmus enim quod vna qualitas impedit, ne alia sentiatur, sicut patet in saporibus: cùm enim gustus est infectus aliquo sapore amaro, non discernit alios sapores; quia omnia quæ gustat, videntur sibi amara. Sed sicut vnus sapor impedit alium; ita vna delectatio impedit aliam, scilicet delectatio sensibilis intellectualem. Propter quod 1. *Corinth.* 2. *dicitur.* Animalis homo, non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Et similiter dolor sensibilis impedit intellectualem, ac tanto magis, quanto intensior est. Sed dolor sensibilis qui mortem inducit est maximus & intensissimus; ideò dolorem contritionis spiritualem (qui consistit in appretiatione rationis & detestatione voluntatis) sic impedit, vt illo homo affectus non valeat se supra suum inferiorem sensum abstrahere ac sursum in spiritum eleuare, internæque mentali actioni sicut oportet insistere.

Ex parte quoq; Dei pœnitentia sera, communiter ac ordinariè non est accepta, iuxta illud *Ps.* 58. Conuertentur ad vesperam, & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem. Huius rei ratio datur in persona Dei. *Prou.* 1. Quia vocaui & renuistis, extendi manum meam, & non erat qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo cùm vobis id

quod

quod timebatis aduenerit. Vnde *S. Aug. ser.* 36. Quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis vrgentis admonitio compellit; nec dignus eſt in morte accipere ſolatia, qui ſe non cogitauit moriturum. *Idem de doctr. Christiana.* Non poteſt malè mori qui benè vixerit; & vix benè moritur, qui malè vixit. *Idem.* Viuite benè, ne malè moriamini. *Idem.* Ad hoc prodeſt homini benè viuere, vt detur ei ſemper viuere. *hæc ille.* Verum, etiam maximo peccatori nunquam eſt deſperandum, quamuis ordinariè ſera pœnitentia (vt dictum eſt) non ſoleat eſſe verá, & apud Deum accepta; quia quod non fit ordinariè, nonnunquam fieri poteſt extraordinariè. Vnde *Ezech.* 33. Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuerſus fuerit ab impietate ſua. Et *S. Aug. in Pſal.* 6. Conuerſio noſtra, ſemper inueniet Deum paratum. *Idem de dogm.* Pœnitentiâ aboleri peccata indubitanter credimus, & in vltimo vitæ ſpiritu, ſi admiſſorum pœniteat. Et *S. Hier.* Nunquam eſt ſera conuerſio: Latro de cruce tranſit ad paradiſum.

Septimum ſignum reprobationis eſt peccatum in Spiritum ſanctum: quia irremiſſibile dicitur, iuxta illud *Matt.* 12. Qui dixerit contra Spiritum ſanctum, non dimittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.

Nota primò, quod generaliter omne peccatum eſt contra Deum Trinum: appropriatè tamen dicitur aliud eſſe in Patrem, aliud in

Filium, aliud in Spiritum sanctum. In Patrē enim,cui attribuitur potentia,peccatur ex infirmitate ac fragilitate: in Filium, cui attribuitur sapientia, peccatur ex ignorantia: in Spiritum sanctum, cui attribuitur bonitas, peccatur ex malitia, *id est*, ex certa scientia, & ex plena voluntate, & ex plena libertate: quod fit, quando voluntas scit & potest resistere peccato, modo velit, illud tamen liberè ex sola sua vertibilitate eligit. Verum huiusmodi peccatum, adhuc non est huius loci proprium.

Nota secundò, quod aliquod peccatum, tripliciter potest dici irremissibile. *Primò*, negatiuè: hoc modo irremissibile est peccatum reproborum ac damnatorum: quia nulla iam ratione remittitur. *Secundò*, priuatiuè: hoc modo irremissibile est quodlibet peccatum mortale: quia priuat hominem illo dono cælesti, sine quo ex seipso non potest ad gratiam resurgere, nisi deinde cælitus efficaciter adiuuetur. *Tertiò*, contrariè: hoc modo irremissibile est peccatum huius loci in Spiritum sanctum: quia habet in se contrariam dispositionem ad remittendum, & repugnat gratiæ Spiritus sancti, seu gratiæ pœnitentiali, per quam fit remissio peccati à Deo, intra vnitatem Ecclesiæ.

Nota tertiò, quod repugnantia gratiæ Spiritus sancti, alias dispositio contraria gratiæ pœnitentiali, triplex habetur: vel nimirum

in com-

in comparatione ad ipsam pœnitentiam, vel in comparatione ad Deum, vel in comparatione ad vnitatem Ecclesiæ. *Prima* repugnantia, duas peccati in Spiritum sanctum species constituit, vt est, obstinatio mentis, & finalis impœnitentia: pœnitentia enim facit animã resilire à commissis, & præcauere à committendis: contra quod est mentis obstinatio, & finalis impœnitentia seu propositum nunquam pœnitendi. *Secunda*, duas eiusdem peccati species constituit, vtpotè desperationem & præsumptionem: nam vniuersæ viæ Domini, misericordia & veritas, *id est*, iustitia. Non sic enim Deus misericors est, quod non sit iam & iustus; & non sic est iustus, quod non sit etiam & misericors. Vnde misericordiam Dei impugnat desperatio, & iustitiã præsumptio. *Tertia* tandem, duas species constituit, vt est impugnatio agnitæ veritatis, & fraternæ charitatis inuidentia. Nam vnitas Ecclesiæ, maximè in duobus consistit, vtpotè, in veritate fidei, contra quam est impugnatio agnitæ veritatis; & in gratia Dei seu charitate, contra quam est fraternæ gratiæ inuidentia.

Nota quartò, quod sicut principia politica & habitus praui desinere solent in peccata recidiuationis: ita quoque peccata recidiuationis, vt plurimum desinunt in peccata huius loci irremissibilia: quia frequenti suo vsu, vel etiam quandoque vnico actu suo intenso, causant ac efficiunt in voluntate repugnantiam

compun-

compunctioni, ipsique pœnitentiali gratiæ contrariam dispositionem.

CONSCIENTIA hinc illuminata, examinat seipsam diligentissimè de his omnibus quæ dicta sunt. VOLVNTAS secundum lumen seu dictamen conscientiæ, in via iustitiæ, cautè proponit incedere.

In secunda consideratione.

RATIO quærit. Quæ & quotuplicia mala pœnarum, in inferno damnati patiuntur? Respondet SYNTERESIS. Triplicia mala. *Vtpotè pœnam damni, pœnam sensus, & pœnam vermis seu remorsus conscientiæ.* *Malum* pœnæ damni, significat priuationem, & carentiam æternam gratiæ Dei, & gloriæ cælestis. Vnde est *Ps.* 58. Ibunt in progenies patrum suorum, & vsque in æternum non videbunt lumen. *Vtpotè* gloriæ Dei. De huiusmodi malo pœnæ *D. Chrys. sic ait.* Excludi à bonis æternis, & alienum effici ab his quæ parata sunt Sanctis, tantum generat cruciatum, tantum dolorem, vt etsi nulla extrinsecus pœna torqueret, hæc sola sufficeret: vnde vulgò dicitur. Non cognoscuntur bona, nisi amissa. *Idem.* Plurimi solam pertimescunt gehennã: ego autem illius gloriæ amissionem multò amarius, quàm ipsius gehennæ dico esse supplicium horribile. Si mille gehennas mihi proponas, non tantum reputo, sicut ab illius gloriosæ societatis iucunditate expelli, & exosum fieri creatori. *Malum*

Malum pœnæ ſenſus deſcribit *S. Greg. dicens.* Sicut in domo Patris manſiones multæ ſunt, pro diuerſitate virtutis: ſic damnatos, diuerſo ſupplicio, gehennæ ignibus ſubijcit, diſparitas criminis. Quæ ſcilicet gehenna, quamuis vna ſit cunctis, non tamen cunctos vna eademque qualitate ſuccendit. Et *S. Aug.* Sicut nullum gaudium rerum temporalium ex aliqua parte ſimile poteſt inueniri gaudio vitæ æternæ, quam Sancti accepturi ſunt; ita nullus cruciatus pœnarum temporalium, poteſt ſempiternis iniquorũ cruciatibus comparari. *Malum* pœnæ vermis ſeu remorſus conſcientiæ, tangitur *Iſa. 66.* Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.

CONSCIENTIA huiuſmodi mala fortiter apprehendit. VOLVNTAS efficaciter effugere cupit.

In tertia conſideratione.

RATIO quærit. Pro quo tot ac tantis malis pœnarum, homo æternaliter punitur? Reſpondet SYNTERESIS. Triplici malo pœnæ punitur homo, pro triplici deordinatione, quàm ſcilicet aliquod mortale peccatum perpetrando incurrit. *Et primò,* Malo pœnæ damni punitur, pro deordinatione, quæ fit per auerſionem mentis à Deo ſummè bono: vbi homo magis vult eſſe ſui quàm illius iuris; & pluris ſuum facit ſenſum, quàm diuinum beneplacitum. Vnde, quia ſic Deum prior, à

facie

facie animæ ſuæ eijcere audet; meritò etiam & ipſe à facie Dei in æternum debet eijci, iuxta illud *Ier.* 17. Expectatio Iſraël Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur: recedentes à te, in terra deſcribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum. Et *Pſal.* 51. Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem; iniquitatem magis, quàm loqui æquitatem. Dilexiſti omnia verba præcipitationis, lingua doloſa. Propterea Deus deſtruet te in finem: euellet te & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. *Secundò*, malo pœnæ ſenſus punitur homo, pro deordinatione, quàm incurrit per conuerſionem ſuæ mentis ad creaturam: quod facit dum in inferioribus ſupra Deum delectatur. Vnde, quia ſic homo, Deo deſerto ac ſpreto, omnibus ſuis viribus adhæret creaturæ; merito etiam per creaturam in ijſdem omnibus potentijs ac mébris ſuis torqueri debet, iuxta illud *Sap.* 11. Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. Et *S. Bern.* Singulis exceſſibus, ſingulis & membris, quæ arma fuerunt iniquitatis, ſua debetur pœna, pro qualitate vel quantitate commiſſi: in quo autem membro creator amplius offenditur, peccator grauius torquebitur.

Hinc eſt, quod malum pœnæ ſenſus, in nouem tormentorum genera multiplicabitur. *Primum* genus eſt ardor intolerabilis ſempi-

sempiterni ignis, quo cruciabuntur omnes damnati pro suis voluptatibus, quibus in præsenti fruuntur non vtuntur. De hoc igne semper vrente illud est *Isa.* 33. Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis. Et *Matth.* 25. Discedite à me maledicti in ignem æternum. Et *Apoc.* 18. Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit; tantum date ei tormentum & luctus. Et *S. Aug.* Necesse est, quod tantum vrat dolor, quantum hæserat amor. Hinc est, quod tanto quis magis torquetur, tàm in inferno quàm in purgatorio, quantò medullis eius intimius amor inhæserat mundanorum.

Secundum genus tormentorum est frigus intensissimum, quod pro acedia seu pro neglectu diuinorum, ac incuria spiritualium damnatis infligitur. Vnde *Iob.* 24. Ad nimiũ calorem transiet ab aquis niuium. Et *S. Fulgentius.* Principaliora duo sunt tormenta in inferno: frigus intolerabile, & calor ignis inextinguibilis. Vnde in Euangelio legitur, Ibi erit fletus & stridor dentium, fletus namq; in liquefactione oculorum de calore nascitur; stridor verò dentium, de frigore oritur.

Tertiũ genus est fætor nimius ex sulphure procedens, quem damnati percipient pro odoratione immoderata. Vnde *Psal.* 10. Pluet super peccatores laqueos; ignis & sulphur & spiritus procellarum, pars calicis eorum.

Et

Et *Apoc.* 14. Cruciabuntur igne & ſulphure in conſpectu Angelorum Sanctorum.

Quartum eſt Fames inexplebilis, quâ impij epulones cruciabuntur, pro ſuis commeſſationibus exceſſiuis ac luxurioſis, & inanibus prodigalitatibus. Vnde *Luc.* 6. Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis. Et *Pſal.* 58. Famem patientur vt canes.

Quintum, ſitis inſatiabilis, quâ ijdem epulones cruciabuntur pro ebrietatibus. Vnde *Luc.* 16. Pater Abraham mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et *Deut.* 32. Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.

Sextum genus tormentorum infernalium eſt morſus beſtiarum crudelium, ſeu potius dæmonum, qui ſub formis ac figuris beſtiarum, reprobos morſibus ſuis torquebunt, & hoc propter odia illorum, inuidias, rixas, detractiones, &c. Vnde *Deut.* 32. Conſumentur fame, & deuorabunt eos aues morſu amariſſimo: dentes beſtiarum immittam in eos. Et *Iob.* 20. Caput aſpidum ſuget; & occidet eum lingua viperæ. Et *Iudith.* 16. Dominus omnipotens, dabit vermes in carnes ipſorum.

Septimum, Intuitus dæmonum horribilium ac deformium, qui præſentiâ ſuâ perpetuâ, damnatos mirificè torquebunt, ac præterea in tantis miſerijs irridebunt, vexabunt, & va-

rijs

rijs probris afficient, in pœnam eorum ſuperbiæ, iactantiæ, ambitionis, hypocriſis, &c. Vnde *Prou.* 29. Superbum ſequitur humilitas. *Item.* Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit; ſed ſequitur eum ignominia & opprobrium.

Octauum. Locus ipſe inferni tenebroſus, profundus, ſubterraneus, inhumanus, & omni horrore plenus. Vnde *Iob.* 10. Terra miſeriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Et *S. Greg.* In inferno ignis non lucet ad conſolationem, & tamen vt magis torqueat ad aliquid lucet; nam ſequaces ſuos ſecum in tormento reprobi flamma illuſtrante viſuri ſunt, quorum amore deliquerunt, quatenus qui eorum vitam carnaliter contra præcepta conditoris amârunt, ipſorum quoque interitus, eos in augmentum ſuæ damnationis affligat.

Nonum. Carceris æterni acerbitas. Vnde *Matth.* 24. Ligatis manibus ac pedibus proijcite eum in tenebras exteriores. Et *Iſai.* 24. Congregabuntur congregatione vnius faſcis, & claudentur in carcere. Et *Pſal.* 28. Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.

Tertio, malo pœnæ vermis conſcientiæ, ſeu malo pœnæ remorſus ſyntereſis homo punitur, pungitur, & mordetur in inferno, pro deordinatione, quæ fit per auerſionem mentis liberæ, à recto ſui dictamine; & per

conuer-

conuerſionem ad ea quæ ſunt ſenſualitatis ſeu cupiditatis: merito enim homo à propria ſynteresi & conſcientia continuis improperijs & conuitijs in æternum mordebitur, arguetur, & cruciabitur, quia dum tempus ei eſſet bonum operandi & malum fugiendi; inſtinctum & admonitionem eius audire noluiſſet. Vnde *S. Aug. de fide ad Petrum.* In inferno & ſi erit ſtimulus pœnitudinis, nulla tamen ibi erit correctio voluntatis: à quibus enim ibi culpabitur iniquitas, ab eis nullatenus poterit diligi vel deſiderari iuſtitia.

CONSCIENTIA incuſat huiuſmodi deordinationes. VOLVNTAS perpetuo rectè ſe coram Deo habere cupit.

In quarta conſideratione.

RATIO quærit. A quolibet damnatorum, qualiter cruciatus infernales tolerantur? Reſpondet SYNTERESIS. *Primò*, cum ſumma triſtitia, & cum nimia turbatione. Vnde eſt *Pſal.* 111. Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet, deſiderium peccatorum peribit. Et *Sap.* 5. Videntes turbabuntur timore horribili, &c. Et *Eccl.* 25. Summa plaga eſt mæror animi. *Secundò*, cùm ineffabili odio & inuidia: reprobi enim videntes Sanctos Dei, æterna gaudia poſſidere, & ſeipſos æterna ſupplicia pati, ſummũ indè contra Deum concipiunt odium, & Sanctis eius tantam felicitatem nimis inuident, iuxta illud

illud *Psal.* 73. Superbia eorum (*quæ est principium peccati, ac omnium vitiorum radix & caput*) qui te oderunt, ascendit semper. *Tertiò*, cum multis maledictionibus & blasphemijs. Vnde est *Isai.* 8. Et maledicet Regi suo, & Deo suo. Et *Apoc.* 16. Et æstuauerunt homines æstu magno, & blasphemauerunt nomen Dei. *Quartò*, cum summa desperatione. Vnde *Hugo lib.* 4. *de anima.* Infernus, latus est sine mensura, profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fætore intolerabili, plenus dolore innumerabili, ibi miseria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali. *Quintò*, cùm ineffabili desiderio mortis seu annihilationis. Vnde *S. Aug.* Ibi mors optatur, & non dabitur. Sic enim ignis ille consumet, vt vitam tamen seruet: sic vetera tormenta damnati patientur, vt semper eis innouentur: sic sine spe veniæ ac misericordiæ semper viuent, vt tamen moriantur; sic morientur, vt tamen nunquam consumentur. *Idem.* Quare, *inquit* in inferno mors quæritur & non inuenitur? quia quibus in hoc sæculo vita offertur, sed noluerunt accipere; in inferno quærent mortem, & non poterunt inuenire. Et *S. Greg.* Fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia & mors viuit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit; mors perimit & non extinguit; dolor cruciat, & nullatenus pauo-

rem fugat. Et *S. Hier.* O mors quam dulcis esses, quibus tam amara fuisti; te solummodo desiderant, qui te tam vehementer odio habebant.

CONSCIENTIA his perterritur. VOLVNTAS humillimè & affectuosissimè orat, dicens. Ne perdas cum impijs Deus animam meam: & cum viris sanguinum vitam meam.

In quinta consideratione.

RATIO quærit. Quomodo pœnæ infernales ab vnoquoque hominum fugiendæ sint? Respondet SYNTERESIS. *Primò*, per dignos fructus pœnitentiæ. Vnde est *Luc.* 3. Quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Sunt autem digni fructus pœnitentiæ, idem quod post veram ad Deum conuersionem iugiter bonis operibus insistere, & ipsum amplius non peccare, iuxta illud *Ioan.* 8. Vade, & iam amplius noli peccare. Et *Ezech.* 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudiciũ & iustitiam, vitâ viuet & non morietur.

Secundò, per descensum mentalem in infernum, *id est* per piam meditationem ac iugem memoriam pœnarum infernalium, iuxta illud *Eccl.* 7. In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis, *& consequenter* non damnaberis: quia peccatum

catum eſt cauſa damnationis. Huiuſmodi deſcenſum Dauid peccatoribus ſuadet ac precatur dicens. *Pſal.* 54. Et deſcendant in infernum viuentes. Vnde *S. Bonauent. ad verba illa Ezech. regis apud Iſa. cap.* 38. *prolata.* Ego dixi in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. *ſic ait;* Optimè conſuluit pro dimidio dierum ſuorum, quod vadat homo ad infernum in dimidio vitæ ſuæ, dum eſt iuuenis & ſanus, & hoc per diligentem conſiderationem, vt poſtea non deſcendat in fine vitæ, per æternam damnationem.

Tertiò per punitionem ſuiipſius pro peccatis præteritis, qualis fuit punitio Regis Dauid dicentis. *Pſ.* 118. Feci iudicium & iuſtitiam; non tradas me, calumniantibus me. Et qualem nobis S. Paulus commendat inquiens *Rom.* 8. Fratres debitores ſumus, non carni, vt ſecundum carnem viuamus: Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.

Quartò, per condonationem punitionis proximo iniuriam ſibi facienti præſtitam, iuxta illud *Marc.* 11. Dimittite ſi quid habetis aduerſus aliquem, vt & Pater veſter qui in cælis eſt, dimittat vobis peccata veſtra. Et *Luc.* 6. Nolite iudicare, & non iudicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini; dimittite, & dimittemini. Et *Matt.* 18. Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam

rogâsti me, nonne ergo oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut ego tui miſertus ſum?

Quintò, per electionem in præſenti vita huius mundi aduerſitatum, & per contemptum præſentis ſæculi proſperitatum, propter Chriſti imitationem. Vnde *Luc.* 16. Fili recordare, quia accepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala; nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris. *Sextò*, per abnegationem propriæ voluntatis, quæ non gloriam Dei, nec communem fratrum vtilitatẽ quærit, ſed priuatum commodum ac propriũ oblectamentum. Vnde *S. Bern.* Quid odit aut punit Deus præter voluntatem propriam? Ceſſet propria voluntas, & infernus non erit.

CONSCIENTIA doctrinã huiuſmodi amplectitur. VOLVNTAS eandem ſequi pollicetur.

In ſexta conſideratione.

RATIO quærit. Quam ob cauſam plures homines æternaliter damnantur, quàm ſaluantur? & hoc non niſi pro modica & momentanea voluptate in actu peccaminoſo. Reſpondet SYNTERESIS ad primam partem propoſitionis, tripliciter.

Primò quidem loquendo de hominibus in communi, neceſſe eſt plures damnari quàm ſaluari ob duas rationes ſeu cauſas, quarum altera eſt *vniuerſalis*, & altera *particularis*. Cauſa vniuerſalis triplex habetur. *Prima* eſt, quia

quia ſicut multo plures ſunt in hoc mundo infideles homines, quàm fideles Catholici; ita etiam plures debent damnari quàm ſaluari, nam ſine fide impoſſibile eſt Deo placere. Vnde eſt illud 4. *Eſdræ* 8. Hoc ſæculum fecit Deus propter multos, futurum autem propter paucos: ſicut terra dat multam materiã ex qua fiunt fictilia, paucam verò ex qua fiat aurum & argentum: Multi quidem creati ſunt, ſed pauci ſaluantur. *Secunda* cauſa, eſt perfectio vniuerſi: quia diſtincti gradus, faciunt ad maiorem perfectionem vniuerſi. *Tertia* eſt manifeſtatio miſericordiæ ac iuſtitiæ Dei: nam in his qui ſaluantur, apparet diuina miſericordia; in his verò qui damnantur, apparet diuina iuſtitia Vnde *S. Aug. lib.* 2. *de Ciuit Dei cap.* 12. Si remanerent (*inquit*) omnes rei in pœnis iuſtæ damnationis, non appareret miſericors gratia redimentis. Rurſus, ſi omnes transferrentur de tenebris ad lucem, in nullo appareret ſeueritas vltionis; in qua propterea multo plures quàm in illa sũt, vt ſic appareret quid omnibus debebatur.

Particularis cauſa ſoli Deo nota eſt, nobis verò occulta, & omnino non inquirenda. Vnde *S. Aug.* Eorum non miſeretur, quibus gratiam non eſſe præbendam, æquitate occultiſſima, & ab humanis ſenſibus remotiſſima iudicat. *Idem.* Quare hunc trahat, & iſtum non; noli diiudicare, ſi non vis errare. Et *Magiſter ſent.* In hoc melior eſt fidelis ignorantia,

rantia, quàm temeraria ſcientia: nam Propheta dicit *Pſ.* 35. Iudicia Dei abyſſus multa. Ideò timendum eſt, ne curioſè quærentes hanc abyſſum, demergantur in abyſſum. Et *S. Bonau.* Quia non fuit nobis expediens ad ſalutem iſta cognitio, ſed vtilior ignorantia propter humilitatem; ideò Deus noluit reuelare, & Apoſtolus non fuit auſus inquirere; ſed oſtendit defectum noſtræ intelligentiæ, cùm exclamauit *Rom.* 11. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius,& inueſtigabiles viæ eius. *hæc ille.* Huius igitur cauſæ particularis omnino prohibetur curioſa inquiſitio non ſolum à Sanctis patribus, verum & à ſacra Scriptura, vt eſt *Prou.* 25. Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum: ſic qui ſcrutator eſt maieſtatis opprimetur à gloria. Et *Eccl.* 3. Altiora te ne quæſieris, ac fortiora te ne ſcrutatus fueris; ſed quæ præcipit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus; multos enim ſupplantauit ſuſpicio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorum. Et *Sap.* 1. Sentite de Domino in bonitate,& in ſimplicitate cordis quærite illum: quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum; apparet autem eis, qui fidem habent in illum.

Secundò, loquendo de ſolis hominibus Catholicis, adhuc plures ex eis damnari quàm ſaluari neceſſe eſt, iuxta illud Chriſti oraculum.

lum. *Luc.* 13. Ait autem illi quidam: Domine si pauci sunt, qui saluantur? Ipse autem dixit ad illos. Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærunt intrare, & non poterunt. Et *Matth.* 7. Intrate per angustam portam: quia lata porta & spaciosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam: quia angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam. *Item cap.* 22. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Vnde *S. Greg. hom.* 19. Ad fidem plures veniunt, sed ad cælestia regna pauci perducuntur. Et *S. Chrys. hom.* 40. Quot putatis esse in hac ciuitate nostra (*Antiochia*) qui salui fiant? Infestum est quod dicturus sum, dicam tamen. Non possunt inueniri in tot millibus centum qui saluentur, quin & de his dubito. Quanta enim est in iuuenibus malitia? quantus in senibus torpor?

Huius itaque rei prima ratio est, quod ex ipsis fidelibus pauciores saluentur, & plures damnentur; quia longè maior pars fidelium à puero enutritur, adolescit, viuit, & consenescit in statu mortalis peccati. Adeamus enim aulas, tribunalia, nundinas, officinas artificum & mercatorum, ac similium, militiã, naues, currus, domus, & quæuis contubernia hominum, & vbique contemplemur puerorum, adolescentium, virorum, senumque corruptissimos mores, periuria, conuitia,

contentiones, detractiones, maledictiones, odia, rixas, inuidias, ambitiones, fraudes, obscœnitates, luxurias, ebrietates, & multa praua desideria, ac ita profectò his Sanctorum sententijs consentiemus, quod verè pauci sint qui salutis suæ curam gerant, & consequenter pauci saluentur, dicemusque illud *Psal.* 13. Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studijs suis, non est qui faciat bonum. Et illud *Mich.* 7. Perijt Sanctus de terra, & rectus in hominibus non est.

Secunda ratio est, quia multi fidelium malè & indignè suscipiunt salutifera pœnitentiæ ac Eucharistiæ Sacramenta, tam nimirum in vita quàm in morte; & hoc propter defectũ iustæ præparationis ac dispositionis, quæ consistit in detestatione supernaturali peccatorũ, & in proposito stabili, firmo, ac serio amplius non peccandi. Hos enim actus sani accedendo ad huiusmodi Sacramenta, eo quod affectus suos in concupiscentijs & cupiditatibus huius mundi prauis, profundè immersos habeant, aut omninò formare nesciunt, aut nequeunt, aut negligunt, aut non nisi superficialiter formant ac eliciunt. Vnde tam ex habitu tot annorum, quàm ex debilitate corporis & animæ virium, tales etiam actus detestationis & propositi in mortis articulo producunt, quales dum sani essent habere solebant, nempè superficiales, verbales, inefficaces, instabiles, ac potius ex metu mortis, quàm ex libera

bera voluntate ac ipſius Dei charitate prouenientes: quod quidem inferre eſt ex multis, qui dum ex letali morbo conualeſcunt, mox aliquatenus reaſſumptis viribus ad vomitum priſtinarum iniquitatum reuertuntur. *Vel* poſito, quod horum aliqui in morte, ſua perfectè deteſtentur peccata, & verum ac abſolutum amplius non peccandi eliciant propoſitum; tamen dum pluribus horis aut etiam diebus poſt diſpoſitionem conſcientiæ ſuæ decumbunt, recurrit illis memoria præteritarum cupiditatum, & conſuetarum oblectationum: in qua, tum ſcilicet ex mala conſuetudine contracta, tum ex tentatione diabolica, tum ex concepta ſpe ſanitatis recuperandæ, tum ex ſui cuſtodia negligente, tum ex diuina iuſta permiſſione in pœnam ſcelerum præteritorum ſibi complacent. Vnde eſt quod quidam ſpiritualium ait. Peccata, quibus aſſueuiſti; & vitia, quæ in vita mortificare neglexiſti; & diabolus, quem dum ſanus eſſes non viciſti: ingruente morte, acerrimè te oppugnabunt.

Tertiò, loquendo de ſolis iuſtis, ac verè & plenè ab iniquitate, ad Deum tempeſtiuè conuerſis, adhuc ad minus media pars illorũ videtur eſſe damnanda: quia non pauci ex illis, quam incipiunt iuſtitiam deſerunt: per hoc ſcilicet, quod poſt ſuam conuerſionem ſenſim in deuotione ac ſtudio virtutum tepeſcant; donec euomiti de ore Dei plenè refri-

gescant in charitate; & gratiam sibi datam quam stabiliter & fortiter tenere debebant, per suam incuriam & negligentiam perdant: & consequenter in locum eorum ex diuina vocatione alteri succedant, qui coronam eis paratam accipiant. Quod quidem figuratum habemus *Matth.* 25. in illis decem virginibus, quarum quinque erant prudentes, quæ obuiauerunt Sponso cælesti cum accensis lampadibus finalis perseuerantiæ: & quinque fatuæ, quibus oleum orationis ac studii spiritualis defecit, & lampades charitatis Dei ac proximi, extinctæ sunt.

Interim nemo debet anxiari aut fluctuare, quod videlicet nesciat de quo sit numero, sed inter manus Dei se toto corde & salutem suã collocet dicens illud *Ps.* 30. In manibus tuis sortes meæ Domine, & tempora mea. Vbi etiam S. Paulus tuto collocabat animam suam, salutem suam, omniumque meritorum suorũ pretiosum thesaurum, dum diceret 2. *Tim.* 1. Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem, iustus iudex. Vnde teste *Thoma à Kempis* cuidam religioso hac de re sollicito & mærore affecto, Deum sic affectuosissimè oranti. O si scirem Domine Deus quod de numero perseuerantium essem, multò plus te diligerem, ac magis in vita spirituali proficere studerem. *Statim responsum est.* Quid facere velles, si id scires; fac nunc, & securus eris.

Moxq́; consolatus, diuinæ se tradidit voluntati, & anxietas eius cessauit, noluitque amplius quæ sibi futura essent inuestigare.

Ad secundã partem propositionis respondet SYNTERESIS Sanctorum Patrum rationibus. *Primò* ratione *S. Greg. dial.* 4. *cap.* 44. Iniqui voluissent sine fine viuere, vt potuissent sine fine in iniquitatibus permanere: ad districti ergo iudicis iustitiam pertinet, vt nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita, nunquam carere voluit peccato. *Secundò* ratione *D. Bern. Epist.* 253. Ob hoc procul dubio inflexibilis & obstinatæ mentis punitur æternaliter malum, licet temporaliter perpetratum: quia quod breue fuit tempore, longum esse constat in pertinaci voluntate; ita, vt si nunquam moreretur, nunquam velle peccare desineret; imò semper viuere vellet, vt semper peccare posset. *Tertiò* rationibus *D Bonau. cent. part.* 2. *sect.* 7. Sicut homo in suo perpetuo non apposuit finem peccato: sic Deus in suo perpetuo non desistet à puniendo. *Item.* Sicut contra infinitum peccauit, sic pœnam habeat infinitam: & quia infinitam pœnam non potest habere intensione, saltim infinitam habeat duratione. *Item.* Sicut voluntas post mortem malo adhæret in perpetuum sine susceptione pœnitentiæ; sic Deus affliget sine sententiæ mutatione. *Item lib.* 1. *Comp. Theol. verit. cap.* 33. Cùm homo peccat, errat in infinitum quo-

dammodo vis rationalis, irascibilis, & concupiscibilis, quando finitum præponit infinito; illa quidem iudicando, ista adhærendo, & vltima appetendo: vnde congruè debet esse pœna infinita. *Item*. Sicut venditio momentanea, dat ius possidendi perpetuum. Et vulneratio momentanea facit cicatricem perpetuam. Et offensio oculorum temporalis, cæcitatem operatur perpetuam. Et potio veneni momentanea, mortem operatur perpetuam. Ita modicæ ac breuis voluptatis experientia inordinata, æternâ plectitur pœnâ.

CONSCIENTIA his auditis & approbatis, voluntatem stimulat ad tradendum se studio vitæ spiritualis, vt sic donum finalis perseuerantiæ obtineat. VOLVNTAS, efficaciter idipsum eligit, & à Deo summis precibus efflagitat.

PRAXIS X.

Mysterium gloriæ cælestis ascetice meditandi.

In prima consideratione.

RATIO quærit. Quis hominum gloriam cælestem assequetur? Respondet SYNTERESIS dicens. Omnis qui à Deo prædestinatus est, ac ab æterno scriptus in libro vitæ reperietur, iuxta illud *Dan*. 12. In tempore illo saluabitur populus tuus, omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro. Huius libri mentionē fecit Moyses, cùm diceret *Exod*. 32.

Aut

Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo. Vbi non cupiuit Moyses verè deleri de libro vitæ, seu anathema ac reprobatus fieri; sed sic intelligere voluit. Quod sicut impossibile est apud te ô Deus meus, me posse deleri de libro vitæ; ita impossibile est te nolle remittere illis hanc noxam, intercedente hâc meâ licet indignâ obsecratione. Vnde etiam cùm D. Paulus diceret *Rom.* 9. Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis. Non optabat fieri reprobus, aut de libro vitæ deleri; sed optabat non esse Christianus, quando fuit Iudæus à Christianis in lege diuersus, tunc enim per errorem nolebat Christi esse, & communicare Christianis, & consequenter volebat esse anathematizatus à Christo. Potest nihilominus aliquis prædestinatus deleri de libro vitæ, vtpotè prædestinatus prædestinatione inchoatâ, non autem completâ; ac re ipsa multi delentur quotidie, cùm iustitiam inceptam deserunt. Vnde *D. Bon. lib.* 1. *com. Theol. Verit. cap.* 3. Duæ sunt paginæ libri vitæ, vna est præsentis iustitiæ, à qua potest quis deleri; alia est dispositionis æternæ, de qua nullus delebitur. Quamuis autem homo scire non possit modo ordinario, se esse completè prædestinatum, ac in altera pagina libri vitæ finaliter inueniendum, habet tamen in hac vita aliqua æternæ prædestinationis ac electionis suæ probabilia signa, quæ interim

in hoc exilio verum solidumque menti eius gaudium adferre possunt, iuxta illud *Luc.* 10. Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cælo.

Primum ergo signum prædestinationis est vocatio Dei, iuxta illud *Rom.* 8. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit. Vocatio Dei nihil aliud est, quàm diuina inuitatio hominis ad imitationem & cultum iustitiæ, quæ ex fide est, seu ad studium Christianæ perfectionis, effecta videlicet per externam sacri verbi prædicationem, ac internam intellectus illustrationem, & voluntatis permotionem. Huiusmodi autem vocatio Dei duplex est, altera *sufficiens*, & altera *efficax*.

Vocatio Dei sufficiens illa est, quæ caret effectu consensionis ac obeditionis humani liberi arbitrij, de qua illud est *Prou.* 1. Quia vocaui, & renuistis; extendi manum meam, &c. Et *Matth.* 22. Multi enim vocati, pauci verò electi sunt. Vocatio efficax, illa est, quæ habet effectum consensionis & obeditionis, de qua *Iob.* 14. Vocabis me, & ego respondebo tibi, scipote consensione & obeditione meâ. Hæc deinde vocatio efficax, alia est communis omnium iustorum, quæ est congrua & opportuna diuina inuitatio, ac suauis quædam Spiritus sancti pertractio ad perfectionem necessitatis: alia specialis, quæ est eadem diuina inuitatio ac pertractio quorundam iustorum, ad statum spiritualem,

præsertim alicuius Religionis reformatæ, in qua viget studium perfectionis supererogatiuæ. Vtraque præsens vocatio est signum prædestinationis ad gloriam, sed secunda ad abundantiorem: nec requiritur quod talis vocatio sit extraordinaria, *id est*, miraculosa: sed sufficit, quod sit ordinaria, quæ fit per solam inspirationem, illuminationem, ac motionem internam. Vnde *Ioan.* 10. Oues meæ vocem meam audiunt. Et *cap.* 8. Amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Et *Luc.* 11. Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. *Et Laurentius Iustinianus de perf.* Securè speret post hanc peregrinationem ad supernam intrare Ierusalem, quicunque in iustorum congregationem fuerit vocatus. Magnum quippè electionis indicium est, huius fraternitatis habere consortium; & facile ab illa excluditur, qui ab hac fuerit segregatus. Et *S. Bern. serm. ad fratres de monte.* Bonum est nos hic esse, scilicet in Religione; quia hic homo viuit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, quiescit securius, irroratur frequentius, purgatur citius, moritur confidentius, remuneratur copiosius.

Secundum signum ac indicium prædestinationis est iustificatio, iuxta illud *Rom.* 8. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit. Est autem iustificatio duplex, *prima scilicet & secunda.* Prima

iustificatione iustificatur aliquis, quando ex diuina vocatione, vel fidem in Christum propitiatorem ac redemptorem, cum baptismo, fidei scilicet Sacramento recipiens, ex infideli & impio, fidelis ac pius efficitur: vel eandem fidem renouans, ac eiusdem fidei Sacramentum pœnitentiæ suscipiens, ex peccatore ac inimico Dei, fit iustus & amicus. De hac iustificatione illud est *Rom.* 3. Arbitramur enim iustificari hominē per fidē (*quæ nimirū spem, charitatem, compunctionem, deuotionem, ac Sanctum Dei timorem producit & gignit*) sine operibus (*vtpotè, cæremonialibus, veteris*) legis. *Vel.* Sine operibus legis. *Scilicet*, in facto esse habitis: quia ad primam iustificationem obtinendam, sufficiunt opera nouæ legis in voto, tam videlicet explicito, quàm implicito. *Et illud Galat.* 2. Non iustificatur homo ex operibus legis (*solis nimirum naturæ viribus factis*) nisi per fidem (*vtpotè viuam*) IESV Christi.

Secunda iustificatione iustificatur aliquis, quando per actus eiusdem fidei, nec non spei, charitatis ac timoris Dei sæpè elicitos, & per frequentem vsum fidei Sacramentorum, & per exercitia bonorum operum nouæ legis, iugiter in amicitia Dei proficit, iuxta illud *Apoc.* 22. Qui iustus est (*primâ nimirum iustificatione*) iustificetur adhuc (*secundâ iustificatione*) & Sanctus, sanctificetur adhuc. Hanc autem iustificationem secundam, puta

esse

esse huius loci signum prædestinationis ad gloriam: quia prima iustificatio, eo quod nondum in bonis operibus exercitata sit, adhuc debilis est, ac ideò non rarò facilè deficit; secunda verò, eo quod continuo profectu, & iugi bonâ operatione magis ac magis roboretur, stabilis esse solet. Et de hac iustificatione illud est *Ezech.* 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vitâ viuet, & non morietur. Et *Psal.* 106. Beati qui custodiunt iudicium (*recta conscientia*) & faciunt iustitiam (*bonorum operum*) in omni tempore. Et *Luc.* 15. Dico vobis, quod ita gaudiũ erit in cælo super vno peccatore pœnitentiã (*vtpotè tempestiuam, continuam & perpetuam*) agente; quàm super nonaginta nouem iustis, qui (*ex imprudentia, existimantes satis sibi habere primam iustitiam ac pœnitentiam; secundâ*) non indigent pœnitentiâ. *seu contritione; quæ nimirum secundam parit iustitiam, vel iustificationem.*

Est autem talis differentia inter iustificationem & vocationem diuinam: quia vocatio retrahit à malo, & offert gratiam; iustificatio verò prima, eandem gratiam, vtpotè gratum facientẽ confert, & secunda augmentat.

Tertium signum ac testimonium prædestinationis, est studiosa auersio mentis à legè iniquitatis, & eiusdem perpetua conuersio ad

obser-

obseruantiam legis diuinæ: *Vel* est odium peccati perpetuum, & voluntas æterna in lege Dei, iuxta illud *Psal.* 1. Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, (*id est, qui non est secutus consilium peccandi*) & in via peccatorum non stetit (*id est, in via iniquitatis sibi non complacuit, seu non perseuerauit*) & in cathedra pestilentiæ non sedit, *id est, alios peccare non docuit, seu ad peccandum non induxit*) sed in lege Domini voluntas eius; & in lege eius meditabitur die ac nocte. Et *Ps.* 118. Iniquitatem odio habui & abominatus sum, legem autem tuam dilexi. Et 2. *Tim.* 2. Firmũ fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc. Cognouit Dominus qui sunt eius, & discedit ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini. Sicut enim arbor, quo se suorum propensione ramorum inclinat, siue nimirum ad aquilonem, siue ad meridiem, cùm succiditur, ibi prouoluta iacet: ita etiam mens humana, si in partem legis mundanæ, carnalis, ac diabolicæ in præsenti vita inclinatur, cùm arbor corporis illius securi mortis succiditur, ad aquilonem æternæ damnationis cadit: si verò in partem obseruantiæ legis diuinæ sese extendit, in meridiem claritatis cælestis transportatur, quod ipsum S. Dauid expectans dicebat. *Psal.* 118. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.

Quartum signum est victoria mundi & sui,

per

per imitationem Christi, iuxta illud 2. *Tim.* 2. Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, *id est,* vicerit. Et *Apoc.* 3. Qui vicerit, dabo ei sedere in throno meo. Ille autem vincit mundum, qui semper illius prosperitates fugiendo reprobat, & aduersitates eligendo approbat, iuxta illud *Galat* 6. Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri IESV Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Est autem alicui mundus crucifixus, dum scilicet eius aduersa non metuit: & mundo aliquis crucifigi dicitur, dum eius prospera contemnit. Vnde *S. Aug. tract. de cont. mundi.* Si Christus pro te de cælesti sede descendit, tu propter ipsum fuge terrena. Si dulcis est mundus, dulcior est Christus. Si amarus est mundus, omnia pro te sustinuit Christus. Ille quoque vincit seipsum, qui semper captiuat proprium iudicium, & abnegat propriam voluntatem, & mortificat sensualitatem, iuxta illud quod dicitur *Gal.* 5. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.

Quintum signum est Zelus Christi, seu zelus animarum spiritualis, iuxta illud *Ier.* 15. Si separaueris pretiosum à vili (*hoc est, si ab errore infidelitatis, ad veritatem fidei; vel à peccato, ad cultum virtutis proximum induxeris*) quasi os meum eris. Vnde *S. Greg. lib.* 1. *hom.* 12. *in Ezech.* Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum.

Et

Et *S. Dion. lib. de cælesti hierar. cap. 3.* Omnium diuinorum esse diuinissimum, Deo cooperari in salute animarum. Et *S. Beda,* Quæ gratia sublimior, & Deo gloriosior conuersatio esse potest, quàm illius, qui quotidiano exercitio alios ad Auctoris sui gratiam studet conuertere; & crebra animarum acquisitione, gaudium Patris cælestis semper augere. Et *S. Chryſ. in persona Dei,* Feci ego cælum & terram, eadem facultate te dono; vt terram facias cælum. Accendi ego luminaria, accende tu illis clariora; nam potes his, qui in errore sunt, lumen veritatis accendere. Hominem facere non vales, ac iustum gratumque Deo potes: vide quàm te diligam, qui maiora tibi faciendi tribuo potestatem.

Est autem huiusmodi zelus, *vtpote* cùm vera fide & perfecta charitate coniunctus, non aliud quàm quæuis vehemens ac feruens animi commotio, ob bonum malumuè proximi spiritualem euentum, successum, profectum, ac statum, Christi scilicet sanguine pretioso redempti. Hoc zelo ac Spiritu Christi aguntur, qui ita solliciti sunt de spirituali salute & abundantiori salute proximorum, vt vel de illorum casibus seu defectibus tristentur, doleant, & gemant; iuxta illud *Psal.* 118. Vidi præuaricantes & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt. *Item,* Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia (*redempti sanguine tuo*) non custodierunt legem tuam.

Vel

Vel de bonis operibus, ac virtutibus, lætentur & gaudeant, iuxta illud 1. *Cor.* 13. Charitas non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Hoc zelo, vel alias Spiritu Christi succensus fuit *D. Chrys. dum hom. 1. de Laza. de seipso diceret.* Ego animo meo persuasi, quoad spirauero, hoc implere ministerium, siue quis attendat, siue non attendat. Aquarum venæ, etiam si nemo veniat adaquatum, manant tamen: & fontes, quamuis nemo hauriat, scatebras emittant. Hoc spiritu zeli S. P. Franciscus perflabatur, de quo *S. Bon. cap. 8. vita eius, sic ait.* Cùm Franciscus animarum salutem viscerosâ pietate appeteret, & feruidâ æmulatione zelaret, suauissimis dicebat se repleri odoribus, & quasi vnguento pretioso liniri. Cùm Sanctorum Fratrum per orbem distantium, odoriferâ famâ multos audiret ad viam veritatis induci; ex talium auditu exultabat in spiritu, benedictionibus omni acceptione dignissimis fratres illos accumulans, qui verbo & opere ad Christi amorem inducerent peccatores. Hunc spiritum zeli, in omnibus Christi ministris accendi voluit *S. Greg. cùm sic diceret hom. 6. in Euang.* In quantum vobis profecisse pensatis, vobiscum alios trahite, in via Domini socios habere desiderate. Si ad Deum tenditis, curate ne soli veniatis. In Apocalypsi dicitur: Qui audit, dicat veni, vt qui iam

in cor-

in corde vocem ſuperni amoris acceperit, foris etiam proximis vocem exhortationis reddat. Et fortè panem vt indigenti porrigat, non habet; ſed magis eſt quod tribuere valeat, qui linguam habet. Plus eſt enim verbi pabulo victuram in æternum animã reficere, quàm ventrem morituræ carnis terreno pane ſatiare.

Sextum ſignum eſt perſeuerantia finalis, iuxta illud *Matth.* 10. Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Et *Apoc.* 2. Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Vnde *D. Bon. de perfectione vitæ ad ſorores ait.* Poſtquam omnium virtutum adeptus eſt quis principium, nec tamen in conſpectu Dei apparet glorioſus, niſi virtutum conſummatrix adſit perſeuerantia: quia nullus omninò mortalis quantumcunque perfectus, eſt laudandus in vita, niſi prius hoc totum quod inchoauit bono fine ac felici perſeuerantiâ concludat. Et *S. Bern. epiſt.* 129. Abſque perſeuerantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor conſequitur. Tolle perſeuerantiam, nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo; ſola eſt cui æternitas redditur, vel potius quæ æternitati hominem reddit. *Idem.* Perſeuerantia eſt vnica filia ſummi Regis, finis virtutum, earumque conſummatio, totiuſque boni repoſitorium & virtus, ſine qua nemo videbit Deum.

Septi-

Septimum prædestinationis signum est interna deuotio, quæ significat promptitudinem voluntatis, seu ipsam voluntatem promptam ad faciendum ea, quæ pertinent ad diuinum seruitium. Vel significat feruorem animi ac pium suauemque & humilem affectionem, tum in oratione, tum in qualibet alia actione pro maiori gloria Dei suscepta, conceptam & sursum extensam. Huius autem deuotionis causa extrinseca est ipse Deus; intrinseca verò est mentis nostræ contemplatio seu meditatio diuinorum, per quam dilectio Sancta in nobis excitatur, quæ nimirum hanc generat deuotionem: quâ deinde nutritur dilectio (vt calor generat pinguedinē, eâque calor nutritur,) odium peccati acuitur, amor legis diuinæ intenditur, virtus animi contra mundi ac sui amorem roboratur, Christi zelus accenditur, & finalis perseuerantia merito acquiritur.

Ipsa quoque deuotio erga Beatissimã Virginem Mariam, est etiam probabile admodum prædestinationis seu electionis signum ac indicium iuxta consensum Sanctæ Matris Ecclesiæ, in persona Deiparæ proferentis illud *Prou.* 8. Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidiè & obseruat ad postes ostij mei: Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Et illud *Eccl.* 24. Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In Iacob inhabita,

ta & in Iſraël hæreditare, & in electis meis mitte radices. Hinc eſt quod *D. Aug. ſer. 2. de Annunt. dicat ad Virginem glorioſam.* Quia tu es ſpes vnica peccatorum, per te ſperamus veniam delictorum, & in te beatiſſima noſtrorum eſt expectatio præmiorum. Et *S. Anſelmus de excell. Virg. cap. 12.* Velocior eſt nonnunquam ſalus inuocato nomine Mariæ, quàm inuocato nomine IESV: non quod illa potentior ſit: nam per illum, ipſa potens eſt; ſed quia matrem vult filius ſic honorare: & quia filius eius, Dominus & iudex eſt, diſcernens merita ſingulorum: dum ergo ipſe inuocatus ſuo nomine, non exaudit, iuſtè facit; inuocatus autem nomine matris, & ſi merita inuocantis non merentur, merita tamen matris intercedunt. *Idem.* Sicut omnis, ô Beatiſſima, à te auerſus, & à te deſpectus neceſſe eſt vt intereat; ita omnis ad te conuerſus, & à te reſpectus, impoſſibile eſt vt pereat. Et *D. Bon. in ſpeculo Virg.* Non ſolum in te peccant, ô Domina, qui tibi iniuriam irrogant; ſed etiam qui te non rogant. *Et iterum.* Qui dignè coluerit illam, iuſtificabitur; & qui neglexerit illam, morietur in peccatis ſuis.

Sed nota in triplici differentia eſſe deuotos erga Deiparam. *Alios*, qui exiguum ac non ſatis gratum huic virgini præſtant obſequium, dum ei preces aliquas recitant, aut nonnulla ieiunia offerunt; & mores eius non ſolum non imitantur, verum etiam multis in

pecca-

peccatorum fæcibus corde obdurato voluntantur. Et hic est plurium error qui leuem virgini quotidianum aliquem pensum exhibentes, statim se ab omni reprobationis periculo, securos existimant, & imprudenter fauore illius salutem æternam omnimodè sibi pollicentur, nullam interim curam aut sollicitudinem adhibentes, vitia nimirum horrendæ iniquitatis, quæ virgini displicent extirpandi, & virtutes solidas (necessitatis saltim) moresque illius imitandi. *Alios* deuotos esse puta erga Deiparam, qui cùm in peccato mortali agunt, tunc maximè ad Virginem recurrunt, vt eruantur: & placet illi eorum talis deuotio, quia nimirum initiali cuidam conuersioni coniuncta est: quàmobrem etiam paratissima est ad perfectiorem conuersionem eis auxilium impetrandum, & pœnitentiæ spatium obtinendum. *Alios* tandem puta esse deuotos, qui dum Virginem Deiparam summoperè colunt ac amorem eius profitentur, omnimodè vias iniquitatum distortas deserunt, ac obliqua vitiorum itinera derelinquunt, & per semitam nouæ conuersationis ad eam transeunt, vt eius fructibus, quos ipsa amatoribus suis ingenerare cupit, adimpleantur. Sunt autem huiusmodi fructus non alij, quàm quæuis bona opera, virtutes Sanctæ, & ipsa finalis perseuerantia.

Conscientia hinc illuminata, reddit animæ testimonium, habere eam in se, vel

vel non habere, huiusmodi prædestinationis signa. VOLVNTAS verò, vel pro illis Deo humiliter gratias agit; vel ab eo, illa sibi dari obnixè precatur.

Nota quod potest aliquis in se vnum aliquod habere signum prædestinationis remotum, simul & alterum reprobationis proximum: vt dum facit opera misericordiæ ac pietatis, peccata tamen mortalia non deserit. Et è contra, potest quis vnum habere aliquod signum prædestinationis proximum, simul & alterum reprobationis remotum. Vt, qui est in gratia Dei, carnem tamen suam cum vitijs & concupiscentijs crucifigere non studet sicut debet, quod ipsum est causa intrinseca futuræ recidiuationis.

In secunda consideratione.

RATIO quærit. Quæ & quotuplicia dona seu præmia electo homini in gloria cælesti dabuntur? SYNTERESIS respondet. Duplicia, *vtpotè essentialia & accidentalia.* Donum seu præmium essentiale duo constituunt. *Primum* est, amotio mali, *id est,* miseriarum huius sæculi: Vnde est quod dicitur *Apoc.* 21. Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum; & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt. *Secundum* est, collatio boni, quod promissum est omnibus electis in persona Moysis *Exod.* 33. Ego osten-

ostendam omne bonum tibi. De quo etiam illud est 1. *Cor.* 2. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus, ijs qui diligunt illum. Est autem huiusmodi bonum seu præmium gloriæ cælestis aliud, quo animæ rationalis intellectus, voluntas & memoria beatificantur; & aliud, quo ipsum corpus.

Animæ præmium seu dos est triplex, *Vtpotè* visionis claræ, fruitionis iucundæ, tentionis securæ. *Videbit* enim clarè beata anima per lumen gloriæ Deum vnum & Trinum, alias inuisibilem, sapientiam eius incomprehensibilem plenè percipiendo, & veritatem infallibilem perfectè concipiendo, iuxta illud 1. *Cor.* 13. Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Et 1. *Ioan.* 3. Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Et *S. Hugo.* Videbimus tuæ maiestatis essentiam, & vnusquisque eo perspicacius, quo hic vixerit purius. *Fruetur* quoque anima beata, diuinâ bonitate, consummatâ scilicet dilectione Deum amando suauiter, delectabiliter, & gaudenter. Vnde *S. Ansel.* Beati diligent Deum plusquam seipsos, & inuicem tanquam seipsos, & Deus illos plusquam illi seipsos. *Tenebit* deniq; anima beata Deum, securissimè possidendo ineffabilem eius fælicitatem, & quietissimè comprehendendo inaccessibilem eius maiestatis seu omnipotentiæ gloriã. Vnde *S. Ans.*

Omnipotentes erunt suæ voluntatis, vt Deus suæ: nam sicut poterit Deus quod volet per seipsum, ita poterunt illi per illum quod volent. Hinc iam simul de tribus huiusmodi præmijs ac dotibus audiamus loquentem *D. Bon. in Solilog. cap.* 4. Quamuis reuera inæstimabile sit illud gaudium & ineffabile, æstimo tamen quod de tribus proueniat, & triplex gaudium illos beatos spiritus lætificat & delectat. Gaudent enim delectabiliter in perfecta & clarissima diuinæ claritatis contemplatione: gaudent dulciter in melliflua, & suauissima diuinæ bonitatis degustatione: gaudent sempiternaliter in tranquilla & securissima diuinæ maiestatis intentione: scis enim ô anima, quod tribus viribus naturalibus præemines in tua substantia; habes enim vim rationalem, quæ non perfectè illuminatur, nisi per summæ veritatis apertam cognitionem; & vim concupiscibilem, quæ non satiatur, nisi per summæ bonitatis perfectam dilectionem; vim quoque irascibilem, quæ non quietatur, nisi per æternæ maiestatis securam comprehensionem. Et *D. Bern. super Cant.* Qui replet in bonis desiderium tuum, ipse futurus est rationi plenitudo lucis, voluntati multitudo pacis, memoriæ continuatio æternitatis. Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi; cùm omnis error à ratione, omnis dolor à voluntate, & à memoria omnis

timor

timor recesserit, & illa successerit, quam speramus mira serenitas, plena suauitas, & æterna securitas.

Corporis præmium, seu stola, dos, donū, ac ornamentum est quadruplex. *Primum* dicitur claritas: nam post resurrectionem præsens corpus hominis iusti, ex obscuro ac tetro in gloria cælesti fiet lucidū, iuxta illud *Matt.* 13. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris. Quod autem *S. Greg. lib.* 8. *Mor. c.* 23. doceat corpora gloriosa fore non solum lucida, verum etiam & peruia seu transparentia, hoc futurum esse non propter diaphaneitatem; sed scilicet ex vna parte propter porositatem beatorum corporum, ex altera propter limpiditatem oculorum: poterit enim ita oculus vnius beati videre per poros alterius beati, ac si per corpus transparens seu diaphanum.

Secundum præmium est Agilitas, de qua *S. Aug.* Protinus, inquit, vbi volet spiritus, ibi erit & corpus. Et *S. Ansel.* Velocitas nos tanta concomitabitur, vt ipsis Angelis Dei, æquè celeres simus, qui de cælo ad terras, & è conuerso, dicto citius dilabuntur. *Tertium* est subtilitas, quæ proueniet humano corpori beatificato, ex plena victoria formæ super materiam. Sed nota, quod corporis glorificati non erit subtilitas ad similitudinem subtilitatis aquæ, aëris, & ignis, quæ ob suam raritatem ac diuisibilitatem subtilia sunt: neq;

ad ſimilitudinem argenti, auri, & gemmæ, quæ in comparatione ad terram, petram & ferrum, ſubtilia dicuntur. Sed ſic erit ſubtile corpus alicuius beati, quod omne aliud corpus præter glorificatum, ſine aliqua læſione aut diuiſione illius, penetrare poterit, & hoc ad imitationem Chriſti, qui poſt ſuam reſurrectionem venit clauſis ianuis ad ſuos diſcipulos. *Quartum* cæleſte donum, quo corpus glorificatum adornabitur eſt Impaſſibilitas, quæ non talis erit, qualem primi parentes in ſtatu innocentiæ habuerunt, quibus datum erat poſſe non pati, & poſſe non mori; nec qualem habebunt, ad ſolam ſcilicet damni pœnam pro originali peccato condemnati, quibus ex ſolo munere diuinæ miſericordiæ dabitur nihil pati: ſed talis erit Sanctorum impaſſibilitas, quod ex participatione diuinitatis, habebunt non poſſe pati. Huiuſmodi autem dotes notantur illis verbis *Sap.* 3. Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. In fulgore enim notatur claritas: in iuſtitia verò, quæ eſt perpetua ac immortalis, notatur impaſſibilitas: per ſcintillas tandem ſignatur ſubtilitas: & per diſcurſum agilitas.

Donum ſeu præmium accidentale, quod eſt ſpeciale quoddam mentis gaudium, ſupra eſſentiale, ſingulari ac priuilegiato fulgore in corpus beatum redundans, dicitur aureola & fructus. *Aureola* eſt nomen diminutiuum ab

aurea,

aurea, quod vtrumque metaphoricè in præsenti sumitur. Vnde sicut aurea corona, quæ alias præmium essentiale dicitur (seu dos, quæ est perpetuus ornatus animæ & corporis in æterna beatitudine iugiter perseuerans, data videlicet à patre filiæ suæ desponsatæ ad vtilitatem eius dotalem & ad honorē sponsi: Est autem Pater sponsæ, ipse Deus Vnus ac Trinus; sponsa, est anima fidelis ac iusta; sponsus verò cuiuslibet animæ ac totius Ecclesiæ, est Christus Dominus) significat commune quoddam mentis gaudium, veniens omnibus beatis ex communi participatione diuinitatis regiæque dignitatis. Ita *aureola* seu aurea coronula significat aliud speciale mentis gaudium, veniens nonnullis beatis tum ex speciali ac priuilegiata eiusdem diuinitatis ac regiæ maiestatis participatione, tum ex triumphatu acto de singulari & excellenti victoria mundi, carnis, ac diaboli. *Fructus* etiam est quædam specialis delectatio seu gaudium, quod specialiter illi debetur, qui abdicauit à se carnalem voluptatem per cultum castimonialis continentiæ, quæ hominem à subiectione carnis liberat: trahitur hoc ex verbis Christi *Matth.* 13. loquentis de terra bona, in qua semen verbi Dei iactum, aliud adfert fructum trigesimum, aliud sexagesimū, & aliud centesimum.

CONSCIENTIA, saltim aliqua horū præmia confidenter sibi pollicetur. VOLVNTAS

 auidè

auidè cupiens ea poſſidere clamat in cælum. Quando veniam & apparebo ante faciem tuam?

In tertia conſideratione.

RATIO quærit. Pro quo tanta præmia homini in cælo dabuntur? SYNTERESIS reſpondet aiens. *Prima* pars eſſentialis præmij, quæ conſiſtit in amotione mali, dabitur omnibus beatis pro humili perpeſſione huius vitæ miſeriarum ac pœnalitatum, iuxta illud *Luc.* 21. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Et *Iacob.* 5. Patientes igitur eſtote fratres vſq; ad aduentum Domini; ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, &c. *Secunda* pars quæ conſiſtit in collatione omnis boni, dabitur cuilibet electo pro meritis virtutum. Vt *clara Viſio*, dabitur pro fide, quâ electus in præſenti credit, ac aſſentitur Deo tanquam ſupremæ veritati, propter ſe, & ſupra omnia. *Tentio* Dei firma ac ſecura, ſeu comprehenſio ac poſſeſſio felicitatis æternæ, dabitur pro ſpe, quâ fidelis intendit Deo, tanquam ſummæ largitati, propter ſe, & ſupra omnia. *Fruitio*, quæ eſt mentis cum Deo perfecta, delectabilis, & ſatiabilis coniunctio, dabitur pro charitate, quâ iuſtus in hac vita ſtabiliter adhæret Deo, tanquam infinitæ bonitati, propter ſe & ſupra omnia. *Claritas* ab anima beata ex dono Dei in corpus deriuabitur, danda pro prudentia, quæ eſt recta

ratio

ratio agibilium, faciens in præsenti mentem hominis conscientiamq; illius claram. *Agilitas*, dabitur pro temperantia, quæ facit hominem facilem & promptum ad obedientiam legi æternæ, & ad bene recteque operandum. *Subtilitas*, pro iustitia, quâ iustus subtiliter examinat, quid cuique tribuendum. *Impassibilitas*, pro fortitudine, per quam iustus in præsenti redditur quasi impassibilis, & aduersa quodammodo non sentiens. De huiusmodi quatuor dotibus beatificati corporis habetur *Phil.* 3. Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Et 1. *Cor.* 15. Seminatur in corruptione (*id est*, corpus nostrum passibile, tanquam granum frumenti cadens in terram mortificatur, affligitur, & castigatur, donec per abnegationem sui corruptum, spiritui subdatur) surget in incorruptione (*id est*, in impassibilitate) seminatur in ignobilitate (*obscuritatis*) surget in gloria (*claritatis*) seminatur in infirmitate (*grauedinis*) surget in virtute (*agilitatis*) seminatur corpus animale (*secundum grossitudinem*) surget corpus spirituale. *secundum scilicet subtilitatem.*

Præmium verò accidentale dabitur nonnullis electis pro excellenti victoria, quam habuerunt de carne, mundo, ac diabolo: vel quoque de passionibus innatis, illatis, & alienis. Et hoc per optimam propriæ sensualitatis mortificationẽ, & diligentissimam tam in

corpore quam in mente virgineæ seu incorruptæ castitatis custodiam: nec non per fidelissimam & resolutissimam sanctæ fidei confessionem, ac perpetuum iustitiæ Christianæ cultum, & summam animi persecutionum ac ipsius mortis sufferentiam: tandem per salutarem verbi Dei prædicationem & charitatiuam aliorum correptionem. Verum aureola virginitatis, non dabitur nisi his qui perseuerant in virginitate vsq; ad mortem: & aureola doctrinæ, non dabitur nisi his, qui actu alios erudiunt ad iustitiam: & aureola martyrij non dabitur, nisi his qui occiduntur propter Christum: & his quorum afflictiones perseuerant & continuantur vsque ad mortem. Fructus etiam, *vtpote*, tricesimus, dabitur castitati matrimoniali, sexagesimus viduali, centesimus ipsi castitati virginali vtriusq; sexus. Sed hic vltimus fructus, idem iam est quod aureola virginitatis.

CONSCIENTIA his illuminata, stimulat voluntatem ad cultum omnium virtutum, propter Christi imitationem prosequendũ. VOLVNTAS verò permota, profectum earundem virtutum summopere desiderat.

In quarta consideratione.

RATIO quærit. A quo tanta bona homini proueniunt: SYNTERESIS respondet. A Christo Saluatore nostro eiusque meritis, qui cùm esset Deus de Deo, factus est homo; vt nos

vt nos homines suæ diuinitatis participes efficeret: factus est filius hominis; vt nos filij Dei nominemur ac simus: factus est obediens vsque ad mortem; vt nos à iugo mortis æternæ ac seruitute diaboli eriperet. Factus est pro nobis (*Vt est* 2. *Cor.* 5. *Vers.* 21.) peccatũ; vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso. *id est*, factus est quasi peccator peccatum habens, dum cum sceleratis ad mortem condemnaretur: seu factus est quasi peccator passibilis & mortalis; vt nos iustos, impeccabiles, impassibiles, ac immortales redderet. *Vel* factus est peccatum, *id est*, hostia pro peccato nostri humani generis, iuxta illud *Ose.* 4. Peccata (*id est*, hostias pro peccatis oblatas) populi mei (*Sacerdotes*) comedent. vt nobis Patré suum æternum placaret. Factus est pro nobis (*sicut habetur Gal.* 3.) maledictũ (*id est*, quasi maledictus: quia scriptum est. Maledictus qui pendet in ligno) vt nos eius benedictionibus repleremur. Factus est contemptor omnis prosperitatis, & sustinens omnem huius mundi aduersitatem; vt nos liberaret ab omni aduersitate pœnarum infernalium, & ditaret omni cælesti prosperitate. Factus est accipiens in terris nostram miseriam; vt nobis daret in cælis suam benedictionem & gloriam.

Conscientia magno inde gaudio repletur. Volvntas gratias agit, laudat, sperat, &c.

In quinta consideratione.

RATIO quærit. Quomodo ad gloriam cælestem perueniendum? Respondet SYNTERESIS, dicens. Per media electis à Deo præparata ac prædestinata; quorum primum est *abstinere*, secundum *agere*, tertium *sustinere*: quæ quidem media signantur illis Christi Domini verbis *Matt.* 16. Si quis vult post me venire (*scilicet ad gloriam cælestem*) abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. In abnegare notatur abstinere à vitijs & concupiscentijs: quia abnegare seipsum, idem est quod abstinere spiritum ab his quorum anima appetentiam habet immoderatam. In tollere crucem, notatur sustinere quæuis aduersa huius temporis. In sequatur me, notatur agere Christi opera: ille enim Christum sequitur, qui eum in benefactis imitatur.

Primum itaque medium, per quod venitur ad gloriam cælestem, est abstinere perpetuũ (præsertim post veram ad Deum conuersionem) ab omni peccato mortali, prauisque desiderijs & concupiscentijs huius mundi, quæ militant aduersus spiritum: quod quidem abstinere docuit filium suum Tobias sicut in libro eius *cap.* 1. hoc modo legitur. Quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato. Deinde *cap.* 4. Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus,

gerimus, sed multa bona habebimus, (*spiritualia ac æterna*) si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus benè. Idipsum S. Paulus & S. Petrus docere nos voluerunt cùm dicerent 1. *Thes.* 5. Ab omni specie mala abstinete vos. 1. *Petr.* 2. Charissimi obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abstinete vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam.

Secundum medium ad obtinendam cæleste gloriam, est agere bonum, iuxta illud *in Symbolo S. Athanasij.* Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum. Huiusmodi autem bonum est quadruplex. *Primi* generis bonum, quod habet meritum vitæ æternæ, est ipsa obseruantia mandatorum Dei, iuxta illud *Matth.* 19. Si autem vis ingredi ad vitam, serua mandata. Hinc *nota primò*, quod non sufficit obseruare seu implere mandata Dei, quantum ad solam eorum substantiam: sicuti fit, quando præcepta Dei implet aliquis extra gratiam seu charitatem, *utpotè* in peccato mortali. Vel etiam, quando implet illa in gratia seu in charitate, sed non ex motu charitatis: necesse enim est implere illa secundum intentionem præcipientis. *id est*, in charitate & ex charitate, quod confirmatur per Apostolum dicenté 1. *Tim.* 1. Finis autem præcepti, est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Et *Rom.* 13. Qui diligit proximum, legem impleuit,

pleuit, &c. *Nota secundò*, quod etiam non sufficit ad vitam æternam obtinendam, seruare maiorem partem mandatorum Dei, sicut aliqui putabant se esse iustos ac fore saluandos, quamuis in aliquo præcepto legem Dei offenderent, si nimirum potiorem eius partem obseruarent: nam respondet illis S. Iacobus *cap.* 2. Quicunque autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. *hoc est*, ita æternaliter pro transgressione vnius præcepti diuini punietur ac damnabitur, sicut & pro præuaricatione totius legis æternæ: quia peccans contra vnum præceptum, facit contra charitatem, ex qua tota lex pendet, & in qua tanquam in radice omnia præcepta vnum sunt ac viuunt. *Secundi* generis bonum, habens meritum gloriæ cælestis, est omne pietatis opus. iuxta illud *Matt.* 25. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esuriui enim, &c. Sunt igitur opera pietatis seu misericordiæ alia corporalia, alia spiritualia. *Corporalia sunt septem.* Vtpotè, Esurientes pascere, potum dare sitientibus, operire nudos, captiuos redimere, ægrotos inuisere, hospitio peregrinantes suscipere, & mortuos sepelire. *Spiritualia etiam sunt septem.* Vtpotè Peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus rectè consulere, pro salute proximi Deum orare, consolari mæstos, ferre patienter iniurias, remittere offensam.

Nota

Nota autem quod opera huiusmodi possunt dici bona tripliciter. *Primò*, quatenus nimirum ex se ordinabilia seu referribilia sunt in vltimum finem: quæ deinde, vel sunt bona in genere, hoc est in obiecto seu in materia tantum: vt cum aliquis facit alicui benè, propter illius importunitatem. Vel sunt bona ex circumstantiarum forma, seu ex circumstantijs: vt cum aliquis facit alicui benè, ex commiseratione, debito modo, loco, tempore, &c. Verum ista opera licet sint moraliter bona, tamen non censentur esse meritoria; quia solis viribus naturæ fiunt. Vnde sufficienter ac proximè non disponunt nec præparant hominem ad gratiam gratum facientem à Deo recipiendam, nisi remotè, in quantum scilicet ordinabilia seu referibilia sunt ex se in Deum. *Secundò*, opera præsentia dicuntur bona, quatenus videlicet ordinata sunt in vltimum finem, seu, in quantum ipso actu in Deum referuntur, sed non vt oportet, seu, non sicut sufficit: quod fit, dum implentur propter Deum, sed extra gratiam Dei, *id est*, in peccato mortali. Et ista etiam opera non sunt meritoria, neque adhuc proximè disponunt ad gratiam: & ideò non plena dicuntur, vt est *Apoc.* 3. Non inuenio opera tua plena coram Deo meo. *Tertiò*, opera huiusmodi dicuntur bona, quatenus nimirum siue actuali, siue virtuali intentione referuntur in Deum, & hoc vt oportet, seu, sicut sufficit: quod quidem

fit duobus modis. *Vno modo*, quando implentur propter Deum, cum prima contritione cordis, vtpotè antecedente infusioné gratiæ. Et huiusmodi opera, cum speciali nimirum auxilio Dei facta, iam proximè ac sufficienter disponunt & præparant hominem ad gratiam gratum facientem suscipiendam, fiuntq; meritoria ex congruo: quia ex quadam condecentia seu conuenientia, & diuinâ miseratione acceptantur à Deo ad præmium vitæ æternæ. *Altero modo*, quando implentur propter Deum in gratia ex charitate: & huiusmodi bona opera sunt meritoria ex condigno, quia ex condignitate seu iustitia,& ex Dei promissione debetur eis præmium gloriæ cælestis. Vnde *S. Aug. ser. 6. de Verbis Apost.* Debitor nobis factus est Deus, non aliquid accipiendo; sed quod ei placuit promittendo. Et *S. Bern. de grat. & lib. arb.* Promissum quidem ex misericordia, sed tamen ex iustitia persoluendum. Hoc præmium expectabat Apost. dicens. 2. *Tim* 4 Reposita est mihi corona iustitiæ (*hoc est, quam iustè merui*) quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex: non solum autem mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius.

Hinc patet, multū errare illum hominem, bonis videlicet operibus vacuum, sic secum disputantem. Vel sum prædestinatus, vel non sum: si sum, certissimo saluabor. Si non sum, certissimo damnabor quicquid egero. Igitur indul-

Indulgebo voluptatibus, quia eis postea frui non licebit. *Ad quod respondetur.* Si es prædestinatus, benè tibi operandum est: nam ita quisque prædestinatus est ad regnum cælorum, vt tamen mediantibus bonis actibus, Dei præfinitio impleatur: quod si nolis insistere bonis operibus, signum est te non esse prædestinatum; nam alias bona opera signum sunt prædestinationis: quem enim Deus saluandum præuidet, statim & modum quo saluari debet eidem præparat, certaque media bonorum operum ad obtinendam vitam æternam illum eligere vult, iuxta illud quod dicitur 2. *Petr.* 1. Fratres, magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis, hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum.

Tertij generis bonum, habens in promissione vitam æternam, est studium deuotæ orationis, iuxta illud *Ioan.* 15. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis. Huiusmodi studio intentus fuit Apost. cùm diceret 1. *Cor.* 14. Orabo spiritu (*oris videlicet*) orabo & mente. Vnde *S. Isid. lib.* 3. *de sum. bon. cap.* 8. Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare & legere: nam cùm oramus ipsi cum Deo loquimur; cùm verò legimus, Deus nobiscum loquitur: omnis

profe-

profectus ex lectione & meditatione procedit. Et *D. Bon. lib.* 1. *Theol. verit. cap.* 30. Cùm dicitur à Sanctis, quod prædestinatio orationibus adiuuatur, non est sic intelligendum, quod temporale causet æternum: sed hoc, quantum ad effectum prædestinationis, iuuat oratio, scilicet, quantum ad gratiam & gloriam; quia secundum illa benè cooperatur liberum arbitrium prædestinationi. Et *S. Greg. lib.* 1. *Dialog.* Notandum quod obtineri nequaquam possunt; quæ prædestinata non fuerunt: sed ea, quæ Sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, vt precibus obtineantur: nam ipsa quoque regni cælestis prædestinatio, ita est ab omnipotente disposita, vt ad hanc electi ex labore perueniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus, ante sæcula dare dispoſuerat.

Quarti generis bonum, habens promissionem vitæ æternæ, consistit in debito ac frequenti vsu sacratissimæ Eucharistiæ. Vnde est *Ioan.* 6. Ego sum panis viuus qui de cælo descendi: si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

Tertium medium ad obtinendam cælestem gloriam, est sufferre, seu sustinere ac pati aduersa propter Christum ac eius imitationem, nam dicitur *Rom.* 8. Quos præsciuit & prædestinauit (*illos voluit in sufferendis aduersis*) confor-

conformes fieri imaginis filij sui. Et 1. *Petr.* 2. Quæ enim est gratia, si peccantes, & colaphizati suffertis? Sed si benè facientes, patienter sustinetis: hæc est gratia (*id est, meritum*) apud Deum. In hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, &c. *Item cap.* 4. Communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius spiritus; super vos requiescet. Nemo vestrûm patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. (*Vtpote, inuitus, seu pro malefactis*) si autem vt Christianus (*id est, si autem patitur voluntariè, propter Christi imitationem, seu pro operibus Christianum decentibus*) non erubescat; glorificet autem Deum in isto nomine. Et *Matth.* 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam (*id est, quia iustitiam colunt*) quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.

CONSCIENTIA, secundum has veritates se examinat. VOLVNTAS, supra omnia abstinere

nere à malis, agere bona, & pati aduerſa propter Deum, omninò vult.

In ſexta conſideratione.

RATIO inquirit dicens. Quàm ob cauſam Deus tàm magna præmia homini conferre decreuerit, cùm minora pro ipſo ſufficerent? SYNTERESIS reſpondet. *Primò*, Quia ſic ei pro meritis in charitate actis, ex amore quo diligit eum, ob maiorem gloriam nominis ſui promiſerit, vt eſt *Gen.* 15. Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. *Secundò*, quia decet diuinam maieſtatem ac largitatem, homini tanta præmia dare, quamuis videatur humana conditio ad ea accipienda non ſufficere. *Tertiò*, Quia ſicut Deus eſt principium hominis per creationem & recreationem: ita expedit, vt idem ſit, ipſius finis per glorificationem. *Quartò*, quia minus ac facilius eſt Deo, confere homini ſuam gloriam, quàm propter illum facere filium ſuum in hoc mundo ſuſcepiſſe miſeriam. *Quintò*, quia amor charitatis, quo homo diligit Deum ſupra omnia, non reſarcitur condignè, niſi ipſius amati fruitione. *Sextò*, quia bona opera quæ facit homo, & mala ſeu aduerſa quæ patitur propter Deum ex charitate, competenter non poſſunt remunerari, niſi ſummi boni poſſeſſione. *Septimo*, quia ſicut homo in præſenti, totum ſe conſecrat in obſequium Deo; ita Deus, in futuro, totum ſe ho-

se homini tribuere decreuit pro stipendio. *Octauo*, quia integritas ac perfectio dignitatis & honoris Christi requirit, vt omnia membra mystica, per fidem scilicet & charitatem, illius effecta, simul cum capite suo saluentur & glorificentur.

CONSCIENTIA hinc cælesti repletur consolatione. VOLVNTAS, ad profectũ in Christi imitatione magis ac magis inflammatur.

PRAXIS XI.

Recollectionem mentis asceticam quolibet mane ac vesperi, & ante quamlibet confessionem peccatorum sacramentalem instituendi.

RECOLLECTIO mentis ascetica, tribus partibus constat,, vtpotè, *præparatione*, *reconciliatione*, *& conclusione*. PRÆPARATIO tres item habet particulas, quarum *Prima* est adoratio SS. Trinitatis, Christi Domini, & Venerabilissimi Sacramenti: quæ hoc modo fieri potest. Viuat SS. Trinitas. Viuat, viuat. Adoramus te Sanctissime Domine IESV Christe, hic, & ad omnes Ecclesias tuas, quæ sunt in toto mundo, & benedicimus tibi: quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum. Laudetur Sanctissimum Sacramentum. Laudetur, Laudetur. *Altera* particula præparationis est gratiarum actio pro beneficijs, tàm communibus quàm specialibus à

Deo acceptis. Beneficia communia puta esse creationem, conseruationem, redemptionem & vocationem: specialia verò, puta esse inspirationes diuinas efficaces, auxilium efficax ad vincendas tentationes, spiritum deuotionis, odium peccati intensum, timorem Dei filialem, in prosperitate spiritum humilitatis, in aduersitate spiritum patientiæ, in bonis actibus donum stabilitatis, &c.

Tertia particula est postulatio diuinæ illuminationis, ad cognoscendas nimirum propriæ conscientiæ maculas, quæ sumi potest ex verbis *Psal.* 12. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum.

RECONCILIATIO habet etiàm tres particulas, quarum *prima* dicitur examen conscientiæ; *Secunda*, cordis contritio, seu dolor de peccatis: *Tertia*, propositum amplius non peccandi. *Examen* seu discussio conscientiæ debet esse diligens (quæ quidem diligentia sufficit moralis, qualem nimirum adhibent mercatores in suis computibus) & hoc, vel de necessitate, vel de vtilitate salutis. De necessitate quidem, si nimirum peccatis mortalibus obnoxia est ipsa conscientia, tumque maximè, dum istud examen in ordine ad faciendam confessionem Sacramentalem instituitur, vt talis confessio, mortalium scilicet peccatorum, omninò integra fiat non solum formaliter, verum etiam (quantum est possi-

possibile) & materialiter. De vtilitate verò salutis, (*id est*, propter profectum spiritualem) semper debet esse diligens conscientiæ examinatio, de ipsis etiam venialibus peccatis ac defectibus quotidianis: qui enim asceta frequenter negligit examen & confessionem venialium suarum defectionum, non solum minimè proficiet in vita spirituali, verum etiam facile deficiet in peccata mortalia; quia efficacissimum medicamentum deserit omnium suarum imperfectionum, vitiorum ac tentationum. Hoc autem examen (*iuxta D. Bon. in Incendio amoris cap.* 1.) debet fieri de omni *negligentia*, *concupiscentia*, *&* *nequitia*.

De negligentia quidem ascetæ examinanda est conscientia, *Primò*, Si cor suum, linguam & sensus, non benè custodiuit: Si tempus inutiliter consumpsit. Si sibi in omnibus operibus suis finem debitum non præfixit. *Secundo*, si negligens fuit in oratione mentali & vocali: in lectione librorum spiritualium: & in executione bonorum propositorum. *Tertio*, si negligens fuit ad exercendum actus pœnitentiæ de peccatis commissis; ad resistendũ tentationibus à Deo permissis: ad proficiendũ in bonis sibi impensis, *vtpotè*, in mortificatione vitiorũ & in studio virtutũ.

De concupiscentia quoque ascetæ examinanda est conscientia. *Primò* quidem, de motibus concupiscentiæ voluptatis. Si nimirum appetiuit cibaria ac poculenta saporosa, deli-

cata, & exquiſita: indumenta mollia ac deliciosa; oblectamenta carnalia ſeu luxurioſa, quæ alias in primo motu fugere debet. *Secundò*, de motibus concupiſcentiæ curioſitatis. Si immoderatè ſcire appetiuit occulta Dei & hominum: videre pulchra, habere rara, chara, pretioſa, & ſuperflua. *Tertiò*, de motibus concupiſcentiæ vanitatis. Si immoderatè appetiuit hominum fauorem & amorem; honorationem & laudationem: magnificationem & ſupra alios exaltationem.

De nequitia tandem conſcientia examinari debet. *Primò*, de nequitia iracundiæ, ſi nimirum aſceta in corde ſeu affectu, in verbo ſeu ſigno, in opere ſeu effectu iram aliquam indignationemque contra ſuum proximum habuit: vel quoque eundem ad impatientiam prouocauit. *Secundò*, de nequitia inuidiæ. Si de proſperitate aliena triſtitiam ſenſit: ſi in aduerſitate proximi aliquo modo ſibi complacuit: Si proximo ſuâ operâ indigenti prodeſſe noluit. *Tertiò*, de nequitia acediæ. Si ſcilicet tædium ſeu torporem, ſomnolentiam ac aliquas diſtractiones ſaltem ſemiuoluntariè in diuinis perſoluendis admiſit: motuſq; alicuius diffidentiæ de auxilio Dei conſurgentes, aut quoque aliquas cogitationes blaſphemas, infideles ac malignas aſcendentes, vel nimirum contra Deum, vel contra Sanctos, vel contra Eccleſiam, vel contra Dei antiſtites, remiſsè compeſcuit. Si aduerſa, & *potè*,

futura

futura possibilia, nimis timuit; aut præsentia turbulenter ac deiecto animo sustinuit; in recreationeque fratrum insolenter & minus religiosè se gessit; ac in colloquio dissolutè, clamorosè, & cachinnosè se habuit; in cella cum tædio se continuit, segnisque fuit ac tardus ad obsequium charitatis alijs impendendum, profusus verò ad otiandum, spatiandum & inutiliter deambulandum. Si denique aliorum defectus magis quàm suos proprios considerauit, aut præsumptuosè corripuit, iudiciaque temeraria de alijs apprehensa & conceptas suspiciones malas à principio statim non abhorruit, ex quibus communiter mox nascuntur indignationes, murmurationes, detractiones, & alia huiusmodi mala.

Contritio, quæ est secunda particula præsentis reconciliationis, non propriè sed metaphoricè accipitur, sicut & duritia cordis. Quemadmodum autem duritiam corporum sequitur triplex proprietas, quarum prima est inhabilitas ad suscipiendã impressionem: secunda est stabilitas ad sic permanendum in se: tertia est fortitudo ad resistendum. Ita etiam spiritualem cordis duritiam sequitur triplex similis qualitas. *Vna* est inhabilitas ad suscipiendam gratiam Dei: *altera* est adhæsio firma peccato: *tertia* est ipsa nimirum rebellio mandatis ac inspirationibus diuinis. Vnde sicut cor dicitur durum, quod diuinæ inspirationi se tangenti non cedit, sed obuiat, in affe-

in affectu peccati demorando: ita etiam dicitur contritum, quod Deo aſpirante, dulci quadam amaritudine repletum, malè actæ vitæ, odium concipit æternum, ob offenſam diuinæ maieſtatis. *Deinde* quemadmodum ad contritionem ſeu comminutionem alicuius corporis duri & integri quinque gradibus venitur, quorum primus eſt, exterior accomodatio ſeu adaptatio ac præparatio rei materialis: ſecundus eſt, ſcalpro ſeu malleo iterata percuſſio: tertius fractio: quartus, attritio: quintus denique, eſt ipſa comminutio ſeu contritio. Ita etiam ijſdem gradibus ad cordis contritionem venire eſt. *Primò* enim cor præparatur ac diſponitur, dum tangitur, *Vtpotè*, tactu vocationis cæleſtis, ſeu inſpirationis ac impulſus diuini, ad deſerendam iniquitatem, & colendam iuſtitiam: *poſtea* percutitur, malleo ſcilicet timoris iudiciorum Dei, ac pœnarum infernalium, ita vt à propoſito peccandi, iam reſipiſcere incipiat: *deinde* frangitur, quod fit, quando voluntas peccare deſinit, ac nouum vitæ inſtitutum ſibi eligendum proponit, aut iam eligit: *demum* atteritur, quando nimirum deteſtatur peccata ſua, ſupra omnia deteſtabilia, propter damnationis æternæ pœnam illis debitam: quæ quidem pœna eſt triplex, *Vtpotè*, pœna damni ſeu priuatio gloriæ cæleſtis, pœna ſenſus, & pœna vermis conſcientiæ. Verum talis dolor ſeu deteſtatio peccatorum, non meretur adhuc

huc gratiam remiſſionis peccatorum, quia fundamentum habet ſolum ſeruilem timorem, qui eſt abſque charitate: ſecus dicendũ eſt, ſi accedat ei pœnitentiæ Sacramentum; quia ob gratiam quæ ibi confertur, ex attrito, fit iam contritum cor. *Tandem* comminuitur, emollitur, compungitur & conteritur. Dicitur autem comminui & conteri cor, quando peccator deteſtatur peccata ſupra omnia deteſtabilia, propter ſolam offenſam Dei, ſummo ſemper amore & ſupremo honore digni. Talis autem dolor ſeu deteſtatio, meretur iam peccatorum remiſſionem, ante ſuſceptionem Sacramenti: quia fundamentum habet timorem Dei filialem, qui ſine charitate eſſe non poteſt.

Nota autem aliam eſſe contritionem veram ſeu integram, aliam falſam ſeu defectuoſam. Contritio vera ac integra dupliciter conſiderari ſolet, *vt virtus & vt pars Sacramenti*. Porro contritio vt virtus. Vel eſt habitualis vel actualis, vel media. *Contritio habitualis* ſeu in habitu illa eſt, quæ per actualem frequenter iteratam, acquiritur. *Actualis*, ſeu in actu, tunc habetur, quando quis cum ſpe diuinæ miſericordiæ in animo dolet de peccato commiſſo, propter ſolius Dei offenſam: ſeu, quando quis deteſtatur peccatum ſupra omnia deteſtabilia, quatenus eſt offenſa diuinæ maieſtatis. *Media*, ſeu medij modi contritio, idem eſt, quod virtualis, im-

plicita & interpretatiua: quàm quidem contritionem ille habere censetur, qui speciali auxilio Dei adiutus, ipso actu elicito charitatis in Deum tendit, seu quod idem est, actualiter Deum amat, non habens alias peccati sui habitualis actualem memoriam, vel non habens tempus eliciendi actum contritionis de peccato mortali: qui enim Deum explicitè amat, eo ipso peccatum implicitè ac interpretatiuè odit, quod Deo displicere scit. *Deinde* ille habere dicitur contritionem virtualem, implicitam & interpretatiuam, *vtpotè*, de cæteris peccatis, quorum non habet memoriam; qui actu explicito detestatur peccata apprehensa supra omnia detestabilia propter Dei offensam.

Contritio, vt est pars Sacramenti pœnitentiæ, nihil aliud est, quam dolor ex libero & sincero animi affectu procedens, de peccato commisso propter Deum offensum summè amabilem, cum spe veniæ & proposito confitendi ac satisfaciendi tempore, & loco debitis. *Hinc primò nota*, quod sicut in commissione peccati est quædam delectatio inordinata: sic per contrarium requiritur dolor in contritione de peccato commisso: quia contraria contrarijs curantur. *Nota secundò*, quod dolor in contritione duplex est. *Vnus* dicitur animi seu voluntatis, qui non est aliud, nisi peccati detestatio; & iste dolor est de necessitate & essentia contritionis. *Alius* est dolor sen-

sualita-

ſualitatis ſeu ſenſitiuus ac ſenſibilis, qui apparet exterius, *vtpotè* in ſigno, in lachrymis, in ſuſpirijs: & iſte non eſt de neceſſitate & eſſentia contritionis, ſed ſolum de perfectione: quia talis dolor non eſt in poteſtate noſtri liberi arbitrij. *Nota tertiò*, quod dolor deteſtationis ſeu ipſa deteſtatio peccati; idem eſt ac nolle peccâſſe, potiuſq; velle ſubijſſe quodcunque malum, quàm Deum ſupra omnia amandum offendiſſe. *Nota quartò*, quod dolor deteſtationis debet eſſe maximus (iuxta illud *Ioël.* 2. Conuertimini ad me, in toto corde veſtro) non quidem intenſiuè, *id eſt*, magno conatu & feruore elicitus; ſed appretiatiuè, *hoc eſt*, debet quis magis deteſtari peccatum quàm aliquod aliud malum, cùm peccatum ſit malorum omnium maximum: puta tamen contritionem eo eſſe meliorem, quo eſt magis intenſa, feruida, & ſenſibilis.

Contritio defectuoſa ſeu falſa octo modis fieri poteſt. *Primo* modo; cùm quis deteſtatur peccata ſupra omnia deteſtabilia propter offenſam Dei; ſed non plenâ voluntate: quia alias non deteſtaretur ea, imòque in eis permanere vellet, ſi pœnæ infernales finem aliquando haberent. *Secundo*. Cùm quis deteſtatur peccatum ſupra omnia deteſtabilia propter offenſam Dei; ſed ſine efficaci ac ſerio propoſito amplius non peccandi. *Tertio*. Cùm quis deteſtatur peccata eodem modo; ſed aut fidem integram, aut ſpem veniæ firmam non

habet. *Quarto.* Cùm quis deteſtatur peccata vti ſupra, cum propoſito amplius non peccandi; ſed proximam ſeu probabilem (quando poteſt) non refugit peccati mortalis occaſionem. *Quinto.* Cùm quis deteſtatur peccatum ſicut ſuperius; ſed odium in corde ſuo contra proximum fouet. *Sexto.* Cùm quis deteſtatur peccata ſecundum ſuperiorem modum; ſed bona alterius iniuſtè retinet, vel parti læſæ non ſatisfacit, cùm poſſit. *Septimo.* Cùm quis grauiora tantum peccata deteſtatur; in alijs autem mortalibus, quæ communiora ſunt, ac minora eſſe putantur, voluntatem habet: vel cùm omnia mortalia fugit, præter vnicum. *Octauo* modo. Cùm quis deteſtatur peccata ſicuti prius; ſed arma, aut contra fidem, aut contra iuſtitiam ferre non deſinit: vel quoque, ſiue fidem, ſiue iuſtitiam oppugnantibus, fauore, conſilio, adulatione, & quocunque alio ſimili modo illicito, adminiculari non ceſſat.

Propoſitum, quod tertiam particulam reconciliationis conſtituit, *primò* debet ſemper formari ac renouari, tam ſingula quàm omnia peccata mortalia, ſupra quæuis mala propter ſolius Dei amorem fugiendi, & ipſas eorum proximas ſeu probabiles occaſiones cauendi: hoc autem propoſitum debet eſſe firmum ac forte, non infirmum ac debile; efficax ſeu intenſum, non tepidum ſeu remiſſum, ſtabile & cordiale, non vertibile & verbale; abſolutum,

tum, non conditionatum; ſerium, non fictũ; reſolutum, non timidum; ac tandem æternũ. quale illud eſt *Pſ.* 118. Cuſtodiam legem tuá ſemper (idem enim eſt propoſitum amplius mortaliter non peccandi, quod & præcepta legis Diuinæ cuſtodiendi: nam qui cuſtodit legem Dei, hic iam non peccat) in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. *Item.* In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas; quia in ipſis viuificâſti me. *Item.* Iuraui & ſtatui, cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.

Secundò, idem propoſitum debet ſemper formari ac renouari, ſingula peccata venialia fugiendi, quamuis non omnia: quia alias præſumptuoſum eſſet huiuſmodi propoſitum: non enim pro hoc ſtatu corruptæ naturæ poteſt quis vitare omnia venialia: nam fugiendo vnum, incidit ſæpè in aliud, quod conſiderans S. Ioannes ſic ait *Epiſt.* 1. *cap.* 1. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Et *S. Paulus Rom.* 7. Non quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio. Vnde *S. Bonau. Comp. Theol Verit. lib.* 6. *c.* 34. In contritione de venialibus non exigitur propoſitum non peccandi venialiter, ſicut in contritione de mortalibus exigitur: ſed ſufficit quod diſpliceat alicui peccatum præteritum, & infirmitas quâ ad peccatum veniale inclinatur; quamuis ab eo omnino immunis eſſe non poſſit: ita tamen quod voluntas non

maneat fixa in aliquo veniali; quia illud sic retentum, non dimitteretur in contritione generali, nec speciali. Et hæc est ratio: quia peccata mortalia sunt in potestate nostra, vt vitentur, non solum singula, sed etiam omnia: venialia verò, etsi singula vitari possunt, non tamen omnia, quod ex infirmitate naturæ contingit. *hæc ille.*

Tertiò, idem propositum debet semper formari ac renouari, propriam scilicet voluntatem, singulare iudicium, ac sui amorem abnegandi, & in virtutibus proficiendi, per sufferentiam aduersitatum & fugam prosperitatum huius temporis; præsertim verò, cùm vno aliquo vitio maioris intensionis strenuè pugnandi, actibus nimirum ei oppositæ virtutis, ac externæ internæque mortificationis.

Conclvsio recollectionis similiter habet particulas tres. quarum *prima* est petitio, in qua debet asceta Deum orare, *Primò*, vt ei per suam pijssimam clementiam peccata, omnium scilicet negligentiarum, concupiscentiarum, & nequitiarum commissarum, tum præsentis conscientiæ modo examinatæ, tum præteritæ, tam videlicet mortalia quàm venialia, tam cognita quàm incognita, tam propria quàm aliena condonare dignetur; faciatq; illa eum, magis ac magis detestari, ac odio habere in æternum. *Secundò*, vt donet ei gratiam efficacem ad vincendum omnes tentationes, & coercendum quasuis propriarum passionum insolen-

solentias, compescendumq; motus prauorum habituum seu vitiorum spiritui rebelles. *Tertiò*, vt tribuat ei continuum fidei, spei, & charitatis augmentum. *Quartò*, vt det illi gratiã, in omnibus Christi virtutibus ac Sanctorum eius iugiter proficiendi. *Vtpotè*, in obedientia, humilitate, patientia, castitate, Euangelica paupertate, &c. *Quintò*, vt conferat illi Spiritum deuotionis ac feruoris, omnem nimirum difficultatem laboris spiritualis, & tepiditatem remissæ affectionis superantem. *Sextò*, vt donet ei gratiam affectionis charitatiuæ & reuerentialis, quâ tam superiores suos, siue scilicet mediatos siue immediatos, quàm omnes alios fratres siue sibi æquales (vtpotè, vocatione) siue inferiores, intimè prosequatur. *Septimò*, vt hæc omnia petita ac postulata, largiatur etiam omnibus alijs eius fratribus, & benefactoribus huius videlicet conuentus, & totius Prouinciæ ac vniuersi ordinis: nec non, vt omnes Christianos cum eorum præpositis, siue spiritualibus siue sæcularibus, non destituat internis & externis auxilijs, eosque dirigere in vitam dignetur æternam.

Secunda particula conclusionis est oblatio, in qua humillimo spiritu debet offerre ascœta Deo altissimo cuncta sua opera, in vnione videlicet Christi Domini meritorum, & Sacratissimæ matris eius, ac omnium cælestiũ Angelorum & Sanctorum, vniuersæq; militantis Ecclesiæ iustorum, vt nimirum ex Diuina il-

lius acceptatione, cedant ad maiorem nominis sui gloriam, & ad offerentis maius meritum. Horum autem operum quinque sunt genera, *Vtpotè*, Sacrificium missæ celebrandum vel audiendum, aut iam celebratum vel auditum: *Orationes* tam vocales quàm mentales: *eleemosynæ* tam corporales quàm spirituales: *ieiunia* tam sensuum quàm affectuũ, quæ videlicet constituunt externæ & internæ mortificationis exercitia, & virtutum studia: *tandem* actus ex se indifferentes. vt sunt comedere, bibere, calefieri, honestè recreari, & his similes.

Tertia particula est commendatio sui, in patrocinium ac protectionem B. Virginis Mariæ, Angeli custodis, Sanctorum patronorũ, ac totius curiæ cælestis.

PRAXIS XII.

Præsentiam Diuinam semper conseruandi ac renouandi.

QVemadmodum hominibus, omnium malorum spiritualium principalis est causa, ipsius Dei ignaua obliuio, iuxta illud *Psal. 9.* Non est Deus in conspectu eius (*id est, quia non habet homo in mente sua iucundã Dei præsentiam, ideò*) inquinatæ sunt viæ (*intentionum ac operationum*) illius, in omni tempore. Ita omnium bonorum origo est, præsentiæ diuinæ grata apprehensio, voluptariaq; iugis tentio. Vnde quilibet huic assistens discipli-

næ, di-

næ, dicere poteſt illud, quod de ipſa ſapientia dictum eſt, *Sap. 6.* Venerunt mihi omnia bona (*Vtpotè, timoris, imitationis & dilectionis Dei*) pariter cum illa.

Hinc eſt, quod ſicut actu peccantes, quantum poſſunt omnino à præſentia conſpectuq́; Dei ſeſe alienare contendunt; vt facilius proprijs indulgere poſſint cupiditatibus, & liberius ac ſecurius ſuis inſiſtere queant delicijs, ſine ſenſu remorſus propriæ conſcientiæ animam crucìantis, ac ſine experientia impulſus timoris Dei voluptatem peccati remittentis: quâ ratione *quidam* illorum, Deum non eſſe ſibi perſuadebat cùm ſcelus quoddam perpetrare vellet, vt patet *Pſ.* 13. Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. *Alter* autem Deum peccata ſua non videre aut non intelligere ſibi imaginabatur, vt eſt *Pſal.* 98. Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. *Tertius* denique Deum eſſe obliuioſum falſo exiſtimabat, vt habetur *Eccl.* 23. Quis me videt? tenebræ circumdant me, & nemo circumſpicit me, quem vereor? delictorum meorum non memorabitur altiſſimus. *Ita quoque* iuſti homines, vt ſtabiliter declinent mala, & in bonis iugiter proficiant, huic diſciplinæ ſeu exercitio tentionis diuinæ præſentiæ continuo aſſiſtunt. *Sic* fecit Suſanna, matrona illa honeſtiſſima, vt peccatum declinaret, cùm tentata ab iniquis confugeret ad diuinam præſentiam ac diceret, ſicuti habetur *Daniel.* 13. Anguſtiæ

sunt mihi vndique. Si enim hoc egero, mors mihi est; si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus hominum, quam peccare in conspectu Domini. *Sic* Dauid, cùm teneret iucundam Dei præsentiam, non fuit suis vitijs ac passionibus in malum commotus, omnesque fugit laqueos diaboli, vti ipse testatur dicens *Ps.* 15. Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam (*id est, quam ob causam*) à dextris est mihi ne commouear. Et *Ps.* 24. Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Sic facientes, facile in via imitationis Christi proficiunt, & ipsam spiritualis vitæ perfectioné consequuntur, iuxta illud *Prou.* 3. In omnibus vijs tuis cogita Deum, & ipse diriget gressus tuos. Et *Gen.* 17. Ambula corã me & esto perfectus. *id est*, præsentiam meam tenendo, sensim facile peruenies ad perfectionem. His igitur de causis Propheta nos admonet, vt præsentiam Dei quæramus dicens *Ps.* 104. Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem eius semper. Faciem autem Domini quærere idem est, quod conari ac studere iucundam Dei præsentiam in memoria, intellectu, & voluntate semper conseruare, tenere, ac iugiter renouare.

CONSERVAMVS autem in mente nostrã præsentiam diuinam, quando Deum, alias in præsenti latentem, fide credimus ac intuemur

mur vbique semper nobis adesse præsentissimum, per inspectionem nimirum, potentiã & essentiam, iuxta illud *Act.* 17. Non longè est (Deus) ab vnoquoque nostrûm: in ipso enim (*quasi quodammodo pisces in aqua natantes, & aues in aëre volantes*) viuimus, mouemur & sumus. Huiusmodi erat fides illius qui dicebat *Ps.* 138. Si ascendero in cælum tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illûc manus tua dedûcet me, & tenebit me dextera tua.

RENOVAMVS verò in nobis præsentiam diuinam, quando non solum actibus fidei, spei, & charitatis in Deum tendimus, verum etiam quando cunctas nostras actiones asceticas in eum referimus, his nimirum seu similibus sacræ Scripturæ verbis deuotè in eum directis. *Vt* cum pro matutino mediâ nocte excitamur, protinus signo sanctæ crucis muniti dicimus ac deuotè ruminamus, verba illa *Matt.* 25. Mediâ autem nocte clamor factus est. Ecce sponsus venit exite obuiam ei, & quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. Nouissimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes. Domine, Domine aperi nobis. At ille respondens ait. Amen dico vobis, nescio vos: vigilate itaque quia nescitis diem neque horam. Et *illud ad Ephes.* 9. Surge qui dormis & illuminabit te Christus, qui nimirum promisit coronam vigilantibus & orantibus.

In introitu chori. *Ps.* 5. Domine in multitudine misericordiæ tuæ, introibo in domũ tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Quando flexis genibus terram osculamur in choro. Adoramus te sanctissime Domine IESV, hic, & ad omnes Ecclesias quæ sunt in toto mundo, & benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Quando datur signum ab hebdomadario post factam præparationem pro inchoatione diuini officij. *Ps.* 137. In conspectu Angelorum psallam tibi, & confitebor nomini tuo. *Postea illud suspirium seu pactum.* O Deus meus te laudo.

Quando distrahimur sub tempus diuini officij. *Ps.* 110. Psallã & intelligam. *Vel Ps.* 46. Psallite Deo nostro psallite, psallite sapienter. *Vel* 1. *Cor.* 14. Psallã spiritu, psallã & mente.

Quando te præparas ad disciplinam faciendam. *Ps.* 31. Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit. Et *Ps.* 37. Quoniam ego in flagella paratus sum, cum Christo IESV meo, & dolor eius in conspectu meo semper est.

Post disciplinam *Tob.* 3. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris. Et *Psal.* 24. Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte vniuersa delicta mea.

Quando

Quando te componis ad dormiendum, dic *Psal.* 4. In pace in idipſum, dormiam & requieſcam. Et *Psal.* 30. In manus tuas commendo ſpiritum meum, redemiſti me Domine Deus veritatis.

• Dormiens, illuſus ac tentatus, moxque expergefactus. *Psal.* 118. Memor fui nocte nominis tui, & cuſtodiui legem tuam.

Mane ſurgens. *Coloſ.* 3, Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens; quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. *Et ſuſpirium generale.* O Deus meus & omnia.

Cùm diſponis habitum circa te, vel induis mantellum, *dicito.* Exuat me Dominus veterem hominem cum actibus malis, & induat me nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in iuſtitia & ſanctitate veritatis.

Cùm lauas manus. *Psal.* 50. Amplius laua me Domine ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

Cùm verò faciem lauas. *Iſa.* 1. Lauamini & mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis.

Cùm tandem pedes. *Ioan.* 13. Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet. Si ergo ego laui pedes veſtros Dominus & magiſter, vos etiam alter alterius lauare debetis pedes.

Quando intras Sacriſtiam præcipuè ad ſeruiendum ſacro. *Gen.* 26. Verè locus iſte Sanctus eſt, in quo nimirum ſacerdos præparatur ad diuina celebranda. M 7 Quan-

Quando intras Ecclesiam. *Ibid.* Quàm terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli.

Quando vocaris ad seruiendum missæ vel ad Ecclesiam. *Psal.* 108. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domũ Domini ibimus.

Quando gradum dormitorij ascendis. *Ioan.* 20. Ascendo ad Patrem meum, & Deum meum.

Quando descendis. *Luc.* 19. Zachæe festinans descende, quia hodiè in domo tua oportet me manere.

Quando intras cellam. *Psal.* 117. Aperite mihi portas iustitiæ ingressus in eas confitebor Domino. Et *Psal.* 131. Hæc requies mea in sæculum sæculi, hîc habitabo quoniam elegi eam.

Quando librum ad legendũ aperis. *Ps.* 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. *Vel Psal.* 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. *Vel. Sap.* 5. Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiã. *Vel Psal.* 118. Intellectum da mihi & viuam.

Finita lectione. *Psal.* 118. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. *Vel Ioan.* 13. Si hæc scitis, beati estis si feceritis ea.

Cùm vocaris è cella ad superiorem. *Act.* 9. Domine quid me vis facere?

Quando tibi opus aliquod spirituale assignatur. *Gal.* 6. Dum tempus habemus operemur bonum. Quando

Quando tibi aliquod manuale exercitium iniungitur. *Psal.* 123. Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terrã. Et *Psal.* 62. In nomine tuo leuabo manus meas. *Vel* 1. *Reg.* 15. Melior est obedientia quàm victimæ. Et *Luc.* 2. Erat subditus illis.

Quando exis extra claustrum pro socio. *Matth.* 8. Domine sequar te quocunque ieris.

Quando verò cum socio. *Psal.* 24. Vias tuas Domine demonstra mihi & semitas tuas edoce me. *Et* 118. Deduc me Domine in semitam mandatorum tuorum quia ipsam volui. *Vel* Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam.

Cùm redis. *Ioan.* 6. Bonum est nos hîc esse, faciamus hîc tria tabernacula IESV vnum, Mariæ vnum, Curiæ cælesti vnum.

Quando vides pauperem vel miserum. *dic,* ô Deus, cur non ego? *Vel* 1. *Reg.* 2. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat.

Quando eleemosynam quæris. *Matth.* 6. Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius & hæc omnia adijcientur vobis. *Et in Regula.* Et non debeant verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo.

Cùm pulsatur ad mensam. *Luc.* 14. Beatus qui manducabit pané in regno Dei. *Apoc.* 19. Beati qui ad nuptias Agni vocati sunt. Et 2. *Thes.* 3. Si quis non vult operari, non manducet.

Quando

Quando tibi porrigitur portio. *Ioan.* 4. Meus cibus est vt faciam voluntatem Patris, qui in cælis est. *Vel Psal.* 118. Portio mea Domine, dixi custodire legem tuam.

Quando bibis. *Psal.* 36. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. *Vel Psal.* 16. Satiabor cùm apparuerit gloria tua.

Si esuris. *Matt.* 5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

Si sitis. *Ioan.* 7. Si quis sitit veniat ad me & bibat.

Si tentaris plus iusta necessitate comedere ac bibere, dic *Psal.* 77. Adhuc escæ erant eorum in ore ipsorum, & ira Domini ascendit super eos. *Vel Luc.* 6. Erat quidam diues qui quotidie splendidè epulabatur, & cùm mortuus esset, sepultus est in inferno. Et *Luc.* 17. Temporibus Noë edebant & bibebant, & venit diluuium & perdidit eos.

Si tibi non sapit cibus & potus. *Psal.* 68. Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.

Si videris alium auidè & non mortificate comedere. *Rom.* 14. Is qui manducat non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet, Deus enim illum assumpsit.

Quando increparis merito ab aliquo. *Psal.* 118. Iustus es Domine & rectum iudicium tuum. *Vel.* Si non essem malefactor, hæc mihi non dicerentur.

Quando

Quando verba iniurioſa accipis. *Iſ.* 50. Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me, Dominus auxiliator meus, & ideò non ſum confuſus.

Quando te aliqui iniuſtè perſequuntur. *Dic cum S. Stephano.* Domine IESV ne ſtatuas illis hoc peccatum.

Quando pateris aliquid contrarij. *Luc.* 21. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. *Vel.* Si oportuit Chriſtum pati & ita intrare in gloriam ſuam, quid me? *Acto.* 5. Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati.

Quando aliquo modo tentaris. *Iacob.* 1. Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ. *Vel.* Exurgat Deus, cadat armatus, & conteratur inimicus.

Dum vana gloria pulſaris. *Gal.* 6. Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri IESV Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Et *Pſal.* 44. Omnis gloria filiæ Regis ab intus.

Cùm laudaris. Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. *Vel.* Mihi confuſio & tibi Deo meo in æternum gloria.

Contra tentationem ſuperbiæ. *Luc.* 14. Qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.

Contra affectum auaritiæ. *Act.* 20. Beatius eſt dare magis, quàm accipere. Con-

Contra stimulum luxuriæ. Voluptas breuis pœna perpetua. *Vel.* Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat. *Vel.* Non possum esse continens, nisi tu Deus dederis.

Contra spiritum inuidiæ. 1. *Ioan.* 3. Qui non diligit proximum, manet in morte.

Contra motum iræ. *Matth.* 11. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.

Contra acediam, negligentiã ac pigritiam. *Prou.* 13. Vult & non vult piger: anima autem operantium impinguatur. Et *Ierem.* 48. Maledictus qui opus Dei facit negligenter. Et *Matth.* 11. Regnum cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud. *Et* 7. Omnis arbor quæ non facit fructum, excidetur, & in ignem mittetur.

Contra spiritum murmurationis, detractionis & susurrationis. *Psal.* 120. Domine libera animam meam à labijs iniquis & à lingua dolosa. *Eccl.* 28. Susurro & bilinguis maledictus, multos enim turbauit pacem habentes. *Prou.* 13. Qui detrahit alicui ipse se in futurum obligat.

Si tentaris de Deo aliqua diffidentia. *Ps.* 30. In te Domine speraui non confundar in æternum. *Psal.* 22. Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spẽ meã.

Si in conscientia turbaris ob aliquam obiectionem diabolicam. *Psal.* 24. Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Si ten-

Si tentaris videre curioſa. *Pſal.* 118. Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Et *Iob.* Pepigi fædus cum oculis meis.

Si tentaris audire noua & curioſa. 2. *Tim.* 4. A veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.

Si incidiſti in aliquem defectum. *Pſal.* 50. Tibi ſoli peccaui. *Vel.* Peccaui Domino.

Quando tētaris iudicio temerario. *Rom* 14. Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum, Domino ſuo ſtat aut cadit: ſtabit autem, potens eſt Deus ſtatuere illum.

Ante orationem. *Ioan.* 16. Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Et *Mar.* 11. Quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & eueniet vobis.

Accedens ad confeſſarium. *Luc.* 3. Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod IESVS accubuit in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retrò ſecus pedes Domini lachrymis cæpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.

Quando audis vel legis aliquem peccâſſe. *dic.* ô Domine, niſi tua gratia me adiuuares, ego plura mala perpetraſſem, ſis benedictus qui me adiuuas.

Quando audis aliquem benè feciſſe, vel legis aliqua opera heroica Sanctorum. *dic.* ô Domine in his omnibus valde mihi complaceo, & per gratiam tuam cupio illa experiri.

Si a-

Si amore inclinaris in rem temporalem, *dic*. Domine Deus propter tui amorem hac re priuari eligo.

Si odio habes alicuius defectus, *dic*. Magis odi ac detestor peccata mea coram te Deo meo, quæ mihi nocent; quàm aliena, quæ me non coinquinant.

Tempore recreationis, *dic illud Philip*. 4. Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete, modestia vestra nota sit hominibus.

Si affectus desideriorum tuorum deorsum tendunt, *dic illud Psal*. 41. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.

In fine cuiuslibet boni operis, *dic illud Luc*. 17. Seruus sum inutilis. *Item*. Viuat Rex noster IESVS. ℟. Viuat, Viuat.

PRAXIS XIII.

Studio virtutum asceticarum insistendi, ac de virtute in virtutem transeundi: vel alias. de vno gradu in alterum, & de altero in tertium proficiendi.

INSTITVTIO I.

De virtute gratuita in genere.

DIcendum est primò, quod sicut Deus quâ creator, in dando nobis vitam in esse naturæ, non tantum dat viuere, verum etiam

dat

dat & vitaliter operari. Ita necesse est, vt idem Deus quâ recreator ac reparator, in dando spiritui nostro vitam in esse gratuito, det eam & quantum ad esse, & quantum ad operari, sicuti dat ipso facto: quantum quidem ad esse gratuitum, per gratiam viuificantem seu iustificantem, quæ alias gratia gratum faciens dicitur; quantum verò ad operari, per eandem gratiam (*iuxta D. Bonauenturam Breuil. parte* 5. *cap.* 4.) vt septiformem, *id est*, septiformiter seu septempliciter distinctam, in septem scilicet habitus virtutum gratuitarum. Nam sicut cuiuscunque secundum vitam primam viuentis, non nisi per diuersas operationes vitales diuersorum eius membrorum, perfectio vitæ innotescit: ita etiam cuiuslibet viuentis secundum vitam secundam, perfectio vitæ illius spiritualis manifestatur, per solas videlicet diuersas operationes virtuosas & gratuitas, quæ diuersificantur pro diuersitate septiformis gratiæ, in diuersos nempe habitus distinctæ: cum actus ac operationes diuersificentur per obiecta, & diuersitas actuum requirat diuersitatem seu distinctionem habituum. Sunt autem huiusmodi habitus, tres videlicet virtutum Theologicarum, & quatuor cardinalium: per Theologicas virtutes, rectificatur anima respectu finis, & per cardinales respectu mediorum.

Rectificatur quidem per Theologicas, & quantum ad triplex obiectum, quod est in

Diuinis

diuinis, & quantum ad triplex subiectum, quod est in nobis. In diuinis est summa veritas, in quàm nos dirigit fides in credendo & assentiendo: est summa maiestas seu potentia & largitas, in quam nos erigit spes in laudando & expectando: & est summa bonitas, cum qua vnit nos charitas in diligendo & complectendo. In nobis autem est potentia rationalis, quæ rectificatur per fidem: est irascibilis, quæ dirigitur per spem: & est concupiscibilis, quæ ordinatur per charitatem.

Rectificatur verò anima, respectu eorum quæ sunt ad finem, per virtutes cardinales: nam secundum potentiam rationalem rectificatur per prudentiam: secundum irascibilem per fortitudinem: secundum concupiscibilem per temperantiam: secundum præterea omnes easdem potentias, in comparatione scilicet ad alterum, rectificatur per iustitiam: in comparatione quidem ad solum proximum, rectificatur inquam per iustitiam, vt est virtus cardinalis; in comparatione verò non solum ad proximum, verùm & ad seipsum, & ad Deum, rectificatur per iustitiam, vt est virtus generalis.

Dicendum secundò, quod septem dona Spiritus sancti *Isa.* 11. recensita, octo beatitudines *Matth.* 5. enumeratæ, & duodecim fructus Spiritus sancti *ad Galat.* 5. assignati, reuocantur secundum doctrinam Ioannis Scoti ad tres Theologicas virtutes, & ad quatuor cardinales.

Quantum

Quantum quidem ſpectat ad dona. Inprimis donum ſapientiæ reuocatur ad habitum charitatis, quo ſapit habenti obiectum infinitum, nempe Deus. Donum intellectus & ſcientiæ reuocatur ad fidem: fides enim vt inclinat ad aſſenſum primorum articulorum fidei, vocatur donum intellectus; vt vero extendit ſe ad concluſiones deductas ſyllogiſticè ex prioribus articulis, vocatur donum ſcientiæ. Donum conſilij reuocatur ad prudentiam, quæ eſt habitus conſiliatiuus de cunctis agibilibus naturali lumine notis. Donum fortitudinis, ad fortitudinem in ſuo genere. Donum pietatis, ad iuſtitiam, cuius eſt ſpecies. Donum timoris, ad temperantiam, tanquam ad ſuum genus.

Quantum verò ad beatitudines. Paupertas ſpiritus reuocatur ad temperantiam: quia per pauperes ſpiritu intelliguntur humiles, recti, ac timentes Deum, vt ait *D. Auguſtinus*. Humilitas autem eſt ſpecies temperantiæ. Mititas reuocatur ad amicitiam, quæ eſt ſpecies iuſtitiæ: nam vt ait *D. Aug.* Mites ſunt non offendentes, non reſiſtentes in malo, ſed potius ſeipſos proximo communicantes. Luctus reuocatur ad virtutem ſpei: nam luctus eſt habituale deſiderium veri boni, omnem explentis appetitum. Eſuries ac ſitis iuſtitiæ reuocatur ad charitatem, idem enim eſt eſurire iuſtitiam, quod diligere Deum. Miſericordia reuocatur ad beneficentiam quæ eſt

ſpecies

species iustitiæ, inclinans ad communicanda bona alteri sine spe retributionis. Munditia cordis reuocatur ad temperantiam, quæ est moderatrix voluptatum in communi. Pax reuocatur ad iustitiam cuius est species, per quàm iustè præsidet superior, & subditus promptè obedit, vnde oritur pax in omni republica. Patientia reuocatur ad fortitudinem tanquam ad suum genus: patientia enim inclinat ad sustinendam potius offensam, quàm ad repellendam.

Quantum denique ad fructus Spiritus sancti. Charitas, fides, longanimitas, reuocantur ad virtutes Theologicas. Bonitas & mansuetudo, ad iustitiam cuius sunt species. Patientia ad fortitudinem. Modestia ad prudentiam, quæ debitum modum tenet in agendis. Continentia & castitas ad temperantiam. Benignitas quæ est quædam bona igneitas, reuocatur ad consummatam Dei & proximi charitatem. Gaudium quoque ad charitatem, est enim effectus eius. Pax etiam ad charitatem, quia charitas dispositiuè concurrit ad causandam pacem.

Hinc est, quod virtutes, dona, benedictiones, & fructus, mutuis non raro vocari solent appellationibus: dicuntur enim omnia ista aliquando virtutes, inquantum scilicet ad opera inclinant studiosa: aliquando dona, inquantum liberaliter à Deo infunduntur; vel etiam inquantum in acquisitione ipsorum

augmenti,

augmenti, libero arbitrio concurrit Deus vt cauſa principalis: aliquando beatitudines, in ſpe nimirum ſeu in merito, inquantum inclinant ad promerendam operibus perfectis æternam beatitudinem: aliquando dicuntur fructus, inquantum hominem in via iuſtitiæ proficientem, iucundo ſpirituali reficiunt alimento.

Hinc deinde eſt, quod virtutes, dona, benedictiones, & fructus non differunt inter ſe, niſi tanquam gradus altiores ab inferioribus, & inferiores ab altioribus: vel alias non differunt inuicem à ſeipſis niſi quibuſdam officijs ſublimioribus & demiſſioribus: nam per virtutes homo rectus efficitur contra obliquitates vitiorum; per dona expeditus redditur contra impedimenta torpedinum & ariditatum internarum: vel alias, facilis & prõptus in exequendis diuinis efficitur, contra impedimenta tarditatum humanarum: per beatitudines perficitur, ſeu perfectè quietatur: ac tandem per fructus remuneratur, vel alias ſpirituali iucunditate afficitur. Vel deniq; virtutes & dona ſic diſtinguuntur à beatitudinibus, ſicut habitus ab actibus, qui ſunt ſecundum exceſſum virtutis: & fructus ſic diſtinguuntur à virtutibus, donis, & beatitudinibus, ſicut diſtinguuntur ab actibus virtutum, ipſæ ſpirituales iucunditates, actus virtuoſos conſequentes.

Dicendum tertiò, quod virtus, alia eſt *exte-*

rior, alia *interior*. Exterior seu externa virtus illa est, quæ reformat, dirigit & ordinat actiones & operationes potentiarum externarum, seu membrorum corporalium: & opponitur vitio, quod est in signo, verbo, & opere; & constituit finem suorum exercitiorum, honestatem extrinsecam. Huiusmodi autem virtus, est & *sæcularis* & *ascetica*. Sæcularis quidem, quæ homines sæculares reddit commendabiles, significat morum exteriorum honestam compositionem, decoram gestuum grauitatem, & sensuum ac membrorum corporis disciplinam, in loquendo nimirum, conuersando, gradiendo, comedendo, bibendo, & similibus. Ascetica verò seu claustralis, significat præterea omnem exteriorem obseruantiam, ac laudabilem extrinsecam religiosorum disciplinam, ex institutione videlicet Sanctorum patrum ordinatam ad ædificationem hominum; & ad profectum custodiamq; ac ornamentum virtutis internæ.

Interior seu interna virtus illa est, quæ reformat, dirigit, & ordinat actiones ac operationes potentiarum internarum animæ rationalis: & opponitur vitio, quod est interius: nam sicut vitium nihil aliud est, quam habitus prauus, & motus inordinatus infirmi & corrupti affectus naturalis, ita eius contrariũ, vtpotè virtus interna, non aliud est, quàm bonus animi habitus, ac motus ordinatus sanati affectus naturalis; & constituit finem a-

ctionum

ctionum suarum, tum honestatem intrinsecã, tum æternam beatitudinem, quæ alia est creata, quâ formaliter in patria beatificabimur, alia increata (ipse nimirum Deus) quæ nos effectiuè beatificabit. Vnde huiusmodi virtus significat expulsionem vitij, ac tuitionem & ornamentum animæ: nam iuxta sui nominis etymologiam, virtus, est quasi *vis intus, virum tuens, & virens intus*. Vis (inquam) intus, nata scilicet animæ rationali ad fugiendum mala seu detestandum illicita, ad complectendum bona, & aggrediendum ardua, nec non, ad tolerandum ac sufferendum aduersa propter Christi imitationem. Virum tuens, & virens intus: quia virtutis est natura, virum tueri & conseruare illæsum à vitijs suâ præsentiâ, & ornare ac decorare, *id est*, illuminare & perfectum reddere.

Hinc nota, quod sola virtus interna propriè dicenda est virtus, exterior autem non nisi virtutis signum, quod si fuerit falsum, absque suo scilicet significato, facit religiosum fictum, & secundum nonnisi ipsam apparentiam ac denominationem extrinsecam bonum. Vnde *S. Paulus* 1. *Tim.* 4. *ait* Exerce te ad pietatem (*id est*, applica te ad studium pietatis, seu internæ virtutis, quæ nascitur ex pietate) nam corporalis exercitatio (*id est*, disciplina externarum virtutum) ad modicum vtilis est: pietas verò ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ. Et *S. Ambr.* Virtus colenda est,

non imago virtutis: & colenda est, non sacrificio aliquo, thure, aut precatione solenni, sed voluntate solâ atque proposito: nam quid est aliud colere virtutem, nisi eam comprehendere animo aut tenere.

Dicendum quartò, quod virtus interna vt gratuita, quæ nihil aliud est, quam bona qualitas mentis à gratia Dei prouen iens, quâ mala qualitas (*id est*, vitium) animæ rationalis curatur ac superatur: quâ rectè, benè, ordinatè, ac piè viuitur: quâ meritum æternæ beatitudinis comparatur, augetur, & multiplicatur, duplex est, *necessitatis* nimirum & *supererogationis*: vel alias sufficientiæ & superabundantiæ: quarum altera est de lege præcepti, & altera de lege consilij. Vnde est, quod prima virtus, communis est omnium saluandorum; secunda verò, specialis est, ac propria religiosorum, & idcirco ascetica dicitur: illa actibus suis pugnat contra principia iuris prauæ politicæ, & resistit motibus acquisitorum vitiorum; hæc insuper ipsa sui iuris abnegat principia, & impugnat vitia innata: vtraque nihilominus harum virtutum operatur bona suæ legis propria cum difficultate, dum adhuc incipiens est; sed iam cum facilitate, dum est proficiens; ac tandem cum suauitate, dum perfecta habetur.

Hinc nota hæc esse principia iuris prauæ politicæ. Appetere scilicet licita (vt sunt præsentis sæculi bona honorabilia, vtilia & delecta-

delectabilia) illicitè, vbi aliter non possent haberi. Velle semet defendere à malis (vt sunt opprobria, damna, & afflictiones huius temporis) modo illicito, vbi alias deesset modus licitus. Velle sua recuperare, & de iniurio priuatâ authoritate vindictam sumere, vbi nimirum authoritas publica deficeret.

Principia verò seu regulas iuris sui puta esse huiusmodi. Appetere scilicet moderatè bona præsentia, vtpotè suo statui proportionata, & suis meritis commensurata. Velle seipsum defendere ordinatè à malis alicuius opprobrij, damni & afflictionis. Velle sua recuperare, & iustâ pœnâ iniurium afficere, publicâ non nisi authoritate.

Vitia quoque acquisita, & vitia innata (vti sunt habitualis superbia, auaritia, luxuria, ira, gula, inuidia, & acedia) hoc ipso inter se differunt; quod hæc contrahuntur à primis parentibus cum peccato originali; illa verò animæ veniunt à peccatis actualibus: & quod, illa motibus suis sequuntur lumen falsum principiorum prauæ politicæ; hæc autem, lumen naturalis rationis ac principiorum sui iuris.

Hinc quoque nota, quod sicut, nisi quis principia seu regulas iuris prauæ politicæ vt oportet abnegauerit, minimè motus vitiorum acquisitorum superabit: & consequenter, minimè viâ legis præcepti stabiliter ac fideliter incedet, & comprehendet ac tenebit vir-

tutem necessitatis, sine qua salutem æternam assequi nequibit. Ita, nisi quis principia sui iuris transilierit, minimè vitia natiua compescet: & consequenter, minimè viam legis consilij arripiet, ac virtuti supererogatoriæ vacabit, sine cuius studio & cultu verus asceta, ac religiosus esse non poterit.

Hinc denique nota, quod ille qui cedit ac renuntiat iuri suo propter cultum virtutis ac studium imitationis Christi, bonum operari debet, sine respectu alicuius remunerationis aut gratitudinis, iuxta illud *Luc.* 14. Qui non renuntiat omnibus quæ possidet (*siue nimirum affectu, siue effectu*) non potest meus esse discipulus. Et malum pati eum oportet cuiuslibet aduersitatis, absque sui defensione, iuxta illud *Matth.* 5. Audistis quia dictum est antiquis: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. *id est*, sis paratus præbere illi æquanimiter & alteram. Et *Rom.* 12. Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Deniq; sua repetere non potest, iuxta illud *Matth.* 5. Qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & quicunque te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo. Qui petit à te, da ei: & volenti mutuari à te, ne auertaris.

Dicendum quintò, quod sicut virtutes ne-
cessita-

cessitatis, vna cum gratia gratum faciente diuinitus infusæ, non acquiruntur secundum sui intensionem & augmentum, nisi per sinceram & continuam mandatorum Dei obseruantiã: ita virtutes supererogationis, nisi per iugem ac diutinam consiliorum Christi custodiam. Et sicut vnum Dei præceptum sine altero seruari non potest, ad meritum scilicet vitæ æternæ, iuxta illud *Iacob. 2.* Quicunq; totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Ita vna virtus sine alia (*iuxta D. Greg. Moral. 21. cap. 3.*) non est virtus. Vnde *D. Bonau. lib. 4. cap. 8. in Comp. Theol. verit. ait.* Connexæ sunt sibi virtutes & coordinatæ, ita, vt qui vnam habet, habeat omnes. *Et inferius.* Quæ de connexione virtutum dicta sunt, intelligi debent de virtutibus gratuitis, quæ omnes quo ad habitus sunt connexæ, sicut quo ad actus meritorios sunt æquales. *Item lib. 2. de prof. relig. cap. 24.* Licet multæ virtutes esse videantur, & inter se differentes; vt humilitas alia est quam castitas, & patientia alia est quàm misericordia, & sic de alijs: tamen quadam consideratione omnes vnum sunt (*vnum scilicet in radice gratia Dei ac charitatis, quæ est vinculum perfectionis, connectens, formans, ac perficiens omnes virtutes: vnum autem sunt causaliter & virtualiter, non autem formaliter: nam charitas & quauis alia virtus charitate formata, non elicit actum alterius virtutis, nisi imperat*)

rat) & ita quælibet non tantum cohæret, sed etiam inest alteri: vt qui vnam habeat, verè omnes habere dicatur, in habitu, & si non in actu. *hac ille*. Id ipsum probatur cùm dicitur 1. *Cor.* 13. Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, &c. *id est*. Charitati inest patientia, benignitas, humilitas, &c. *Vel item*. Charitas amat & gignit patientiam, humilitatem, ac alias virtutes; & consequenter, odit & fugit impatientiam, ambitionem, & omnia vitia: quia virtus secundum *D. Aug.* est amor ordinatus, quo scilicet illud solum amamus, quod debemus, & quomodo debemus: quantum autem amamus aliquid, tantum odimus & fugimus eius contrarium.

Dicendum sextò, quod omnes, qui propter Christi imitationem semitis virtutum incedere cupiunt, cauere debent extrema illarum, iuxta illud *Deut.* 5. Non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram. Cùm virtus in medio duorum extremorum consistat, quorum alterum dicitur defectus, & alterum excessus. Vnde *Philos. lib.* 3. *Ethic. ait*. Virtus est mediocritas duorum vitiorum, alterius secundum defectum, alterius secundum excessum. *Item S. Basilius*. Virtus est quædam inter excessum & defectū mediocritas. *Item S. Hier.* In virtutibus nec hyperbases sunt, nec eclipses: *id est*, nec plus, nec minus, sed omnia temperata.

Hinc nota, non quemlibet defectum & excessum

cessum esse malitiam seu vitium, sed solum à dextris & à sinistris ipsius virtutis constitutũ: nam defectus, sæpè pro sola imperfectione accipitur: & sic inferior gradus virtutis, est defectus ac imperfectio respectu superioris: excessus etiam virtutis, sæpè pro apice ac summo illius gradu haberi solet, vbi mens excessu sui alienata ab omni interna proprietate, tepiditate, & obliquitate; ex recta, & simplici, qualis fuit in primo & secundo gradu, iam omnino Deiformis efficitur.

His de virtute gratuita in communi suppositis, distinctè iam ac singillatim in sequentibus institutionibus dicere venit de virtutibus, quæ per contrarium opponuntur vitijs capitalibus: vtpotè, de virtutibus fidei, spei, & charitatis, quas puta esse contra acediam: de charitate proximi, quæ est contra inuidiam: de humilitate ac obedientia, quæ sunt contra superbiam: de patientia, quæ est contra iram: de paupertate Euangelica, quæ est contra auaritiam: de sobrietate, quæ est contra gulã: ac tandẽ de castitate, quæ est contra luxuriã.

INSTITVTIO II.

De virtute fidei.

DIcendum est primò, quod fides multipliciter accipitur. Aliquando pro fidelitate & sponsione, vt est *Ierem.* 7. Perijt fides & sanctus de terra. Et 1. *Tim.* 5. Primam fidem irritam fecerunt. Aliquando pro conscientia

probabili. vt est *Rom.* 14. Omne quod non est ex fide, peccatũ est. Aliquando pro facilitate credendi, vt est *Mat.* 8. Non inueni tantã fidẽ in Israël. Aliquando pro deuotione fidei, vt est *Matt.* 15. O mulier, magna est fides tua. Aliquando pro fidei obiecto materiali. *id est*, pro articulo fidei. vt est in symbolo *Athanasij*. Fides autem Catholica hæc est: vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur. Hinc nota, quod duplex habetur fidei obiectum, *formale & materiale*. Obiectum formale est auctoritas diuina, seu ipse Deus quà verax est, vera scilicet ac certa, & infallibilia Ecclesiæ ad credendũ proponens. Obiectum materiale, puta esse ea omnia, quæ nobis ab Ecclesia Dei credenda proponuntur, vt sunt articuli fidei, & ea quæ habentur per sacras scripturas, per Apostolicas traditiones, & per generalium conciliorum ac summorum Pontificum determinationes.

Aliquando fides accipitur pro habitu fidei informis. vt est *Iacob.* 2. Fides sine operibus, mortua est. Aliquando pro habitu fidei formatæ, mentem illuminante, ad credendum. vt est *Act.* 15. Fide purificans corda eorum. Et *Rom.* 1. Iustus ex fide viuit. Hinc habitualis fides dicitur, quæ est virtus supernaturalis inclinans intellectum ad credendum ea, quæ à Deo vniuersali Ecclesiæ reuelata sunt. Aliquando pro actu fidei. vt est *Luc.* 7. Fides tua te saluam fecit. Et *D. Aug.* Fides, est credere,

quod

quod non vides. Hinc fides actualis dicitur, quæ est firmus assensus eorum, quæ per Deum vniuersali Ecclesiæ reuelata sunt. Aliquando accipitur, & pro habitu infuso, & pro actu ipsius elicito: & sic est virtus Theologica à Deo infusa, per quam firmiter assentimur ob Dei auctoritatem ijs, quæ à Deo reuelata sunt, & ab Ecclesia proposita, vt à nobis credantur.

Dicendum secundò, quod fides præsens, alia est *implicita*, & alia *explicita*. Fides implicita, non sufficit ad salutem, quâ scilicet creduntur veritates fidei non in particulari ac in seipsis; sed in vniuersali, vel in communi aliquo principio. Vt, cùm quis credit omnia quæ continentur in symbolo Apostolorum: vel, cùm quis credit quæcunque tenet vniuersalis Ecclesia. Fides explicita illa est, quâ creduntur veritates fidei distinctè, *id est*, in particulari ac in seipsis.

Hinc nota, quod fidei explicitæ, tria sunt concipienda: *Vtpotè*, suppositiones, propositiones, & consequentia. Suppositiones fidei, quæ nimirum fidem antecedunt, puta esse principia honestatis, seu principia moralia. vt. Malum est fugiendum. Bonum est complectendum. *Item* principia iuris naturalis. vt. Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Quod tibi ab alio fieri vis, hoc alteri facias. Nec non, vniuersalia fidei, ipsos articulos antecedentia: quod scilicet scriptura sacra sit condita & exposita inspiratione diuinâ: &

quod vera sint quæ loquitur Deus in scripturis, & per Sanctos suos: & alia huiusmodi.

Propositiones fidei, puta esse ipsos quatuordecim articulos symboli Apostolorum, qui sunt de Deo: vel secundum naturam in qua consistit: vel secundum naturam quam assumpsit: & sic septem sunt articuli, qui pertinent ad diuinitatem; & alij septem, qui pertinent ad humanitatem.

Qui ad diuinitatem spectant. Aut respiciunt diuinam naturam in se: & sic est primus articulus de singularitate Dei, seu de vnitate diuinæ essentiæ, cùm dicitur. *Credo in Deum.* non autem in Deos: vbi nota, quod dij dupliciter in scriptura accipiuntur. *Primò*, adoptiuè, iuxta illud. Ego dixi dij estis. qui nimirum alijs præestis doctrinâ, virtutibus, potestate, &c. *Secundò*, nuncupatiuè. Vt sunt idola, dæmonia, & quæcunque creaturæ, quibus aliquando reddebatur cultus diuinus: quæ vocantur dij, non re, sed solo nomine. Deus autem noster, est Deus veraciter, naturaliter ac essentialiter.

Aut respiciunt diuinæ essentiæ tres personas: & sic respectu primæ est articulus. *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Respectu secundæ est. *Credo in Iesum Christum filium eius Vnicum Dominum nostrum.* vtpote, consubstantialem Patri, ac ab æterno genitum. Respectu tertiæ est. *Credo in Spiritum sanctum.* à Patre nimirum, & à filio procedentem.

Aut

Aut respiciunt Diuinas operationes: quarum vna est in collatione naturæ: altera, in collatione gratiæ: tertia, in collatione gloriæ. Prima habet suum articulum. *Credo in Creatorem cæli & terræ.* Secunda verò. *Credo sanctam Ecclesiam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum.* Huius articuli sensus est primus. Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, quæ à Spiritu sancto gubernatur, sanctificatur, ac regitur, nunquam posse errare in determinationibus rerum fidei: & credo in ea fieri remissionem peccatorum, per communionem seu communem vsum sanctorum Sacramentorum nos sanctificantium. *Sensus secundus.* Credo quod in sola sancta vniuersali Ecclesia, contra quam potentia infernalis præualere nequit, fiat remissio peccatorum, in qua est communio Sanctorum, per participationem mutuorum auxiliorum, & omnium bonorum, quæ fiunt in Ecclesia ab vnoquoque membro Ecclesiæ. Tertia habet suum artificium. *Credo carnis resurrectionem, & vitam æternam. Amen.* Et sensus est. Credo quod Deus resuscitabit nos omnes homines secundum carnem, secundum quam morimur; non autem secundum animam, quæ immortalis est: quorum alios ex nobis, qui bona egerunt, ad vitam æternam vocabit; & alios, qui malis operibus addicti fuerunt, ad ignem æternum condemnabit. Articulus enim hic de condemnatione malorum, virtualiter

liter continetur in articulo de saluatione iustorum. vt patet per argumentum ab oppositis. Et sic septem sunt articuli respectu diuinitatis.

Item respectu humanitatis Christi, sunt alij septem, iuxta septem actus principales, quos ad nostram reparationem Dominus Deus ordinauit. Primus autem actus Christi, fuit incarnari: qui habet suum articulum. *Qui conceptus est de Spiritu sancto.* Secundus, fuit nasci: & habet suum articulum. *Natus ex Maria Virgine.* Tertius, fuit pro nobis pretium soluere: cuius articulus est. *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.* Quartus, fuit infernos visitare & spoliare: habens suum articulum. *Descendit ad inferos.* Quintus, fuit à mortuis resurgere: iuxta illum articulum. *Tertia die resurrexit à mortuis.* Sextus, fuit cælestia transcendere. vt patet in illo articulo. *Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Septimus erit venire ad iudicium: secundum hunc articulum. *Inde Venturus est iudicare viuos & mortuos.* Et sic ex parte causæ materialis, vtpotè ipsorum articulorum, sunt quatuordecim articuli fidei nostræ Catholicæ: cùm alias ex parte causæ efficientis, scilicet Apostolorum, non nisi duodecim habeantur.

Consequentia fidei, puta esse septem Sacramenta, quorũ substantiam tenemur nôsse, maximè verò eorum, quæ recipimus: & de-

cem

tem Dei præcepta, quæ obseruare tenemur: nec non petitiones orationis Dominicæ, in quibus vniuersa continentur à Deo petenda.

Hinc deinde nota, quod fide explicitâ credimus absolutè, non solum præsentes articulos fidei, verum etiam & ipsas sanctæ Ecclesiæ determinationes. *Vtpotè*, Hic Papa N. est Vicarius Christi, caput Ecclesiæ, & legitimus Petri successor. Hic Sanctus N. legitimè canonizatus, est in vita æterna. Quamuis dicat *S. Greg.* Quod multorum corpora Martyrum venerantur in terris, quorum animæ crucian-tur in inferno. Quia hoc dictum intelligitur de illis qui martyrium sustinuerunt absq; charitate, & priuatâ non verò publicâ veneratione coluntur. Sed conditionatè credimus nonnullas particulares veritates, ex aliquibus articulis fidei deductas. *Vtpotè*, Hic puer baptizatus, ante annos discretionis mortuus, habet vitam æternam: si nimirum, omnino ritè baptizatus fuit. Hic homo pœnitens accepit remissionem peccatorum: si scilicet pœnitentia eius omnia requisita necessaria habuit. Hic iustus vitam æternam habebit: si omnino in sua iustitia in finem permanserit. Hæc hostia consecrata, verè continet Christum Dominũ: si alias eius consecratio debitè fuit peracta.

Dicendum tertiò, quod fides explicita, alia est *practica*, alia *anagogica*. Fides practica, opponitur fidei otiosæ, quæ bonis operibus caret: nam hæc operatur bona per charitatem,

de qua

de qua illud est *Gal.* 5. In Christo IESV neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides, quæ per charitatem operatur. Et *Iacob.* 1. Ostende mihi fidem tuam sine operibus: & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. *Et infra.* Ex operibus fides consummata est. Anagogica fides, vel alias sursum ductiua, ac sursum actiua, illa est, de qua *Ioan.* 9. Credis in filium Dei? At ille ait: Credo Domine. Et procidens adorauit eum. *Item c.* 14. Creditis in Deũ, & in me credite.

Fides practica, alia est *necessitatis*, alia *supererogationis*. Fides necessitatis illa dicitur, quæ cuilibet hominum necessaria est de lege præcepti, ad consequendum vltimum finem æternæ gloriæ: nam alias ad hunc finem nemo venire potest, nisi per fidem, quæ ostenditur ex operibus. Vnde est illud *Marc.* 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui non crediderit, condemnabitur. Et *Hebr.* 11. Sine fide, impossibile est placere Deo. Fides supererogationis est de lege consilij, habens meritum maioris gloriæ. Quemadmodũ enim fides necessitatis fugit malum, (*vtpote* mortalis culpæ, ac eius occasionis proximæ) quia scit illud esse prohibitum: implet bonũ sufficientiæ, quod scit esse demandatum: & suffert aduersum, cui scilicet licitis medijs absque graui offensa Dei resistere nequit. Ita fides supererogationis fugit malum (*vtpote*, occasionis remotæ) secundum Christi consilium:

lium:

lium: operatur bonum superabundantiæ, ad Christi exemplum: & suffert aduersum propter Christi imitationem, quamuis alias medijs licitis illud effugere possit.

Fides anagogica, vel est *communis*, vel *specialis*. Communis fides, quæ propria est omnium saluandorum, dum ipso actu credit Deũ, credit Deo, & credit in Deum, habet conceptum Dei ac diuinorum confusum, seu generalem, ac rudem; & intelligentiam credibilium, secundum solam duntaxat substantiam terminorum, *id est*, secundum generalem, simplicem, ac rudem vocum seu verborum significationem, quæ continentur in eorum articulis. Specialis fides, quæ propria est contemplatiuorum, alia habetur *vestita*, alia *nuda*. Vestita fides illa est, quæ repræsentat Deũ quodammodo vestitum, obscuratum, & picturatum coloribus, vmbris, speciebus, formis, ac similitudinibus creaturarum. Vnde talis fides, non aliud est, quàm visio Dei ac diuinorum in speculo & ænigmate. Connaturalis enim modus est menti humanæ, vt Deum, non nisi per speculum creaturarum, & per ænigmata perfectionum mundanorum percipiat & intueatur.

Nuda fides vel alias pura, illa est, quæ supra modum humanum, repræsentat nudam ac puram Dei essentiam seu præsentiam: ac idem est, quod visio nudæ veritatis diuinorum, ac puræ Dei præsentiæ.

Hinc

Hinc est, quod fidei specialis, *primum* gradum aliquis habet, quando firmiter & affectuosè credit Deum, credit Deo, & credit in Deum (per aliud scilicet aspiciendo eius diuina: *id est*, per alias veritates magis notas percipiendo fidei mysteria, sicuti fieri solet in ascetica meditatione) propter se (*id est*, propter sui auctoritatem) & supra omnia. *Vtporè* credibilia & intelligibilia: quia fides certior est omnibus credibilibus & cunctis virtutibus intellectualibus, ex parte nimirum causæ, *id est*, verbi Dei, quod certius est vniuersis veritatibus; quamuis ex parte subiecti, *id est*, intellectus nostri, non item, eo quod plenius percipiat obiecta aliarum veritatum: & inde, est, quod facile dubitat in fide & errat, nisi alias plenè captiuetur in obsequium Dei, sanctæque illius Ecclesiæ. *Secundum* gradum aliquis habet, quando credit Deum, credit Deo, & credit in Deum, propter se & supra omnia, simpliciter iam credibilium mysteria percipiendo, sicuti fieri solet in contemplatione ordinaria. *Tertium* habet, quando credit Deum, credit Deo, & credit in Deum, propter se, & supra omnia, nudam ac puram Dei præsentiã & credibilium apprehendendo: quod fit in contemplatione extraordinaria. Vbi præsens fides, iam superatis omnibus humanis rationibus, iam abnegatis omnibus experientijs gratiæ sensibilis, & iam reiectis vniuersis diuinis imaginibus internis humana actiuitate ef-

fectis,

fectis, ipſi Deo incomprehenſibili, fonti nimirum ac exemplari ſuo, tanquam radius ſoli, à quo emanat, infigitur. De hac fide Ioannes Thaulerus *Inſtit. cap.* 8. ſic ait. Nuda puraq; fides huius eſt exilij: ſcire verò & intelligere, futuro ſæculo debentur. Verè præclara res eſt fides nuda: nuda inquam, non quæ bonis operibus deſtituta ſit; ſed quæ nihil ſcire, nihil ſenſibilis conſolationis experiri appetat. Gaudere deberent Deo militantes, quod ſaltem nudam ac puram fidem abſque omni cognitione habere poſſent: nam quo fides purior, ſimplicior, nudior eſt, eo vel centupſo laudabilior, nobilior, magiſq; meritoria eſt.

Hinc deinde eſt, quod credere Deum aliquis dicitur, quando credit eum eſſe, vnum ſcilicet in eſſentia, & Trinum in perſonis: nec non Creatorem, Saluatorem, Remuneratorem: itemque omnipotentem, ſummè ſapientem, & ſummè bonum: imò etiam, dum credit eum eſſe vbique per potentiam, præſentiam, & eſſentiam.

Credere quoq; Deo aliquis dicitur, quando credit verbis eius, per Eccleſiam erroris inſciam nobis propoſitis & explicatis.

Credere tandem in Deum dicitur, ſecundum D. Anſelmum *in Epiſtolam ad Rom. c.* 4. quando credendo amat eum, credendo it in eum, credendo adhæret ei, & credendo membris eius incorporatur. Credendo quidem aliquis amat Deum, & credendo it in Deum,

quando

quando fides eius adiunctam habet charitatem: nam fides sine charitate informis est ac mortua, quapropter non potest in Deum tendere non formata charitate. Vnde est, quod credere Deum, & credere Deo possunt esse actus informis fidei, & formatæ; sed credere in Deum, ipsius non nisi formatæ est. Credendo autem adhæret Deo, quando nullo vnquã hæresis errore ab eo separatur; ac semper in eius gratia viuit, nunquam per aliquod peccatum mortale ab eo recedens. Credendo denique membris Dei mysticis incorporatur, quando per charitatem dilectionis mutuæ, Deo, tanquam capiti mysticorum membrorũ coniungitur.

Nota autem, quod credere Deum, credere Deo, & credere in Deum (*iuxta D. Thomam*) non sunt tres actus diuersi, sed vnus, habens tres relationes ad obiectum: vel vnus tripliciter distinctus, ob diuersum ordinem ad obiectum: quia intellectus noster fide formatus, tripliciter potest ferri in Deum: *primò*, cùm fertur in Deum, vt in obiectum materiale, & sic credit Deo: *secundò*, cùm fertur in Deum, vt in obiectum formale, & sic credit Deum: *tertiò*, cùm fertur in Deum, vt in vltimum finem, & sic credit in Deum.

Dicendum quartò, quod fides integra, media est inter *defectum* & *excessum*. Fides secundum defectum, dici solet modica, infirma, mortua, & fallibilis. Modica illa est, quæ in periculo

periculo facile hæſitat atque dubitat, iuxta illud *Matt.* 14. Modicæ fidei, quare dubitâſti. Infirma fides illa eſt, quæ tempore tentationis ac probationis diffidit, contra illud quod dicitur *Rom.* 4. Et non infirmatus eſt fide. *Et inferius.* In promiſſione Dei non hæſitauit diffidentiâ. Mortua fides illa eſt, quæ non eſt formata ac viuificata charitate, & conſequenter non operatur per charitatem; de qua illud eſt *Iacob.* 2. Fides ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa. Fallibilis fides illa eſt, quæ humanæ rationi ac perſuaſioni innititur, non verò Eccleſiæ vniuerſalis auctoritati, de qua illud eſt *Tim.* 3. Erunt homines, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes, corrupti mente, reprobi circa fidem, ſed vltra non proficient.

Ad hoc enim vt quis credat articulos fidei infallibiliter, debet habere fidei habitum à Deo infuſum: quia ſicut poteſt quis naturaliter motus Deum diligere ſupra omnia, ſed non vt oportet, *id eſt*, non ſic propriè, ſtabiliter, ac feruenter, ſicuti cum charitate infuſa: ita etiam poteſt quis aliquibus credibilibus reuelatis ſeu articulis fidei aſſentiri ſupra omnia; ſed non ſicut ſufficit, *id eſt*, non ſic infallibiliter ac firmiter, ſicuti cum fide infuſa. Vnde eſt, quod habitus fidei, ſpei, & charitatis à Deo infunduntur propter duo, tum ſcilicet vt Deo firmius, ſtabilius, ac feruentius adhæreamus: tum, vt opera noſtra ſint Deo accepta, & conſequenter nobis meritoria.

Fides secundum excessum est, quando temerè, leuiter, præcipitanter, ac superstitiosè quiduis creditur: vel quando absolutè illa creduntur, quæ alias conditionatè credenda sunt. Vt est credere peccatorum remissionē, & vitam æternam in particulari.

INSTITVTIO III.

De virtute spei.

Dicendum est primò, quod spes multiformiter accipitur. Aliquando pro affectione naturali: & sic accepta, est suspicio (*secundum Philosophum*) futuri boni. Aliquando sumitur pro habitu infuso: & hæc spes habitualis non habet ortum ex meritis, sed ex ea merita oriuntur. Aliquando pro actu elicito: & hæc spes actualis oritur ex intuitu meritorum. Nemo enim rectè se sperat ad beatitudinem peruenturum, nisi qui Deo seruit vt oportet, vel seruire efficaciter proponit. Aliquando accipitur pro statu virtutis: & hæc spes ortum habet ex tolerantia aduersitatum, iuxta illud *Rom.* 5. Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio verò spem (*id est*, certitudinem, *secundum Glossam*) spes autem non confundit. Aliquando pro effectu, *id est*, pro confidentia, iuxta illud *Ps* 70. In te Domine speraui. Aliquando pro virtutis obiecto & re sperata, iuxta illud *Psal.* 90. Quoniam tu es Domine

spes

ſpes mea. Et *Pſ.* 141. Clamaui ad te Domine, dixi: Tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium. Et *Tim.* 2. Sobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem, *id eſt*, vitam æternam. Aliquando accipitur ſimul pro habitu infuſo, & pro actu ipſius elicito: & ſic ſpes eſt virtus Theologica diuinitus infuſa, per quam certo ac infallibiliter expectamus bona ſpiritualia & æterna, propter noſtra merita, ex diuina gratia prouenientia.

Hinc nota quod bona ſpiritualia & æterna, non alia ſunt, quam venia peccatorum, gratia meritorum, & gloria præmiorum: vt dicatur quædam ſpes veniæ, quædam gratiæ, & quædam gloriæ. *Et* quod ſpes iuſtorum abſolutè infallibilis eſt, inquantum ſcilicet illius certitudo, ipſi innititur fidei, ac diuinæ largitati; ſed inquantum reſpicit noſtram cooperationem & merita, ac diuinam promiſſionem, non niſi moraliter & conditionaliter infallibilis eſt; quia noſtra merita non habent certitudinem niſi moralem ſeu probabilem: neſcit enim homo quamuis iuſtus, an opera ipſius Deo grata ſint, niſi probabiliter opinatur: & quia promiſſio Dei non eſt facta nobis abſolutè, ſed conditionatè, vt patet *Matt.* 19. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.

Dicendum ſecundò, quod ſpes iuſtorum, alia eſt *practica*, alia *anagogica*. Spes practica illa dicitur, quæ inſiſtit bonis operibus, de

qua

qua illud est *Tob.* 2. Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas? Spes anagogica, vel alias sursum actiua, illa est, quæ actualiter sursum tendit in Deum, de qua *Psal.* 7. Domine Deus meus in te speraui, saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me. Et *Psal.* 25. In Domino sperans non infirmabor.

Spes practica duplex est, *necessitatis* nimirum, & *supererogationis*. Spes necessitatis illa dicitur, quæ omnibus saluandis necessaria est de lege præcepti, iuxta illud *Ps.* 31. Sperantes autem in Domino, misericordia circumdabit. Et *Prou.* 28. Qui sperat in Deo, saluabitur. Spes supererogationis est de lege consilij, habens rationem maioris meriti, de hac spe illud est *Psal.* 4. Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. Quemadmodum autem spes necessitatis fugit malum (*utpotè* mortalis culpæ) propter pœnam æternam: operatur bonum sufficientiæ, propter meritum: sustinet patienter aduersum, propter vitæ æternæ præmium. Ita spes supererogationis fugit malum culpæ venialis, propter pœnam purgatorij: operatur bonum superabundantiæ, propter maius meritum: & sustinet cum gaudio aduersum, propter maius præmium.

Spes anagogica, vel est *communis*, vel *specialis*. Communis, propria est omnium saluandorum: quam habet aliquis, dum ipso

actu,

actu, mente in Deum eleuata, sperat peccatorum suorum primam veniam, propter Christi pro illis summam contritionem ac satisfactionem; & ob suam propriam illorum plenam detestationem: & primam gratiam (quæ scilicet est principium merendi, seu causa meritoriarum nostrarum actionum) propter infinita Christi merita; & ob suam propriam in necessarijs eius imitationem: nec non, primã gloriam, propter Christi aduersitatum perpessionem; & ob suam illi aliquam compassionem.

Spes anagogica specialis, propria est contemplatiuorum: quam habet aliquis, dum erectus in Deum, ipso actu sperat in illo, expectans ab eo secundam veniam, secundam gratiam, & secundam gloriam, *id est*, veniam peccatorum venialium, aut etiam veniam cuiuscunque pœnæ: augmentum gratiæ: & maiorem gloriam: & hoc propter fugam occasionis remotæ mortalium peccatorum, ac abominationem suæ propensionis ad venialia: propter adhæsionem operibus supererogationis: & propter magnarum aduersitatum perpessionem, ad imitationem Christi.

De spe veniæ primæ illud est *D. Aug.* Merito mihi spes valida in illo est, quod sanabis omnes languores meos, per eum qui sedet ad dexteram tuam, & interpellat pro nobis, alioquin desperarem: multi enim & magni sunt languores mei, sed maior est medicina mea.

Et *D. Bern.* Sunt qui sperant in Domino, sed frustra: quia sic de misericordia Dei sibiipsis blandiuntur, vt à peccatis non emendentur: vana est omnino spes ista, & hæc confundit, eo quod charitas desit. Vnde est *Prou.* 14. Non habent futurorum spem (*vtpotè, verâm, certam, ac infallibilem*) mali: lucerna impiorum extinguetur. De spe secundæ veniæ innuitur tacitè, cùm dicitur *Luc.* 6. Dimittite (*offensam scilicet proximo vestro, seu culpam; & pœnā simul pro offensa*) & dimittemini. Eadem quippe mensura, quâ mensi fueritis, remetietur vobis.

De spe, primæ & secundæ gratiæ innuitur *Ioan.* 15. Iam non dicam vos seruos (*id est, homines prima mea gratia*) quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos (*id est, homines secundæ seu maioris mea gratia*) quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.

De spe, primæ & secundæ (*id est, maioris*) gloriæ innuitur *Ioan.* 10. Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant. Vnde *S. Greg.* Tanto spes solidior in Deum surgit, quanto pro illo quisque grauiora pertulerit: quia nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic prius, piâ tribulatione seminatur.

Hinc nota duplicem esse gratiam, quam hoc loco speramus ac desideramus, *habitualem* nimirum, & *actualem*. Habitualis consistit in esse

esse quieto, & permanenter inhæret animæ iustæ: estque donum diuinitus datum ad merendum, quod alias gratia gratum faciens, & gratia iustificans seu sanctificans appellatur. Vnde est, quod sine isto dono, nullus potest mereri de condigno, nec proficere ac peruenire ad gloriam: quod quidem donum duplex est, quorum alterum dicitur *gratia prima*; & alterum *gratia secunda*. Gratia prima habitualis illa est, quâ scilicet anima peccatrix verè pœnitens sanctificatur. Gratia secunda illa est, quâ anima iusta, in operibus iustitiæ proficiens, magis adhuc sanctificatur ac perficitur.

Actualis gratia Dei, consistit in fieri; & est actus transiens: alias dicitur auxilium actua-[redacted] significat concursum diuinum; non illū generalem, qui est adiutorium diuinum omni creaturæ gratis impensum, indifferenter se habens ad quemcunque actum, sine quo nec in esse durare nec quidquam facere possumus; sed specialem, qui nihil aliud est, quam actio quædam seu motio Dei supernaturalis, recepta in libero arbitrio, quâ immediatè ab ipso Deo interius admonemur, pulsamur, illuminamur, allicimur, mouemur, prouocamur, & trahimur ad supernaturaliter agendum ac operandum. Dicitur autem præsens gratia, specialis Dei concursus, non ideò solum, quia speciali (*id est, intellectuali*,) datur creaturæ; sed etiam, quia ad finem supernaturalem æternæ beatitudinis consequendum cælitus ordinatur.

Porro, gratia Dei actualis, alia etiam dicitur *prima*, alia *secunda*. Prima diuiditur in *præuenientem & concomitantem*. Præuenientem gratiam hoc loco intelligimus non illam extrinsecam, quæ est verbum Dei prædicatũ, remotè animam ad consensum disponens; sed intrinsecam, quæ est pulsus diuinus, instigans animam ad deserendũ malum & amplectendum bonum: & vulgò dicitur inspiratio piæ cogitationis & affectionis, quâ liberum arbitrium à Deo præuenitur, & præparatur, ac proximè disponitur ad perfectum consensum liberè præstandum. Alias huiusmodi gratia vocari solet *operans & excitans:* quia per eam operatur Deus in nobis supernaturaliter velle bonum, ac posse & velle operari meritoriè & excitat nos ad agendum opus meritorium. Concomitantem gratiam, non aliud esse puta, quàm auxilium Dei, quod cum libero arbitrio simul currit per modum formæ fluentis, causans cum eo plenum consensum in bonum. Alias præsens gratia, dici solet *cooperans & adiuuans:* quia cooperatur libero arbitrio in electione boni, & adiuuat illud, non solum vt possit se in bonum extendere, sed etiam vt efficaciter extendat.

Rursus gratia præueniens, operans & excitans est duplex, *sufficiens* nimirum & *efficax*. Sufficiens illa dicitur, quæ est de se excitatiua ad fugiendum malum culpæ, & agendum meritoriè, si homo non desit. Et hanc gratiam

tiam omnibus dat Deus: quia omnes vult ſaluos fieri, modo non reſiſtant eius inſpirationi. Efficax eiuſdem eſt qualitatis ſicut & ſufficiens, ſed per hoc differt, quia datur tali tempore, loco, & cæteris circumſtantijs, quando ei pro certo cooperabitur homo. Et hæc non omnibus datur propter iuſtiſſimas rationes, ſoli Deo perfectè cognitas. Concomitans, cooperans, & adiuuans gratia, ſemper eſt efficax, cùm ſemper habeat effectum: non enim gratia iſta concomitatur voluntatem, nec ei cooperatur, nec eam adiuuat, niſi etiã ipſa currat, operetur, & adiuuari indigeat.

Secunda gratia actualis, dicitur ſubſequens, ac idem eſt quod donum perſeuerantiæ, inuoluens donum Dei, quo Deus prædeſtinatũ ſpecialiter amat, protegit, cuſtodit, & promouet, in bono opere eum confirmando, ac ſæpè arguendo, caſtigando, illuminando, inflammando, occaſiones malorum euertendo, & in virtutibus proficiendi modum & opportunitatem ei offerendo. Huiuſmodi gratia diſtincta eſt à prima, non ſolum ſecundum diuerſas habitudines vel diuerſa munia; ſed etiam in entitate, ſeu qualitate. Dicitur autem ſecunda, quia prærequirit primam, ſecundum omnia eius officia, quæ ſunt præuenire, operari, & excitare; concomitari, cooperari, & adiuuare. Vtramque hanc ſperamus gratiam, dum orantes cum Eccleſia dicimus. Tua nos quæſumus Domine gratia ſemper præueniat

& sequatur; ac bonis operibus præstet esse intentos. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Et in hac sola spe huius vtriusque gratiæ Dei constituti, bona elicimus proposita, & quæuis vota nostra coram Deo emittimus. Vnde est illud *D. Aug.* Non sitis pigri ad vouendum, non enim viribus vestris implebitis: si in vobis confiditis, deficietis; si autem in illo cui vouistis: vouete securi, reddetis.

Dicendum tertiò, quod præter spem *primæ auctoritatis*, de qua hucusque locuti sumus, est alia *spes suffragij*. Spes primæ auctoritatis duplex est, *absoluta* nimirum, & *respectiua*. Absoluta illa est, quam simpliciter, immediatè, ac vltimatè ponimus in solo Deo, tanquã in prima causa mouente ad beatitudinem. Respectiua illa dicitur, quam ponimus in cruce Christi (dicentes cum tota Ecclesia: O crux aue, spes vnica) non quidem terminatiuè; sed relatiuè ad Christum filium Dei vnigenitum: seu, referibiliter in ipsum crucifixum, Dominum, Saluatorem nostrum.

Spes suffragij illa dicitur, quam ponimus principaliter in B. V. Maria, matre Dei, vt in agente primario instrumentali, cum dicimus. Salue Regina, mater misericordiæ, vita dulcedo, & spes nostra salue. Postea in alijs Sanctis, qui apud Deum valent & nostri memores sunt, iuxta illud 2. *Petr.* 1. Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis. Ac tandem,

dem, in quibusuis iustis Ecclesiæ adhuc militantis, quorum intercessiones, non sunt etiam vanæ in conspectu Dei, iuxta illud *Iacob.* 5. Multum valet deprecatio iusti assidua.

Dicendum quartò, quod tres habentur gradus spei specialis. *Primus* est, quando quis sperans in Deo, fiducialiter & cum gaudio expectat ab illo bona spiritualia & æterna. *Secundus* est, quando eadem bona cum tædiosis desiderat expectationibus, totâ suâ affectione & cogitatione sursum tendens in Deum. Nam vt ait *Richardus*. Amanti omnis mora nimis longa videtur, expectatio onerosa, clamat cum *S. Iob.* Tædet animam meam vitæ meæ. Vnde etiam est illud Dauidicũ *Ps.* 41. Quando veniam & apparebo ante faciem tuam? [redacted]*rtius* gradus est, quando eadem bona sperat & expectat excedens mente in Deum. Amor enim (quo scilicet erigitur spes præsens, vt ait *S. Dionysius*) in Deum tendens, est faciens ecstasim spiritus: quia amor non permittit amatores esse sui ipsorum, per mentis sobrietatem; sed eorum qui amantur, per mentis excessum: sed illi qui aliorum sunt, extra se sunt.

Dicendum quintò, quod spei opponuntur duo vitia, vnum secundum defectum, & alterum secundum excessum: vt est *desperatio & præsumptio.* Desperatio est voluntas diffidens de Dei adiutorio ad perficiendum bonum, de remuneratione diuina, & remissione pecca-

torum, ex indiscreta apprehensione seueritatis iustitiæ diuinæ nata; omne officium dimittens iustitiæ Christianæ.

Præsumptio, est confidentia inordinatè Deo innixa, expectans veniam peccatorum absque debita pœnitentia, & gloriam præmiorum sine proprijs meritis ex gratia Dei proficiscentibus; ob sola nimirum Christi merita. *Item.* Est confidentia immoderata consequendi iustitiam & beatitudinem æternam viribus naturæ, cum id creaturæ excedat facultatem.

INSTITVTIO IV.

De virtute charitatis.

DIcendum est primò, quod charitas, quandoque dicit Deum, Vnum in essentia, Trinum in personis. Vt, 1. *Ioan.* 4. Deus charitas est. Quandoque Spiritum sanctum, tertiam personam SS. Trinitatis. *Vt*, Qui diceris Paraclitus, Altissimi donum Dei, Fons viuus, ignis, charitas. Quandoque dicit habitum. Vt *Rom.* 5. Charitas Dei, diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Quandoque dicit motum, *id est*, affectum, & actum. Vt, *Cant.* 2. Ordinauit (*id est*, excitauit) in me charitatem. Quandoque feruorem. Vt, *Luc.* 7. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Quandoque dicit signum. Vt, *Ioan.* 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.

Dicendum ſecundò, quod inter virtutes Theologicas, quæ pro obiecto habent Deum, cui principaliter innituntur, talis eſt differentia. Fides inhæret obiecto, vt eſt principium cognoſcendi veritatem: ſpes, vt eſt principium perfectæ bonitatis in nobis: charitas, vt eſt principium vitæ & finis vltimus, copulans amantem cum amato. Fides, eſt in intellectu ſubiectiuè: ſpes, in voluntate, quâ iraſcibilis eſt, vel vt habet affectionem commodi: charitas, eſt etiam in voluntate, quâ ſcilicet concupiſcibilis eſt, vel vt habet affectionem iuſtitiæ.

Fidei actus, eſt credere: ſpei, eſt deſiderare; & vterque prouenit ex amore concupiſcentiæ: charitatis actus, eſt diligere, ex amore amicitiæ procedens.

Fides eſt quædam certitudo infallibilis rerum bonarum & malarum, collocata infra certitudinem viſionis debilioris, quæ fuit in S. Stephano, quando vidit cælos apertos: & quæ fuit in S. Paulo, quando dixit 2. *Tim.* 1. Scio cui credidi, & certus ſum. *Et infra* certitudinem ſcientiæ, quæ eſt in illis qui modo ſunt in purgatorio. Sed ſupra certitudinem opinionis, & ſcientiæ, quæ eſt demonſtratio ſeu cognitio rerum apparentium & euidentium in ſeipſis: fides autem eſt demonſtratio & cognitio non apparentium ac inuiſibilium. Vnde *Heb.* 11. ſic definitur. Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum (*id eſt*, fides eſt

exordium, basis, & fundamentum spei) argumentum non apparentium. *id est*, demonstratio inuisibilium: quâ sic arguitur, conuincitur, & captiuatur intellectus in obsequium Dei, vt firmiter ac liberè assentiatur omnibus per eum Ecclesiæ vniuersali reuelatis, quorũ non habet intelligentiam; certiorque fiat de ijs, quæ suo rationis lumine non comprehendit, quam si ea, humanâ demonstratione perspecta haberet: quia verbo Dei nihil veriùs ac certius esse potest, quod est causa fidei nostræ; ac inde est, quod fides præsens dicatur lumen supernaturale, vel cognitio supernaturalis: quia transcendit ac superat suâ certitudine omnem cognitionem naturalem, & supra omnem humanam demonstrationem qui[illegible] intellectum. Spes verò, est certitudo infallibilis rerum non nisi bonarum.

Charitas autem, est certitudo infallibilis amicitiæ Dei: quam quidem amicitiam quatuor constituunt. *Primum* est, amor mutuus: nam sine reamatione amicitia consistere nequit, cùm dicat aggregatum quid ex multis amoribus. *Secundum* est, boni mutua desideratio, ipsius amici gratiâ. *Tertium* est, aliqua iucunda conuersatio, inter se mutuo amantes: vel mutua participatio bonorum, se mutuo amantium. *Quartum* est, amoris mutui, inter amantes se, mutua manifestatio. Ista quatuor in charitate sunt: nam qui diligunt Deum, illos etiam diligit Deus, iuxta illud *Prou.* 8. Ego

dili-

diligentes me diligo. Et qui volunt Deo bonum, siue quod habet per essentiam, siue quod habet per accidens, siue quod non habet per humanam ingratitudinem; illis etiam vult Deus suum bonum per participationem, iuxta illud *Rom.* 8. Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Nec non, qui libenter conuersantur cum Deo, per studium piarum orationum & operationum; cum illis etiam libenter Deus conuersatur per internas visitationes & consolationes, iuxta illud *Prou.* 8. Deliciæ meæ, esse cum filijs hominum. *Tandem*, qui sæpè renouant erga Deum, suum conceptum amorem, tam internis quàm externis actibus; illis etiam Deus, suam quam habet erga illos, manifestat dilectionem, ac maximè cùm eos castigat multipliciter, iuxta illud *Apoc.* 3. Ego quos amo, arguo, & castigo.

Fides, est rerum præteritarum, præsentiũ, & futurarum; nec non, rerum alienarum & propriarum. Spes autem, non nisi futurarum, & propriarum. Vnde est, quod propriè non potest aliquis sperare alteri beatitudinem æternam, nisi sibiipsi: quia spes est motus, ac tendentia in Deum, & est ad terminum proportionatum mobili. Potest nihilominus ac debet vnus alteri sperare gloriam, ex vnione charitatis: quia proximus est quasi vnus per charitatem cum sperante. Charitas verò,

est respectu boni præsentis & absentis, proprij & alieni.

Fides, spes, sicut & aliæ virtutes morales, possunt esse absque gratia Dei, *id est*, informes, mortuæ, ac otiosæ; charitas verò nunquam potest esse sine gratia: *tum* quia simul cælitus dantur, nec vnquam ab inuicem separantur, cùm sint à Spiritu sancto, & cum Spiritu sancto; vt altera gratum reddat hominē Deo, & altera vniat: *Vel* quoque, quia idem sunt formaliter; charitas enim & gratia (vt multis placet) tantū differunt per respectus: nam huiusmodi donum, quatenus respicit subiectum Deo gratum, aut quatenus respicit Deum vt diligentem, & ad beatitudinem ordinantem, dicitur gratia; quatenus autem respicit Deum vt diligibilem, aut actum dilectionis, dicitur charitas. *Tum* quia charitas est forma, *id est*, principium, anima, vita, & caput omnium virtutum: vt enim toti corpori anima dat vitam, & caput influit sensum & motum: sic charitas omnes viuificat virtutes, & omnibus illis influit rationem merendi, & affectum mouendi ac agendi meritoriè, actus illarum ordinando ad vltimum finem. Vnde est, quod nullus actus cuiuscunque virtutis, potest esse ex condigno meritorius, nisi fuerit in charitate, ex charitate, & secundum charitatem elicitus, aut imperatus. Et hoc est quod dicitur 1. *Cor.* 13. Maior autem horum est charitas. *Item Coloss.* 3. Super omnia hæc,

hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.

Dicendum tertiò, quod charitas alia est *practica*, alia *anagogica*. Charitas practica illa dicitur, quæ (*secundum S. Gregorium*) operatur magna vbi est: si vero operari renuit, aut non operatur, charitas non est. Charitas anagogica, vel alias sursum actiua, illa dicitur, quâ actualiter homo amat Deum supra omnia, sursum tendens in eum, tanquam in finem vltimum.

Charitas practica duplex est, *necessitatis* nimirum & *supererogationis*: altera omnibus saluandis omnino de lege præcepti necessaria, altera ascetis de lege consilij perutilis: vtraque fugit malum, operatur bonum, & patitur aduersum, iuxta illud *Psal.* 96. Qui diligitis Dominum, odite malum, Et *Ioan.* 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Et 1. *Cor.* 13. Charitas patiens est. *Ibidem*. Charitas omnia suffert. Verum, charitas necessitatis fugit malum, culpæ scilicet mortalis, cum proxima illius occasione, propter offensam amicitiæ Dei: operatur bonum, quod tenetur ex lege præcepti, propter conseruandam Dei amicitiam: patitur aduersum, propter vtrumque. Charitas supererogationis, fugit malum, culpæ venialis, & remotæ occasionis ad peccandum mortaliter, propter minimam læsionem seu perturbationem amicitiæ Dei: operatur bonum, quod est de lege

consilij, propter maiorem gratiam Dei consequendam: patitur aduersum cum gaudio, propter plenam Christi imitationem.

Charitas etiam anagogica duplex est, *communis* nimirum & *specialis*. Communis, propria est omnium saluandorum: ac idem esse dicitur, quod dilectio Dei excludens efficaciter & perseueranter omne illud, quod amato exosum est, ac illius amicitiæ & proximorum charitati contrarium. Specialis verò, propria est spiritualium: ac idem esse perhibetur, quod dilectio Dei, excludens iuxta possibilitatem viatoris, omnem affectionum ac passionum cordis inordinationẽ seu perturbationẽ.

Porro charitas specialis, alia est *ascetica*, alia *mystica*: Ascetica illa dicitur, quæ post multa exercitia spiritualia, in sui sursum actione, virtutum asceticarum sapore conditam se esse experitur. Mystica illa est, quæ cum eximia quadam excellentia sic transcurrit sui amorem, vt ab omnibus intermedijs denudata, seu ab omnibus alienis affectibus depurata, nudè ac purè, per mentis excessum, transferat se in Deum. Vnde etiam dici solet, nuda & pura charitas.

Hinc est, quod secundum communem charitatem anagogicam diligit quis Deum: quando mente sursum eleuata, diligit eum propter se, in se, & secundum se, stabiliter. Secundum verò specialem charitatem, vtpotè, asceticam: quando diligit eum propter se, in

se, &

se, & secundum se, non solum stabiliter; sed etiam prudenter, dulciter, & fortiter. Deniq; secundum specialem charitatem, vtpotè mysticam, diligit quis Deum: quando diligit eum propter se, in se, & secundum se; stabiliter nimirum, prudenter, dulciter, fortiter, & excedenter. Et sic charitas ascetica, dum est in acquirendo, propria est incipientium: dum autem est in esse acquisito, propria est proficientium. Charitas verò mystica, propria est perfectorum: quæ esset in aliquo (*iuxta Gersonem*) si faceret ipsum ex toto seu omnino contemnere mundum, & eius obliuisci, sicut mundanus amor facit contemnere & obliuisci Deum: & si esset ita fortis & ardens, sicque radicata in corde eius, quod nec posset, nec sciret voluntariè, seu spontè ac liberè alibi cogitare; nec timeret contemptum, nec curaret vituperia, increpationes, & persecutiones; nec etiam ipsam mortem metueret propter iustitiam subire: & si omnia visa & audita huius mundi viderentur sibi tanquam somnium & quædam fabula, ita vt illa pro nihilo reputaret respectu Dei & gloriæ suæ: & si iudicio mundanorum haberetur vt stultus & ebrius, ideo quod tam modicum ea quæ huius mundi sunt curaret, & adhuc minus quam alij curant Deum ac eius paradisum, qui scilicet in amore mundi, sunt quodammodo absorpti. Tunc dico, quod ista esset perfecta charitas, ad quam tendere debet aliquis

quis per viam contemplatiuam. Et in statu talis charitatis, diceretur aliquis mortuus, & crucifixus mundo, essetque huius sæculi vanitatibus dormiens, & æternis bonis inuigilans; haberetq; sensus omnes tanquam clausos & obstructos, ad omne quod fit per homines huius mundi, sed apertos gaudijs Sanctorum.

Dicendum quartò, quod tunc aliquis dicitur diligere Deum ex charitate, propter se: quando diligit eum, *Vel scilicet*, quia est summum bonum. Nam vt ait *S. Bern.* Causa diligendi Deum, Deus est: modus, est sine modo diligere. Omne enim quod bonum est, diligitur ab omnibus inquantum bonum: quomodo ille qui summè bonus est, & infinitè bonum est, etiam summè, & si possibile esset infinitè, non est diligendus, iuxta dignitatis suæ meritum? *Vel* quia ipse prior dilexit nos, & plus diligit nos, quam ipsimet nos. Vnde est illud 1. *Ioan.* 4. Nos ergo diligamus Deum, quia Deus prior dilexit nos.

Tunc autem dicitur aliquis diligere Deum ex charitate, in se: quando scilicet vult illi, quod est, & quod habet per essentiam, vtpotè æternam fælicitatem, omnipotentiam, & huiusmodi.

Tunc denique dicitur aliquis diligere Deũ ex charitate, secundum se: quando diligit eum secundum eius voluntatem, quæ est declarata *Deut.* 6. Et *Marc.* 12. Diliges Domi-

num

num Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hæc vocabula posita sunt ac multiplicata, per quandam exaggerationem, sed idem significant, quamuis tamen bifariam intelligi possunt. *Primò*, cùm dilectio charitatis, ex toto corde excludit omnem affectum extraneum, iuxta possibilitatem viatoris: ita vt plenè ac perfectè dominetur cordi ac motibus eius: quod nihilominus ex integro fieri non potest, nisi in patria; vbi omnes motus cordis, per continuum amorem referuntur in Deum. *Secundò*, diligit quis Deum ex toto corde, ex tota anima, &c. cùm dilectio eius excludit omnem affectum charitati Dei contrarium: ita vt nihil diligat supra Deum, vel æqualiter Deo. Atq; ita diligit Deum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, & ex tota virtute ac fortitudine, qui diligit eum supra omnia: quod facere potest dupliciter, *appretiatiuè* scilicet, ac *intensiuè*.

Diligitur autem Deus super omnia appretiatiuè, quando in amore amicitiæ magis æstimatur, quàm æstimentur cætera diligibilia: seu, quando in honore ac dilectione, præfertur omnibus diligibilius, tanquam pretiosissimus, optimus, carissimus, & dignissimus. Intensiuè autem, quando actus amoris Dei, est intensior, vehementior, ac feruentior, omni alio amore, quo diliguntur cætera. Prior dilectio, est necessitatis: posterior autem, perfectionis.

Dici-

Dicitur quoque Deum quis diligere stabiliter, propter se videlicet, in se, & secundum se: quando tempore tentationis ac probationis, non immutatur per sui malitiam ac vertibilitatem, ita vt persistat in amicitia Dei. Non idem autem est stabiliter, quod perseueranter: nam stabilitas dicit firmam tentationem inchoatæ charitatis; perseuerantia verò dicit profectionem illius, vsque ad finem præsentis vitæ.

Dicitur præterea aliquis diligere Deum prudenter: quando, non iam secundum prudentiam alienam, vtpotè Magistri sui spiritualis; sed secundum propriam, sic circumspectè in amore amicitiæ Dei proficit ac perseuerat, vt nullatenus quacunque fallaci tentatione deceptus, neque ad sinistram per aliquem defectum, neque ad dexteram per aliquem excessum, declinet à rectitudine virtutis: fidem Deo semper & vbique seruans, ac immobilis permanens, tam scilicet in aduersitate, quam in prosperitate, siue corporali, siue spirituali constitutus: nulliusque creaturæ ac suiipsius amorem, cum dilectione quàm Deo suo debet, in comparationem venire permittens: ac per studium piarum meditationum modos inquirens, quibus omnes vires animæ suæ semper in Deo collectas habeat, & amplius extrauagari non sinat, solum Deum rectâ intentione in omnibus sibi proponens ac respiciens.

Dicitur

Dicitur etiam aliquis diligere Deum dulciter: quando præ suauitate cælesti, quam in eleuatione suorum affectuum percipit, ita animo resoluitur ac liquescit: vt in comparatione Dei sui, quem ibi gustat ac experitur esse dulcissimum, omnia mundi delectabilia contemnat & fastidiat; & quæuis aspera, dura, & amara, corpusque affligentia eligat ac exoptet; cum ipsisque hominibus extra Deum conuersari molestum esse arbitretur, quem solum frequentissimis ac feruentissimis suspirijs & desiderijs quærit; & cum quo iucundissimè ac libentissimè per crebro iaculatas in eum orationes, longaque spatia meditationum vel contemplationum, infatigabiliter conuersatur.

Dicitur deniq; aliquis diligere Deum fortiter: *tum* quando ob illius maiorem gratiã ac amicitiam, contra omnia vitia & passiones viriliter pugnans, plenam de illis reportat victoriam: *tum* quando omne opus, quod bonum ac Deo gratum est, sibique conueniens, quantumuis difficile & arduum, animo generoso aggreditur, & strenuè ac diligenter exequitur: *tum* quando paratus est omnia pati aduersa propter Christi imitationem, temporeq; cuiusuis persecutionis, à suis propositis & consuetis exercitijs non recedit, mala pro bonis cum gratiarum actione suscipiens, & pro veritate contumeliam lucrum reputans.

Quare

Quare autem diligendus ſit Deus ſtabiliter, prudenter, dulciter,& fortiter,ratio eſt: *tum* quia immutabilis eſt, propter ſui æternitatem; prudens, propter ſui ſummam ſapientiam; dulcis, propter ſui ſummam bonitatem; & fortis, propter ſui omnipotentiam. *Tum* quia illi quatuor habitus praui,quos habemus innatos, hac non niſi charitate ſuperantur: *Vtporè*, malitia voluntatis, per ſtabilitatem dilectionis; concupiſcentia cordis, per experientiam ſpiritualis dulcedinis; ignorantia mentis, per prudentiam charitatis; fragilitas liberi arbitrij, per fortitudinem amoris.

Dicitur tandem aliquis diligere Deum excedenter, *id eſt*, cum aliquo exceſſu mentis: quando tanto affectu æſtuat ad Deum, quod ſine ipſo quaſi viuere non poſſit, coarctatus deſiderio diſſoluendi, & eſſe cum Chriſto, habens vitam in faſtidio cum patientia, & mortem in deſiderio, etiam per dira tormenta.

Dicendum quintò, quod etiam charitas Dei habet ſuum *defectum & exceſſum*. Vitiũ charitatis eſt ſecundum defectum, quando quis diligit Deum, ſupra omnia quidem, ſed non ſicut ſufficit: vel nimirum ob defectum fidei, vel ob defectum iuſtitiæ, vel ob defectũ ſtabilitatis. Talis enim charitas ſeu dilectio, aut non niſi naturalis eſt, *Vtporè*, ſolis viribus naturæ elicita; aut ſupernaturalis, ſed non firma. Vitium charitatis ſecundum exceſſum,

non datur in ordine ad Deum: quia nunquam potest diligi Deus à creatura quantum debet: sed in ordine ad nos dari potest. Vt, si quis vellet infinitè Deum diligere, quoad intensionem amoris, cum hoc excedat mensuram nostræ conditionis.

INSTITVTIO V.

De charitate proximi.

DIcendum est primò, quod ex charitate quatuor nobis diligenda sunt. *Primum*, est supra nos, vt Deus. *Alterum*, quod est intra nos, vt sumus nosipsi secundum animam. *Tertium*, quod est iuxta nos, vt proximus secundum animam. *Quartum*, quod est infra nos, vt corpus proprium, & corpus proximi. Ratio huius dilectionis est: quia amicitia charitatis fundatur super communicatione beatitudinis: in qua beatitudine *Vnum* considera-tur vt eius principium; scilicet Deus: *secundum*, vt directè illam participans tanquam vnum nobiscum, & hoc est quilibet nostrum secundum animam: *tertium*, vt directè participans, tanquam nobis consociatum in beatitudine; & hoc est proximus: *quartum*, vt beatitudinem participans non directè, neq; per modum consociationis, sed per redundantiã; & hoc est corpus nostrum, & corpus proximi.

Ordo autem diligendi ex charitate ita obseruandus est, vt quisque *primò* omnium ac maximè diligat Deum, tanquam fundamentũ

& cau-

& causam omnis bonæ ac ordinatæ dilectionis. *Secundò*, seipsum secundum bona spiritualia. *Tertiò*, proximum secundum bona spiritualia. *Quartò*, seipsum secundum bona corporis. *Quinto*, proximum secundum bona corporis. *Sextò*, seipsum secundum externa bona. *Septimò*, proximum secundum externa bona.

Hinc nota duplicem esse charitatem, mediatam scilicet, ac immediatam. *Immediata charitas* est amor præcisè in ipsum Deum extensus, ac in ipso Deo terminatus, quo solus Deus in se, propter se, ac supra omnia diligitur; non autem in aliqua creatura. *Charitas mediata*, est amor, quo amatur Deus in proximo, seu mediante proximo. *Vel item*, dilectio, quæ tendit ad proximum, non tamen ibi sistit; sed vltra refertur in Deum, vt in finem propter se summè amabilem. *Vel quoque*, est dilectio charitatiua, quâ immediatè quidem proximus diligitur, sed relatiuè seu respectiuè, non autem terminatiuè, *id est*, non propter se præcisè, sed propter Deum. Vnde 1. *Ioan.* 4. Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est. *Item*. Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est: qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.

Dicen-

Dicendum ſecundò, quod cauſa diligendi proximum, eſt Deus: modus verò, eſt dilectio noſtri charitatiua: non enim diligit aliquis proximum ſicut ſufficit, niſi diligat eum propter Deum, & ſicut ſemetipſum, iuxta illud *Deut.* 5. & *Marc.* 12. Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. Dictum eſt, dilectio noſtri charitatiua: quia multiplex eſt dilectio noſtri, quæ alias proprius amor dicitur.

Prima eſt naturalis, quâ ſeipſum quilibet abſolutè diligit naturâ impellente: ſeu ſecundum quam vult ſibi bonum in confuſo, ante actum rationis. Hæc dilectio ſui, aut amor proprius, nec laudabilis, nec vituperabilis eſt: quia nec ſecundum rationem, nec contra rationem elicitur.

Secunda dilectio ſui dicitur vitioſa, ſecundum quam vult ſibi aliquis bonum inordinatè, ſeu modo indebito, *vtpotè*, contra iudicium rectæ rationis ac præſcriptum legis æternæ. Et hæc dilectio amoris proprij cauſat omne peccatum, & ineſt omni peccato: quare ſpiritualiter dici ſolet odium ſui, iuxta illud *Pſ.* 10. Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Et *Ioan.* 12. Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Vnde ſecundum *D. Aug.* ita proficit in hoc amore ſui omnis improbus, vſque ad contemptum Dei; ſicut proficit quilibet iuſtus in amore Dei, vſq; ad contemptum ſui. *Vel item*, amor

ſui

ſui inordinatus dicitur, ſecundum quem amat aliquis bonum ſibi conueniens propter ſeipſum: vel alias, ſecundum quem in amore proprij boni finem ſibi conſtituit. Hic amor eſt origo & cauſa omnium vitiorum: cuius minoratio, eſt charitatis profectus & incrementum. Vnde *S. Aug.* Diminutio cupiditatis, eſt augmentum charitatis; perfectio verò, nulla cupiditas.

Tertia dilectio ſui, eſt amor rationalis, ſecundum quem ordinatè vult aliquis bonum ſibi conueniens, vel quo diligit ſeipſum, ſecundum rationem boni proprij, merito ſibi congruentis; ita tamen, quod in hoc proprio bono non conſtituat finem. Hic amor eſt iam ordinatus, rectus, & bonus moraliter: quia elicitur ſecundum rectam rationem, & referibilis eſt ad charitatem: nondum tamen eſt gratuitus ac meritorius; cum non procedat ex gratia, ſeu ex impulſu charitatis, nec re ipſa referatur ad charitatem.

Quarta dilectio ſui, eſt dilectio charitatiua, ſeu amor gratuitus, ſecundum quem amat ſe aliquis charitate impellente, vt creaturam Dei, imagine ſcilicet eius ac ſimilitudine inſignitam, & ad æternam beatitudinem ordinatam; volens ſibi bonum intrinſecum ac ſpirituale, vt eſt bonum honorabile, vtile & delectabile: nec non, gratia Dei in præſenti, & gloria in futuro. Hoc amore amat ſeipſum homo propter Deum, in Deo, & ſecundum Deum:

Deum: ac ideo, non ſolum eſt bonus, rectus, debitus & ordinatus; verum etiam ſanctus, meritorius, gratioſus ac Deo placens, tanquã diuinum eius amorem promouens & inflammans. Et hæc dilectio noſtri charitatiua ſeu amor noſtri gratuitus, eſt modus ac regula dilectionis proximi, ſecundum legis diuinæ præceptum.

Hinc nota, duplex eſſe bonum homini conueniens, aliud extrinſecum, & aliud intrinſecum: vtrumque autem illorum dicitur bonũ honorabile, vtile, & delectabile. Sed extrinſecum bonum honorabile illud eſt, cui ſcilicet opponitur opprobrium: vtile verò, cui opponitur damnum in rebus: delectabile tandem, cui opponitur afflictio, dolor tribulatio. Intrinſecum autem bonum honorabile, ſeu ipſum honeſtum illud eſt, quod opponitur malo culpæ, vel cuicunque inordinationi: vtile intrinſecum illud eſt, quod opponitur malo pœnæ damni, vt eſt priuatio iuſtitiæ, corruptio rectitudinis, &c. delectabile intrinſecum illud eſt, quod opponitur malo pœnæ ſenſus interni ac ſpiritualis, vt eſt remorſus conſcientiæ.

Dicendum tertiò, quod proximus (*id eſt*, homo capax nobiſcum beatitudinis æternæ) qui diligendus eſt ex charitate, ſignificat fidelem & infidelem, iuſtum & iniuſtum, amicum & inimicum, De fideli quidem, iuſto, & amico illud eſt *Ioan.* 12. Mandatum nouum do

vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. De infideli, iniuſto, & inimico, *Matt.* 5. Diligite inimicos veſtros, & benefacite his, qui oderunt vos.

Diligimus autem amicos, iuſtos, ac fratres noſtros, ita ſcilicet, ſicut Chriſtus dilexit nos: *quando* exemplo eius, qui ſuis miniſtrauit diſcipulis, mutua nobis præſtamus obſequia: & *quando* alter alterius onera multiplicium defectuum, naturalium videlicet ac moraliū, corporalium ac ſpiritualium portamus; ſicut & Chriſtus quaslibet ſuorum diſcipulorum infirmitates tolerare dignatus eſt: *nec non, quando* quæuis aduerſa pro fratribus noſtris aut patimur, aut pati parati ſumus; ſicut & Chriſtus pro nobis paſſus eſt.

Diligere quoq; inimicos noſtros debemus, inquantum ſunt homines, non in quantum peccatores: nam in inimicis noſtris, aliud eſt natura, à Deo ſcilicet creata, & ad æternam beatitudinem ordinata; aliud culpa, æternæ damnationis obnoxia: vnde ſecundum naturam debemus eos diligere, ſecundum verò culpam debemus eos odiſſe: quia culpa ſecundum quam dicuntur peccatores, contrariatur Deo, & eſt impedimentum beatitudinis: & ſic odiſſe peccatorem vt peccatorem, eſt charitatis; nam ex amore proximi prouenit odium illius, quod ei malum eſt: ac idcirco odiſſe peccatorem vt peccatorem, eſt odiſſe peccatoris iniquitatem, iuxta illud *Pſal.* 118.

Iniquos

Iniquos odio habui: & legem tuam dilexi. Quod ipsum explicatur, cum eodem Psalmo dicitur. Iniquitatem odio habui, & abominatus sum: legem autem tuam dilexi.

Hinc nota duplicem esse inimicorum dilectionem, *affectus* nimirum & *effectus*: quarum vtraque, alia est *innocentia*, alia *beneficentia*. Affectu & effectu innocentiæ tenemur diligere inimicos: quia non debemus illis optare nec inferre malum vt malum, nisi aliquando vt bonum: *id est*, in quantum illud malum, aut ipsismet inimicis, aut communitati est bonum. Affectu & effectu beneficentiæ tenemur etiam diligere inimicos: quia debemus illis velle bona spiritualia, vt est gratia in præsenti & gloria in futuro: & impendere ad salutem necessaria, vt est orare pro illis, saltem in generali, ita scilicet, vt non excludamus eos ab orationibus communibus: nam orare pro inimicis in speciali, est virtutis non sufficientiæ, sed supererogationis. Sed bona temporalia, non semper illis tenemur velle ac impendere: quia non semper expedit eis habere illa, maximè verò, quando vel ipsismet inimicis, vel communitati occasionaliter nociua essent.

Vnde est, quod de lege præcepti tenemur inimicis remittere offensam, maximè veniam petentibus. *Nota* tamen in hoc negotio tria posse considerari, vtpotè maleuolentiam, signa maleuolentiæ, & damnum aut iniuriam

illatam. *Primum* est necessario remittendum adhuc ante petitionem veniæ; *hoc est*, odium maleuolentiæ nunquam est admittendum in cor nostrum, vel si subrepserit aliquando, statim est eijciendum, iuxta illud *Matth. 6.* Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis delicta vestra: si autem non dimiseritis. &c. *Secundum*, tunc est necessarium, quando ex huiusmodi omissione, facile colligeretur odium ac inimicitia. Vt si quis ex animo veniam petenti, nollet condonare, aut signa beneuolentiæ ostendere, quod est contra illud *Luc.* 17. Si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens, pœnitet me, dimitte ei. *Tertium* non est necessario remittendum: quia licet vnicuique ius suum legitimè persequi, & petere satisfactionem, vel restitutionem, saluâ charitate necessitatis. Cùm tamen aliquis petenti, hoc tertium remittit, ac signa beneuolentiæ non solum communia, sed etiã & specialia ostendit; facit secundum charitatem supererogationis: ac multo magis, si quærat reconciliationem, cui facta est iniuria, cùm opus sit extraordinarium ac diuinum, iuxta illud 2. *Cor.* 5. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum: & dedit nobis ministerium reconciliationis: quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.

Dicendum quartò, quod charitatis proximi

tres

tres sunt gradus. *Primus* est, quando diligimus proximum propter Deum, in Deo & secundum Deum: & hoc sine respectu proprij lucri, ac præsentis commodi. *Secundus*, quãdo diligimus proximum propter Deum, in Deo, & secundum Deum, cum damno scilicet rerum nostrarum. Vel quando ita proximi bona & mala sentimus, sicut nostra: ac ita de bonis eius gaudemus, sicut de nostris, iuxta illud *Rom.* 12. Gaudete cum gaudentibus; flete cum flentibus, idipsum inuicem sentientes. *Tertius* gradus est, quando proximum diligimus propter Deum, in Deo, & secundum Deum, cum periculo nimirum, aut detrimento vitæ nostræ corporalis, iuxta illud *Ioan.* 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam quis ponat pro amicis suis. Ac diligimus eum sic, non tam propter spem futuri præmij, quàm propter affectum fraternæ salutis, ac propter ipsius Christi imitationem, qui non solum pro suis amicis pati voluit, sed & pro ipsis inimicis & crucifixoribus passionem ac mortem suam, cum affectuosissima oratione Patri æterno offerre dignatus est. Huiusmodi dilectionem didicerunt à Christo Sancti, qui se morti pro fratribus exponebant, & pro inimicis suis deuotè orabant, ac suâ benignitate illorum sæuitiam lenire, & malum in bono vincere studebant, maiora bona à persequentibus quàm à subuenientibus expectantes sibi affutura.

Hinc nota, quod diligimus proximum propter Deum, quando benè afficimur erga illú, *tum* videlicet, quia mandauit Deus: *tum* quia ad imaginem & similitudinem Dei creatus est: *tum* quia à Deo diligitur. Diligimus verò proximum in Deo, quando volumus illi summum bonum per participationem, vt est gloria in futuro, & gratia in præsenti: ac ex vnione charitatis idem cum illo sentimus in bono, & idem in malo. Diligimus tandem proximum secundum Deum, quando iuxta modum, regulam, ac præscriptum legis diuinæ, cum illo ambulamus, conuersamur, & communicamus.

Dicendum quintò, quod charitas seu dilectio proximi habet suum *defectũ* & *excessum*. Dilectio secundum defectum multiplex est: quarum *prima* dicitur naturalis: quæ largè accepta, significat quamlibet dilectionem viribus naturæ elicitam: strictè verò sumpta, illa est, quæ habetur inter consanguineos, vt sunt parentes, filii, fratres, sorores, &c. imò etiam quæ habetur inter homines quasi eiusdem complexionis & vnius moris, iuxta illud *Eccl.* 14. Omne animal diligit simile sibi, sic & omnis homo proximum sibi. *Secunda* dicitur mundana, quâ alter alterum diligit ad commoda carnis, ad prospera mundi, & consequenter ad vitia. *Tertia* dicitur officialis, quâ diligit aliquis benefactorem suum, à quo beneficia habet: & amicum, à quo etiam diligitur,

gitur, fouetur, & adiuuatur, quod & ethnici faciunt. *Quarta* dicitur socialis, quâ noti, familiares, contubernales, & conterranei diliguntur præ ignotis, extraneis, & alienis. *Quinta* dilectio dicitur cupiditatis seu concupiscentiæ, quâ diligit alter alterum, vel propter suum commodum ac propriam vtilitatem: vel propter delectationem sensualem, quomodo filia Pharaonis dilexit puerũ Moysen, ob eius venustatem: vel propter delectationem libidinosam ac veneream. *Sexta* dicitur amicitiæ, quâ diligimus proximum ob illius virtutes, absq; debito respectu ad Deũ.

Dilectio proximi secundum excessum esset, si quis in gratiam proximi offenderet aliũ proximum, aut ipsum Deum: vel si quis Ecclesiæ, seu Reipublicæ, & communitati inimicis, bona vellet temporalia, extra spem illorum conuersionis.

INSTITVTIO VI.

De virtute Humilitatis.

DIcendum est primò, quod humilitas omnibus verè spiritualibus, primaria ac singularis est virtus. *Tum* quia filius Dei de cælo in terram descendens, illam principaliter ac specialiter verbo & exemplo docuit. Vnde *S. Aug. lib. de Vera Relig. ait*, Tota vita Christi in terris per hominem quem assumpsit, disciplina morum fuit: sed præcipuè humilitatem suam proposuit dicens. Discite à me,

quia mitis sum & humilis corde. Et *S. Bern. serm.* 1. *de Natiu. Domini.* Exinaniuit semetipsum, vt prius præstaret exemplo, quod erat docturus verbo: vt non apponat vltra magnificare se homo super terram.

Tum quia humilitas est fundamentum spiritualis ædificij, seu omnium virtutum ac ipsius sanctitatis; sed non eo modo quo fides: nam fides principale fundamentum est, tanquam origo ac initium sanctitatis: humilitas verò est fundamentum per modum remouentis & prohibentis; resistit enim superbiæ, quæ est initium omnis peccati, & caput seu radix quorumcunque vitiorum, quæ sunt impedimenta virtutum. Vnde *S. Aug.* Magnus esse vis? à minimo incipe: cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis. Et *S. Bern.* Virtutũ stabile fundamentum est humilitas, quæ si omittitur, virtutum congregatio non nisi ruina est. Et *Hugo.* In spirituali ædificio, fundamenti locus, in humilitate quæritur: latitudo, in charitate disponitur: altitudo parietũ, bonis operibus erigitur: tectum protectionis diuinæ, desuper ponitur: longitudo autem, patientiâ perficitur.

Tum quia humilitas est *radix & mater* omnium virtutum. Radix quidem, quia sicut nobilis arbor nisi profundè ac latè fixerit & extenderit suas radices, non poterit crescere, durare, & multum fructum facere: sic & homo

mo vitæ ſpirituali addictus, niſi altas in humilitate egerit radices, minimè in virtutibus perficiet & perſeuerabit, aut aliquem in eis fructum adferet: quo enim quis humilior, eo plus in omni virtute, perfectione, ac ſanctitate creſcit & firmatur, iuxta illud *ſancti cuiuſdam* effatum. Vis eſſe Sanctus? ſis humilis. Vis eſſe ſanctior? ſis humilior. Vis eſſe ſanctiſſimus? ſis humillimus.

Mater quoque eſt humilitas omnium virtutum. Vnde *D. Bonau. lib.* 4. *Theol. Verit. cap.* 8. *ait.* Quatuor dicuntur eſſe matres virtutum, ſcilicet, fides origine, quia ex motibus fidei, ſurgunt motus aliarum virtutum: charitas educatione: prudentia regimine: humilitas conſeruatione. *hæc ille.* In tantum enim decor virtutum conſeruatur, in quantum & humilitas mater earum vireſcit, ſed marceſcente humilitate, cæteræ deficiunt virtutes: non enim decora eſt obedientia, paupertas, caſtitas, patientia, & quæuis alia virtus ſine humilitate, vt eſt *Eccl.* 25. Tres ſpecies odiuit anima mea: pauperem ſuperbum, &c. Et vt eſt apud *D. Bern.* Sine humilitate audeo dicere, quod nec virginitas Mariæ Deo placuiſſet. *Item.* Humilitas meretur, vt homo virtutes occupet: quia humilibus Deus dat gratiam; ſeruat acceptas: quia non requieſcit ſpiritus, niſi ſuper quietum & humilem; ſeruatas conſummat: nam virtus in infirmitate (*hoc eſt,* in humilitate) perficitur.

Tum quia humilitas est *magistra* & *custos* virtutum. Magistra quidem, quia ipsius proprium est habere cognitionem sui, ex qua facile venitur in intellectionem ac notitiam Dei & diuinorum: & quia sectatores virtutu docet amare ipsam honestatem intrinseçam (iuxta illud *Ps.* 44. Omnis gloria eius, filiæ regis, ab intus) contra superbiam, quæ vitijs deditos, solam non nisi extrinsecam quærere suadet, iuxta illud *Matth.* 13. Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.

Custos autem est virtutum humilitas; quia nisi ab illa in principio, medio & fine fuerint custoditæ, mox à flante spiritu superbiæ in aërem disperguntur, & ab inani subrepente complacentia vanaq; insidiante gloria vitiantur, ac deprauantur: alia enim vitia (vtpotè ira, inuidia, luxuria, &c.) in malè factis sunt, & statim de nomine cognoscuntur, vt illa caueamus; superbia vero etiam in benè factis reperiri solet, vt ea destruat. Vnde *S. August. Ep ist. 56. ad Dioscor.* Nisi humilitas omnia, quæcunque facimus, & præcesserit, & comitetur, & sequuta fuerit, iam nobis de aliquo benèfacto gaudentibus, totum extorquet de manu superbia. *Idem.* Vitia quippe cætera in peccatis, superbia verò etiam in rectè factis timenda est; ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur. Et *S. Bern.* Qui sine humilitate virtutes congregit, quasi in ventum puluerem portat.

Dicen-

Dicendum secundò, quod humilitas alia est *exterior*, alia *interior*. Humilitas exterior, est vsitata religiosis humiliatio, in *Verbis* scilicet, *signis* & *operibus* apparens, ordinata ad acquirendam & conseruandam interiorem humilitatem. Humiliatio in verbis est, quando iuxta religionis consuetudinem defectus nostros, siue priuatim, siue publicè accusamus & recognoscimus, vt iuxta condignum pro eis puniamur, confundamur, & vilipendamur. De hac humilitate illud est *Luc.* 17. Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus. Et illud *Prou.* 18. Iustus prior est accusator sui. Humilitas seu humiliatio in signo est, quando quis demisso vultu incedit, libenter habitu vili ac repetiato vtitur, ac omnes suos mores sic componit, vt inde vilis habeatur. De hac humiliatione illud seruire potest 2. *Reg.* 6. Ludam & vilior fiam plusquam factus sum: & ero humilis in oculis meis. Humiliatio in operibus est, quando quis humi sedens comedit, scopis domum purgat, latrinas emundat, pedes fratrū lauat ac osculatur, & quodcunque officium vile libenter exercet, aut humile obsequium alijs præstat, ad Christi videlicet humilis imitationem. De huiusmodi humilitate illud est *Ioan.* 13. Si ergo ego laui pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius pedes lauare. Vnde *S. Aug.* Didicimus fratres humilitatem ab excelso, faciamus inui-

cem humiles, quod humiliter fecit excelsus: Cùm enim ad fratris pedes inclinatur corpus, tunc in corde ipso vel excitatur, vel si iam inerat, confirmatur ipsius humilitatis affectus. De qualibet istarum humiliatione sic *D. Ber. Epist.* 87. Humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si igitur virtutem humilitatis appetis, viam non refugias humiliationis: nam si non potes humiliari, non poteris ad humilitatem prouehi.

Humilitas interior accipitur dupliciter, *largè* nimirum & *strictè*. Largè sumpta, est virtus generalis, quæ mentem facit in vniuersali benè subiectam, quantum scilicet ad omnia ordinata ad finem vltimum obtinendum. Strictè sumpta, est virtus specialis, quâ reprimuntur motus spei in excelsa tendentes. Huiusmodi autem humilitas secundum *D. Bon.* Est voluntaria mentis inclinatio ac demissio, ex intuitu propriæ conditionis proueniens. Et secundum *D. Aug.* Est sensus propriæ paruitatis. Et secundum *D. Bern.* Est virtus, quâ homo ex vera sui cognitione, ipse sibi vilescit.

Hæc deinde humilitas specialis, alia est *necessitatis*, alia *supererogationis*. Necessitatis est, quâ debemus nos omnibus hominibus subijcere, quantum scilicet ad id, quod est Dei in eis: sed non requiritur, vt id quod est Dei in nobis, subijciamus alicui, quod apparet Dei esse in eo: sicut nec tenemur, vt id

quod

quod eſt noſtrum in nobis ſubijciamus alteri, quod eſt ipſius in ipſo: quia non oportet vt aliquis exiſtimet ſe magis peccatorem quolibet alio, cùm ſufficiat æſtimare ſe eſſe ſimpliciter peccatorem, vilem, inutilem, miſerum, &, inſipientem, ſeu plurima ſalutaria ignorantem. Huiuſmodi humilitas neceſſitatis dicitur, quia neceſſaria eſt ad ſaluté cuilibet homini de lege præcepti. Supererogationis humilitas quæ eſt de lege conſilij ac propria aſcetarum, ſuadet ſibi addicto vt reputet ſe eſſe ſummum peccatorem, nec non hominem viliſſimum, inutiliſſimum, miſerrimum, & ſtultiſſimum. *Hinc nota,* quod humilitas inquantum inclinat ac demittit Deo mentem, dicitur humilitas reſpectu Dei ſeu ad Deum: in quantum verò inclinat ac demittit proximo, dicitur humilitas reſpectu proximi, ſeu ad proximum: inquantum denique mentem inclinat ac demittit in ſeipſa, dicitur humilitas reſpectu noſtri.

Dicendum tertiò, quod humilitas reſpectu Dei vel ad Deum, tres habet gradus. *Primus* eſt, quando quis cum profunda ſui cordis ſubmiſſione, Deum recognoſcit ac recipit in ſuũ Deum ac Dominum, ſicut fecit S. Thomas cùm diceret *Ioan.*20. Dominus meus & Deus meus. Et pro eo, quod illum aliquando ſuis peccatis offenderit, verè conteritur, dicens illud *Pſ.* 50. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me

est semper. Ac deinceps mandatis illius se plenè subijcit, optimis nimirum ac efficacibus propositis, dicens illud *Ps.* 118. Et custodiam legem tuam semper, in sæculum, & in sæculum sæculi.

Secundus gradus est, quando quis flagella Dei, quibus pro suis peccatis affligitur, sine aliqua remurmuratione submissâ mente tolerat, dignum se tali diuinâ castigatione reputans, ac pro illa simul gratias agens, iuxta illud *Mich.* 7. Iram Domini portabo, quoniam ipsi peccaui. Et *Tob.* 11. Gratias tibi ago Domine, quia castigâsti me, & sanâsti me.

Tertius gradus est, quando quis cuncta bona sua, tam corporalia quàm spiritualia, plenè recognoscit se accepisse à Deo, ex sola illius bonitate absque suo merito; ac propterea in Deum à quo illa recepit totaliter refert, non suam inde sed ipsius suorum bonorum auctoris quærendo gloriam. Talis fuit humilitas S. Pauli dicentis 1. *Cor.* 15 Gratia Dei sum, id quod sum. Et *S. Dauid Ps.* 113. Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriã.

Dicendum quartò, quod humilitas respectu proximi tres habet gradus. *Primus* est, quando quis subdit se maiori, & non præfert se æquali. Et hæc humilitas est necessaria ac debita. *Secundus* est, quando quis subdit se æquali, & non præfert se minori. Et hæc dicitur abundans. *Tertius* gradus est, quando quis subdit se minori & nemini se præferre

vult.

vult. Hæc dicitur superabundans, de qua est illud *Eccl.* 32. Rectorem te posuerunt, esto inter illos, quasi vnus ex eis. Et *Luc.* 22. Ego autem in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat. Et 1. *Thess.* 2. Facti sumus paruuli in medio vestrûm.

Nota quod præsentem humilitatem quadruplex reuerentia proximo exhibenda constituit, *cordis videlicet, signi, oris, & operis.* Honoramus autem proximos in corde, quandò benè de illis sentimus, ac meliores & digniores ipsos nobis reputamus, iuxta illud *Phil.* 2. Humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes. Et *Rom.* 10. Honore inuicem præuenientes. *Item*, quando illos propter aliquos defectus minimè despicimus, quia Domino suo stant & cadunt qui fecit eos; sed magis persuademus nobis, aliqua bona in eis esse, quæ non sunt in nobis; & aliqua mala esse in nobis, quæ in eis non sunt. *Item*, quando mala quæ nobis inferunt, æquo animo toleramus, ac eorum miserijs tanquam nostris proprijs veraciter condolemus.

In signo etiam proximos nostros honoramus, quando nos illis inclinamus, primum locum eis præbemus, &c. In ore quoque, quando eorum benè facta coram alijs laudamus, commendamus & promouemus; malè facta verò palliamus, & quantum licet defendimus & excusamus; dubia quoque benè interpretamur, ac in meliorem partem trahimus.

mus. Honoramus tandem proximos ipso opere, quando eis obtemperamus, obsequia nostra impendimus, bona præstamus, &c.

Dicendum quartò, quod humilitas respectu nostri, tres habet gradus. *Primus* est, quando quis ex consideratione conditionis propriæ in sui deueniens cognitionem, seipsum interius vilipendit & contemnit, non solum tanquam peccatorem, miserum, vilem, inutilem & stultum, vti reuera est: verum etiam tanquam pessimum, miserrimum, vilissimum, inutilissimum & stultissimum hominem: cumque ab alijs sic etiam contemnitur, & vt contemptibilis tractatur, inde non dolet, sed hoc ipsum patienter sustinet. Et hoc est, quod dicitur *Luc.* 14. Recumbe in nouissimo loco. *id est*, reputa te esse infimum. Et *Matth.* 18. Nisi conuersi fueritis & efficiamini (*in sensu & æstimatione vestra*) sicut paruuli (*id est, sicut infimi*) non intrabitis in regnum cælorum. *Secundus* gradus est, cùm homo seipsum cognoscens, non solum se spernit vt maximum peccatorem, miserrimum, vilissimũ, inutilissimum & stultissimum, ac ab alijs sperni se, & vt contemptibilem tractari patitur: verum etiam hoc ipsum amat, desiderat, & cum gaudio suscipit, iuxta illud *D. Greg. l.* 1. *Dial. cap.* 5. Sicut superbi honoribus, ita plerumque humiles sui despectione gaudent: quia iudicium quod de se intus habent, ab alijs sentiunt approbari.

Tertius

Tertius gradus eſt, cùm homo, quo plus ornatur virtutibus, quo melius diuinis impinguatur donis gratuitis, & quo magis honoratur, laudatur, extollitur, & ſuperexaltatur à hominibus; eo amplius ſeipſum deſpicit ac vilipendit, ſemper ſe humilians in ſenſu ſuò, in affectu, in verbo, in ſigno, & in actione, tam coram Deo, quàm coram hominibus, iuxta illud *Pſ.* 130. Domine, non eſt exaltatum cor meum, &c. Vnde *D. Bon. lib. 2. de prof. relig. cap.* 33. Si enim humiliatur & deſpicit ſe, qui non habet vnde glorietur, ſed multa habet vnde confundatur: licet bona ſit iſta humilitas, tamen non miranda. Vt ſi filius ruſtici non vult filius regis putari, laudanda eſt in illo ſimplex puritas, ſed non prædicanda nec ex hoc miranda humilitas. *Item.* Si pauper ſe pauperem reputat, & ab alijs vult pauper agnoſci, veritati conſentit in iſtis; ſed non eſt admirationi talis humilitas. Si verò diues ſe pauperibus conformat, & altus nihil altum ſapit, & glorioſus nihil de gloria ſibi attribuit, ſed totum refundit ei, à quo habet vnde glorioſus videtur; hic eſt humilis non cogente neceſſitate, ſed veritatis charitate.

Dicendum ſextò, quod facilè eſt cuilibet homini cognoſcere ſeipſum eſſe maximum peccatorem, *ſi nimirum* peccatorum ſuorum actorum, ſecundum propriæ conſcientiæ teſtimonium, conſiderauerit multitudinem; profectò enim inueniet plura eorum ſe alijs,

tum

tum publicè & scandalosè egisse; tum occultè, sed Deo & sibiipsi apertè commisisse; tum sibimet ignotè & soli Deo cognitè perpetrasse, à quibus sibi aliquando timuit Regius Propheta, cùm diceret *Ps.* 18. Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo. *Si quoque* grauitatem suorum peccatorum inspexerit, & cum aliorum peccatis ponderauerit & comparauerit, certè plures illi occurrent rationes sua peccata aggrauantes quàm minuentes; & aliorum excusantes quàm accusantes: sicut enim qui graui laborat dentium aut oculorum dolore, dicit omnium aliorum, suum esse dolorem maximum; quia scilicet proprium sentit per experientiam, aliorum verò dolores tantum nouit per considerationem: pari ratione, cuiusuis peccatum veraciter pœnitentis, ipsi in suo sensu maximum etiam esse videtur ac reuera est. *Si denique* obseruauerit sui cordis pronitates, propensiones, ac procliuitates ad malum, sic etiam maximum se peccatorem quisque inueniet: quia, extra gratiam Dei, videbit se faciliter posse omnium hominum peccata, qui sunt ac aliquando fuerunt & erunt, & si non opere perpetrare, certè tamen ipsâ voluntate approbare. Vnde D. Paulus 1 *Tim.* 1. dicit se esse peccatorem primum. *id est*, summum, maximum, ac pessimum: quia persecutus est Ecclesiam Dei. Similiter *S. P. N. Franciscus* dicere solebat se pecca-

peccatorem maximum & grauissimum esse: quia iudicabat se non sic cooperari gratiæ Dei sicuti expedire sibi videbatur.

Vilissimum se quoque quisque conspiciet, si *primò* recogitauerit, quod post veram conuersionem ad Deum, toties in aliqua peccata reciderit. Vnde est *Ier.* 2. Quam vilis facta es nimis (*ô anima*) iterans vias tuas. Si *secundò* proprios defectus tam naturales quàm morales ac spirituales inspexerit, profectò inueniet se vel ignobilem, vel pauperem, vel illiteratum, vel indeuotum ac tepidum, vel passionatum ac immortificatum, vel fictum religiosum de virtutibus apparentibus vanè gloriantem & humanas laudes appetentem, vel alios despicientem & temerè iudicantem, &c. ac inde vilem & in suo sensu vilissimum: nam dicit *S Greg.* Tanto quis est vilior Deo, quanto pretiosior sibi: tanto pretiosior Deo, quanto propter Deũ est vilior sibi. Et *S. Bern.* Appetere de humilitate laudem, humilitatis non est virtus, sed subuersio: verus humilis vult vilis reputari, non humilis prædicari: gaudet contemptu sui, hoc solo planè superbus (*alias magnanimus*) quod laudes contemnat. Si tandem *tertiò* considerauerit aliorum nobilitatem, scientiam, deuotionem, profectum in virtutibus continuum, & alia huiusmodi quibus se superant, facilè se alijs viliorem reperiet. Vnde *S. Anselm.* Alterius virtutem non vitium, suumque vitium non

virtu-

virtutem considerare debet, quisquis ad culmen humilitatis attingere studet.

Inutilissimum se quoque esse quilibet conspiciet, si considerauerit illa verba veritatis æternæ ad Apostolos prolata *Luc.* 17. Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus. Nam si verè Apostoli sancti inutiles sunt, certè quiuis alius inutilissimus est. *Item Ioan.* 15. Ego sum vitis vos palmites, qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Qui igitur ex se nihil potest facere, profectò inutilis est, ac in suo sensu & æstimatione inutilissimus.

Miserrimum se denique quilibet facilè cognoscet, ex eo videlicet quod nesciat vtrumnam sibi peccata præterita dimissa sint vel non sint, iuxta illud *Eccl.* 9. Nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit; sed omnia in futuro reseruantur incerta. Si enim non sunt sibi dimissa, certè miserabilior est cane ac bufone: quia in istis solùm est miseria temporalis pœnæ; in peccatore verò, simul & culpæ & pœnæ æternæ. Si etiam moralem seu probabilem habet certitudinem quod sit in gratia Dei, tamen adhuc miserrimus est: quia ex se impossibile sibi est, in eadem gratia stare ac perseuerare.

Stultissimum tandem se esse quisque facilè cognoscere potest, quamuis sit summus Theologus, ex ipsa consideratione suæ scientiæ; an vide-

videlicet eadem ſcientia proſit ſibi, vel non proſit ad ſalutem: quod ſi non proſit, iam eſt ſtultiſſimus illis omnibus, quibus ſua ſcientia ac ſapientia prodeſt: ſi verò proſit, adhuc quantum eſt ex ſe, talis eſt: quia id quod à Deo habet, in Deum referendo ſicuti debet, in ſenſu ſuo ſtultiſſimum illum remanere neceſſè eſt. Hoc pacto Salomon ſapientiſſimus ſtultiſſimum ſe eſſe confitetur dicens *Prou.*30. Stultiſſimus virorum ego ſum. *id eſt*, inſipientiſſimus mihi eſſe videor, dum me ac mea quæ ex me ipſo habeo ſecluſa Dei illuminatione ſpecto; dum propriam ignorantiam cum aliorum ignorantia, quam ita ſicuti meam perſpectam non habeo, comparo. Vnde 1. *Cor.* 10. Nemo ſeipſum ſeducat, ſi quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo (*id eſt*, ſi quis vult eſſe inter vos ſapiens, maximè ſapientiâ practicâ, quæ conſiſtit in vera ſuiipſius ac ſuæ miſeriæ & inſipientiæ cognitione; atque in humili de ſeipſo ſenſu ac æſtimatione, cum notitia Dei ac diuinorum experimentali) ſtultus fiat (*vtpotè*, in proprio ſenſu) vt ſit ſapiens.

Dicendum ſeptimò, quod humilitas & magnanimitas non ſunt oppoſita, quamuis in contraria tendere videantur: quia ſecundum rectam rationem procedunt. Inuenitur enim in homine aliquis defectus, qui competit ei ex infirmitate naturæ; & aliquid magnum, quod ex dono Dei poſſidet. Humilitas ergo facit,

facit, quod homo seipsum paruipendat secundum considerationem proprij defectus. Magnanimitas autem facit, quod homo se magnis dignificet honoribus, secundum considerationem donorum, quæ ex Deo possidet. *Item*, humilitas alios honorat & superiores æstimat, inquantum in eis aliquid de donis Dei inspicit. Magnanimitas verò contemnit alios, secundum quod deficiunt à donis Dei: non enim tantum appretiat alios, quod pro eis aliquid indecens faciat. Vnde de viro iusto dicitur *Psal.* 14. Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus (quod pertinet ad contemptum magnanimi.) Timentes autem Dominum (quod pertinet ad honorationem humilis) glorificat.

Item, humilitas contemnit & fugit honorem, nihil faciens indignum honore, ac tenet se in infimis secundum suum modū, propter maiorem securitatem. Magnanimitas tendit in excelsa secundum rectam rationem, propter maiorem honestatem ac decorem. *Item*, humilitas magnis honoribus non extollitur, sed illos in Deum à quo sibi veniunt, fidelissimè refert. Magnanimitas nullis dehonorationibus frangitur, sed eas contemnit, tanquā indignè sibi illatas. *Item*, humilitas refrenat animum, ne se immoderatè cum sui videlicet discrutiatu vilificet; & reprimit appetitum ne tendat in excelsa præter rectam rationem. Magnanimitas firmat animum contra desperatio-

ratio-

rationem, & impellit ipsum ad prosecutioné magnorum, secundum rectæ rationis modum.

Item, humilitas vt vilis videatur, vilibus insistit operibus (vtpotè, lauat vtensilia, purgat scopis domum, &c.) & hoc propter Christi imitationem, & spiritualem suam vtilitatem. Magnanimitas secundum sui status decentiã, operatur gloriosa (*vtpotè*, ad heroica opera virtutum sese extendit, fidei veritatem defendit ac dissеminat, &c.) ad solam scilicet Dei promouendam maiorem gloriam, & proximorum profectum multiplicandum respiciens. Vnde *S. Greg.* Nonnunquam etiam sancti viri de bona sua opinione gaudent, sed cum per hanc ad meliora proficere audientes pensant; nec iam de opinione sua, sed de proximorum gaudent vtilitate: quia aliud est fauores quærere, & aliud de profectibus exultare. *Idem deinde.* Cùm audientium vtilitati non proficit, mentem nostram fama laudabilis non eleuet, sed fatiget.

Item, humilitas bona quæ agit, occultat; ne illa superbia ac vana gloria deprædetur: & proprios defectus propalat, vt propter sui augmentum & in gratia Christi profectum spernatur. Magnanimitas defectus occultat, ne inde alicui scandalum nascatur; & magna ac excelsa propalat, vt inde Deus glorificetur. *Item*, humilitas bonum diligenter operatur, cum timore ac diffidentia de viribus proprijs. Magnanimitas arduum ac difficile libenter agg-

gredi-

greditur, cum spe & confidentia in Dei auxilio. Et sic, qui non ex confidentia suarum virium, sed auxilij diuini tendit ad sublimia, non facit contra humilitatem: quia aliud est leuare se secundum Deum, aliud secundum seipsum. Iam igitur patet, quod humilitas & magnanimitas non sunt opposita, sed connexa, ac inuicem sibi seruientia.

Verum non blandiantur sibi aliquando incipientes de magnanimitate, prius enim ac maximè insistere debent humilitati: *tum* quia humilitas est virtutum radix, mater, fundamentum & custos, sicut iam vidimus: *tum* quia magnanimitas propriè ad solos viros magnorum meritorum ac perfectarum virtutum spectat, quibus magnus debetur honor, tanquam veris patribus spiritualibus, quamuis alias ab eis non sit expetendus, ait enim *D. Thomas*. Qui capitur honoris desiderio, qui non vult paruipendi, & dolet se despici, quanquam mira faciat, tamen procul abest à perfectione: inest enim ei virtus sine fundamento. Et *D. Bon. lib. 2. de prof. relig. cap.* 33. Non est mirum, si inopes sumus virtutum, cùm matrem & custodem virtutum, scilicet humilitatem, tam alienam à nobis sentiamus. Et *inferius*. Altiora ædificia profundiori fundamento indigent, & arbor excelsa si radicata non fuerit, facilius ventorum impulsu euertitur: qui ergo cito desiderat virtutis culmen attingere, studeat se in humilitatis fundo soli-

dare;

dare: quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et *Aluarez de Paz.* Si quid habueris cui laus & honor debeatur, illud si potueris prudenter abscondes. Periculosum est talentum ad laborandum abscondere & in sudario ligare: & valde tutum est causas accipiendi honoris & laudis occultare, & quemque se ab occasionibus elationis subtrahere. *Idem.* Occulta bona tua, ne ea fures siue fauores humani deprædentur: si Deo placitum fuerit, ipse te manifestabit, ipse te è latebris extrahet & super candelabrũ ponet: si autem ipse non dixerit ascende superius, caue ne ascendas, ne honores & laudationes inquiras: quia eas fortasse diabolus tibi suppeditabit, vt pereas.

Dicendum octauò, quod aliquando inuenire est humilitatem vitiosam, tum scilicet secundum *defectum*, tum secundum *excessum*, summopere Christi sectatoribus fugiendam: de *prima* illud est *Eccl.* 19. Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo. De *secunda* verò illud est quod sequitur. Et est iustus, qui se nimium submittit à multa humilitate. Humilitas secundum defectum quadruplex est. *Prima* dicitur violenta ac pœnalis, quæ venit à solo principio extrinseco. Vt cum quis ab alio deijcitur. De hac humilitate illud est *Ps.* 104. Humiliauerunt in compedibus pedes eius. Et 2. *Machab.* 9. Humiliatus ad terram in gestatorio portabatur,

tur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans. Verum illa humilitas quæ est tum à principio extrinseco, tum à principio intrinseco, *id est*, tam ab aliena voluntate cogente, quàm à propria consentiente, iam est aliquid virtutis, & non solum pœna. Et talem puta esse humilitatem iuuenum religiosorum nouiter conuersorum, qui varijs mortificationibus & vilificationibus à suis magistris spiritualibus humiliati, discunt sibi ex necessitate virtutem facere. De hac humilitate illud est *Ps.* 118. Bonum mihi quia humiliâsti me, vt discam iustificationes tuas.

Secunda humilitas secundum defectum, dicitur ficta, quæ in aperto tenet se in infimis, sed in occulto tendit ad excellentiam vanæ gloriæ. Et huiusmodi simulata ac falsa & superba humilitas, vel quoq; humilis superbia, propria est hypocritarum. Vnde *S. Hier. ad Calan.* Humilitatem sequere, non quæ ostenditur aut simulatur gestu corporis, aut fractâ voce verborum; sed quæ puro cordis affectu exprimitur: aliud enim est virtutem habere, aliud virtutis similitudinem. *Idem ad Demetr.* Fictam humilitatem fugiens, illam sectare quam Christus docuit, in qua non sit superbia inclusa: multi enim huius virtutis vmbram, pauci veritatem sequuntur: perfacile est aliquem vestem habere contemptam, salutare submissius, manus & genua exosculari, inclinato in terram capite oculisq; in terram deiectis,

iectis, humilitatem ac mansuetudinem polliceri; lentâ voce tenuique sermones infringere; suspirare crebrius, & ad omne verbum peccatorem & miserum se clamare: sed si vel leui sermone offensus fuerit, continuò videbis eum attollere supercilium, leuare ceruicem, & delicatum illum oris sonum, insano clamore repentè mutari.

Tertia humilitas defectuosa, dicitur bestialis: quæ est, cùm homo suum honorem ac dignitatem non intelligens, comparat se iumentis insipientibus suorum desideriorum motibus, & similis efficitur eis per imitationem. *Quarta* humilitas defectuosa, dicitur incompleta & indiscreta: qualis est exterior, nullā habens cum interiore connexionem. Vel qualis est illa interior, quæ nascitur ex timore seruili, possidentem se liberans à pœna, sed nullum sibi adferens meritum. Vt fuit Regis Achab, de quo est 3. *Reg.* 21. Nonne vidisti Achab humiliatum coram me. Et illius principis supra quinquaginta milites, de quo est 4. *Reg.* 1. Qui cùm venisset, curuauit genua contra Heliam, & precatus est eum.

Humilitas vitiosa secundum excessum tunc est, quando propter humilitatem conseruandam, dissimulat aliquis alterius peccata, quæ alias facilè modo debito corrigere posset: quo ipso & peccantem lucraretur, & alijs occasionem scandali amoueret. Vnde *S. Greg.* Admonendi sunt subditi ne plusquam expedit,

sint subiecti: ne cùm student plusquàm necesse est hominibus subijci, compellantur vitia eorum venerari. *Vel deinde*, quando quis ex nimia humilitate, Domini sui talentum (de quo est *Matth.* 25.) abscondit in terra; doctrinam scilicet veritatis ac iustitiæ cum detrimento simplicium occultando. Et hoc est quod dicitur *Eccl.* 13. Noli esse humilis in sapientia tua. Vnde *S. Aug.* Qui se dicit scire quod nescit, temerarius est: qui se negat scire quod scit, ingratus est.

INSTITVTIO VII.

De virtute Patientiæ.

DIcendum est primò, quod virtuti patientiæ insistendum ac studendum est propter multa. *Primò*, quia per patientiam tolerabiliora redduntur præsentis vitæ incommoda: nam aduersitas, quando cum impatientia est; & extrinsecus affligit hominem, & intrinsecus amarum facit, & ipsam eius conscientiam vulnerat. *Secundò*, quia per patientiam homo securus redditur de gratia Dei. Patientia enim, sicut & humilitas germana sua soror, ex charitate nascitur, in quam & desinit vt eam adornet, iuxta illud 1. *Corinth.* 13. Charitas patiens est: non est ambitiosa. *id est*, non est superba sed humilis. Igitur cum patientia causetur à charitate, non est sine gratia. *Tertiò*, quia per patientiam sapientia viri promouetur, probatur & innotescit. Sicut enim

humi-

humilitas est causa, origo & fundamentum veræ sapientiæ, iuxta illud *Psal.* 110. Initium sapientiæ, timor Domini. Et ratio est, quia veram sapientiam ipsa sui ac diuinorum experimentalis notitia constituit. Ad cognitionem autem Dei ac diuinorum non venitur nisi ex cognitione sui, quam habet humilitas, iuxta illud *D. Bern.* Gradus ad notitiam Dei, est cognito sui: & ex imagine quæ in te renouabitur, ipse videbitur. Ita etiam patientia, eiusdem sapientiæ certissimum est indicium: nemo enim sapiens est (vt vulgo dicitur) nisi patiens. Vnde *Prou.* 14. Qui patiens est, multa gubernatur sapientia: qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam. *Item,* 19. Doctrina viri, per patientiam noscitur.

Quartò, quia sicut humilitas cooperante sibi patientia ordinat nos ad cognoscendam summam veritatem, *id est,* summam sapientiam, tam scilicet in præsenti quàm in futuro: ita patientia cooperante sibi humilitate, ordinat nos ad fruitionem summæ pacis: nihil enim pati molestiæ, est pacem seu requiem habere: quod fit duobus modis, aut scilicet nullam sentiendo molestiam, vt erit in patria; aut molestias molestè non ferendo, quod est virtutis patientiæ in præsenti vita. Sic enim patientia & humilitas sociæ & comites sibi sunt inseparabiles, vt vbi vna illarum sit, altera abesse non possit: & vbi vna operetur, altera minimè otietur: & vbi vna mentem ordinet

ac dirigat ad inquirendam summam sapientiam & summam pacem, altera cooperari non desistat. Vnde est, quod Christus Dominus has exercens ac docens virtutes, simul eas coniunxerit, vt patet *Matt.* 11. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Et hoc est, quod sicut verus humilis cum superbo manet in pace: quia iuxta suum propositum habet cui se humiliet, & à quo contemnatur. Ita verus patiens seruat pacem cum iracundo: quia inuenit quem iuxta suam electionem sustineat, & à quo exerceatur.

Quintò, quia patientia hominis iusti, plus cæteris virtutibus proximos ædificat; nam rarior est alijs virtutibus. Plures enim sunt casti, abstinentes, paupertatem zelantes, semetipsos humiliantes, orationibus instantes, fide constantes, multa bona opera facientes; pauciores autem in contumelijs & despectionibus humiliter patientes. Passim nos defendimus & excusamus, ne fortè alij de nobis scandalizentur, putantes nos esse criminosos si taceamus: cùm magis ex hoc iudicemur, quod per impatientiam nos vindicamus, & mordentes nos remordemus. Vnde *S. Greg. hom.* 18. *in Euang.* Imitanti Deum gloriosiùs est iniuriam tacendo sustinere, quàm respondendo superare. Et *S. Bern.* Times ne credatur detractori de te, & inde alij scandalizentur: sustine & tace, patientia tua tollet suspi-

cionem

cionem vel mitigabit præsumptionem in cordibus aliorum: & sic patiaris sicut morsus pulicum.

Sextò, quia patientia magnam nobis meretur gloriam in cælo, iuxta illud *Luc. 6.* Beati eritis cùm vos oderint homines, & cum separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum, propter filium hominis: gaudete in illa die & exultate; ecce enim merces vestra multa est in cælo. Hinc *S. Greg.* Maioris est meriti aduersa patienter tolerare, quàm bonis ac pijs operibus insudare. Et *D. Bonau.* Maioris est meriti mala æquanimiter pati ab alio sibi illata, quàm à semetipso sibi inflicta. Vt sunt ieiunia, disciplinæ, cilicia, &c.

Septimò, quia per patientiam Christo veraciter compatimur, & hoc illi quod ipse pro nobis sustinuit rependimus, cùm scilicet inter nos eius diuidimus quas passus est iniurias: pro quo ipse etiam daturus est nobis suæ gloriæ cælestis æternas voluptates ac delicias. Si enim Christo in præsenti compatimur, certissime (teste Apostolo) in futuro illi conregnabimus. Et si nunc socij eius sumus in passionibus, profectò etiam erimus & in æternis consolationibus: & eo propius ibi Christo assistemus, quo hic maiora propter illum aduersa æquo animo toleramus.

Dicendum secundò, quod patientia sumitur dupliciter, *largè* nimirum & *strictè*. Pati-

entia largè sumpta, est virtus generalis quâ superatur omne arduum ac difficile, & omnis tentatio suffertur. *Vel item* patientia largè sumpta significat omnem aliam virtutem, quâ aliqua mala propter Deum tolerantur. Vt est fortitudo, constantia, magnanimitas, longanimitas, mititas, & mansuetudo. Patientia strictè sumpta, est virtus specialis, passiones extrinsecus illatas æquo animo ferens; ita, quod animus nec ex tristitia succumbat, nec ex perturbatione vindictam appetat. Hinc est, quod sicut patientia strictè ac propriè sumpta, est virtus tristitiæ moderatiua: vnde & patiens dicitur, qui de malis sibi illatis immoderatè non tristatur. *Ita* fortitudo est virtus timoris & audaciæ moderatiua: vnde & fortis dicitur, qui ardua ac difficilia aggreditur, & nulla aduersa formidat. *Et* constantia, est virtus trepidationem animi inter causas fluctuantes moderans & superans: vnde constans dicitur, quem labores, difficultates, & terrores non faciunt pusillanimem ac mutabilem. *Et* magnanimitas est virtus quæ nullis frangitur aduersis: vnde magnanimus dicitur, qui contemnit aduersa tanquam sibi indignè illata. *Et* longanimitas, est virtus spei cum longa expectatione bonorũ: vnde longanimis dicitur, quem longa expectatio à spe desiderij non frangit, & ad impatientiam non prouocat. *Et* mititas est virtus moderatiua iræ, in quauis tribulatione animum reddens tran-

quillum;

quillum: vnde mitis dicitur, qui nulla animi accensione turbatur, sed in tranquillitate animi & bonitate iugiter perseuerat. *Et* mansuetudo est virtus, cui facilè est quoduis sustinere aduersum, & non malum pro malo reddere: vnde mansuetus dicitur, qui nullam sentit cordis amaritudinem, & omnibus se exhibet tractabilem.

Dicendum tertiò, quod patientia, alia est *necessitatis*, alia *supererogationis*. Patientia necessitatis quæ est de lege præcepti (de qua illud habetur *Hebr.* 10. Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis repromissionem) tolerat quidem mala illata æquo animo propter Deum, sed ius defendendi & causam coram iudice deponendi sibi reseruat. Hac patientiâ patiens, sicut in primis motibus deponere tenetur vindictam inordinatam ex animo, adhuc non rogatus; ita deinde rogatus etiam iustam ac debitam deponere, vel saltim mitigare ac moderare debet: vidensque aduersarij sui veram submissionem, pœnitentiam & beneuolentiam, etiam tenetur eum in pristinam recipere amicitiam. Ille autem qui malum æquo animo tolerat pro peccatis iustè sibi inflictum, non patiens sed pœnitens dicendus est. Vnde 1. *Petr.* 2. Hæc est enim gratia (*id est, meritum patientiæ*) si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè. Quæ est enim gratia si peccantes & colaphi-

zati suffertis? sed si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. Et *cap.* 3. Melius est enim vt benefacientes (si voluntas Dei velit) patiamini, quam malefacientes. Et *cap.* 4. Nemo vestrûm patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Christianus (*id est, innocenter, sicut & Christus innocenter passus est*) non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine.

Patientia supererogationis, quæ est de lege consilij, tolerat malum illatum æquo animo propter Deum: & cedit iuri suo; sciens quia seruum Dei (iuxta illud 2. *Tim.* 2.) non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Vnde etiam est illud 1. *Cor.* 6. Iam omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos: quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Et *Rom.* 12. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes, non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim, Mihi vindictam, & ego retribuam: dicit Dominus. Huiusmodi erat patientia illorum, in quorum persona dicitur 1. *Cor.* 4. Maledicimur & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur & obsecramus.

Dicendum quartò, quod primus gradus supererogatiuæ ac asceticæ patientiæ est, quando quis vt offensam Dei fugiat, aduersa sibi

ab a-

ab alijs illata æquanimiter sustinet; omnem scilicet doloris, iræ, ac impatientiæ motum ex sensualitate consurgentem, & omnem rationis inferioris discursum turbulentum, & omnem animi immoderatam tristitiam per pugnam spiritualem cohibet ac reprimit. Patientia enim secundum *S. Greg.* est aliena mala æquanimiter perpeti: contra eum quoque qui mala irrogat, nullo dolore morderi. *Nota* autem, quod sicut ignis quatuor modis extingui solet, puta, persusione, obstructione, dissipatione,& defectione materiæ. Ita similiter feruor impatientiæ deferuescere consueuit alijs quatuor modis. *Primo*, perfusione consiliorum prudentium: vt maturè homo deliberet, quantum ei nocere possit impatientia, & quantum prodesse patientia. Vnde *Iacob.* 5. Patientes estote & vos, & confirmate corda vestra, quoniam aduentus Domini appropinquabit; nolite ingemiscere fratres in alterutrum, vt non iudicemini, ecce iudex ante ianuam assistit. *Secundo*, obstructione oris, ne lingua prosiliat in verba aliqua turbulenta. Vnde Dauid *Ps.* 38. Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersum me, obmutui & humiliatus sum. *Tertiò*, dissipatione, vt ad alios actus homo se conuertat, quibus alienatus obliuiscatur iniuriæ, quâ succenditur ad impatientiam: sicut cùm ligna dissipantur à se inuicem, ignis diuisus deficit. *Quartò* modo, defectione materiæ, vt homo

auertat se ab illis negotijs & cupiditatibus, quæ solent ministrare occasiones impatientiæ: & fugiat eiusmodi hominum colloquia & conuersiones, qui suâ commiseratione iniquâ, aut maledictâ susurratione, magis ac magis impatientiæ illius accensum ignem feruere faciunt. Vnde est *Prou.* 26. Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis; & susurrone subtracto, iurgia conquiescunt.

Secundus gradus est, quando asceta ex longo vsu aduersa propter Christi imitationem æquo animo tolerandi & impatientiam refrenandi, cùm iniuria afficitur, vix iam sentit illos motus sensualitatis, aut audit remurmurationes suæ inferioris rationis, aut aliquam in animo suo experitur tristitiæ amaritudinem: iamque illa aduersitas quam sustinet, non grauis sed leuis ei videtur. Vnde *D. Bon.* ait. Vix aliquid in hac vita tam asperum est, quod vsu & studio patientiæ, non fiat leuius ad portandum, iuxta illud: Quod malè fers, assuesce & feres.

Tertius gradus asceticæ patientiæ est, quando aliquis pati aduersa, cùm desunt (propter magis ac magis Christo conformari) desiderat: vel cùm adsunt, in ipsis gaudet & gloriatur, iuxta illud *Iob.* 6. Hæc mihi sit consolatio, vt affligens me non parcat. Et *Psal.* 68. Improperium expectauit (*id est*, desiderauit) anima mea. Et 1. *Cor.* 12. Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, & necessitati-

ſtatibus, in anguſtijs, in perſecutionibus pro Chriſto.

Dicendum quintò, quod patientia, eſt etiã aliquando *defectuoſa*, aliquando *exceſsiua*: vtraq; aſcetis ſummopere fugienda. Patientia defectuoſa, eſt quadruplex. *Prima* dicitur naturalis quæ tolerat mala, non vt oportet: quia non propter Deum, ſed propter ſanitatem corporis, ex amore naturali, quo quis amat carnem ſuam. *Secunda* dicitur mundana, quæ ſuſtinet multos labores, & tolerat multa aduerſa propter aliquam gloriam, commoditatem & vtilitatem mundanorum obtinendã. *Tertia* dicitur ſimulationis, quæ in aperto iniuriam æquanimiter ſufferre videtur, ſed intentione occultâ, in tempus aliud opportunum vltionem vindictæ differt. *Quarta* dicitur neceſſitatis. *Nota* autem quod patientia neceſſitatis, quæ eſt neceſſaria neceſſitate præcepti ac medij ad obtinendam vitam æternam, cui ſe homo per voluntariam reſignationem ſubijcit, virtuoſa eſt: ſed illa defectuoſa quæ eſt inuoluntaria, quâ homo ex neceſſitate violentiæ, inuitus patienter fert mala ſibi illata; quia alias iniuriam ſuam vindicare non poteſt.

Patientia exceſſiua duplex eſt. *Prima* eſt illa, quâ homo in iniurijs Dei patiens eſt: in iniurijs enim proprijs eſſe patientem, laudabile eſt; ſed in iniurijs Dei, eſt nimis impium. *Secunda* illa eſt, quá quis in iniurijs proximi

patiens est, quem alias (si commodè potest) siue scilicet ex iustitia, siue ex charitate defendere tenetur. Vnde est *Prou.* 26. Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam (*in tua scilicet causa*) ne efficiaris ei similis. Responde stulto iuxta stultitiam suam (*in causa scilicet Dei & proximi*) ne sibi sapiens esse videatur.

INSTITVTIO VIII.

De virtute Obedientiæ.

DIcendum est primò, quod obedientia apud spirituales multas habet sui commendationes. *Prima* est, quia propter Deum deserit quod est maximum. Tria enim sunt genera bonorum humanorum, quorum infima sunt bona exteriora, quæ per voluntariā paupertatem deseruntur: media sunt bona corporis, quæ per castitatem religiosam abnegantur: suprema seu maxima sunt bona animæ, inter quæ præcipua est propria voluntas, inquantum scilicet per illam homo omnibus alijs bonis vtitur; & hæc per obedientiā asceticam omnino deseritur. Vnde *D. Greg.* Obedientia victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur.

Secunda commendatio obedientiæ hæc est, quod sine hac virtute bona opera, non sint bona ac meritoria. Vnde *S. Thom.* Quæcunque virtutum opera ex hoc meritoria sunt

apud

apud Deum, quod fiunt vt obediatur voluntati diuinæ: nam si quis etiam martyrium sustineret, vel omnia sua pauperibus erogaret, nisi hoc ordinaret ad impletionem diuinæ voluntatis, quod rectæ ad obedientiam pertinet, meritoria esse non possent: sicut, nec si fierent sine charitate, quæ sine obedientia esse non potest. Dicitur enim 1. *Ioan.* 2. quod qui dicit se nôsse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. Qui autem seruat verba eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est. Et hoc ideo est, quia amicitia facit idem velle & nolle. Et *D. Bern.* Grande malum propria voluntas, quâ fit, vt bona tua, bona non sint. Etenim si in die ieiunij mei, inueniatur voluntas mea, non tale ieiunium elegit Dominus: nec sapit illi ieiunium meum, quod non obedientiam, sed vitium voluntatis propriæ sapit. *Et subdit.* Ego autem non solum de ieiunio, sed de silentio, de vigilijs, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremo de omni obseruantia monachi, vbi inuenitur voluntas sua in eo, & non obedientia magistri sui, idipsum sentio: minimè prorsus obseruantias illas, & si bonas in se, inter virtutes censuerim deputandas.

Tertia est, quod ex obedientia bonum opus deseritur cum merito. Vnde *S. Greg.* Sciendum est, quod licet nunquam per obedientiam malum faciendum sit, tamen aliquando per obedientiam debet bonum quod agitur

inser-

intermitti. Neque enim in paradiso arbor mala extitit, ex qua Deus homini comedere interdixit: sed vt melius per obedientiæ meritum homo benè conditus cresceret, dignum fuerat, vt tunc etiam à bono prohiberetur: quatenus tanto veriùs hoc quod ageret virtus esset, quanto à bono cessans, authori suo se humilem & subditum exhiberet.

Quarta, quod obedientia est propria Christi virtus; quapropter suo exemplo docuit eam discipulos suos tripliciter, vt sicut inobedientia clauserit eis paradisum, ita obedientia aperiret. *Primo* quidem docuit ad mundum veniens, vt est *Ioan. 6.* Descendi de cælo, non vt facerem voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me, Patris. *Secundò*, manens in mundo, vt est *Philip. 2.* Factus obediens vsque ad mortem. *Tertiò*, transiens de mundo, vt est *Matt. 16.* Non sicut ego volo, sed sicut tu. Et inde est, quod obedientia est quasi clauis paradisi cælestis, in cuius figura Christus dedit Simoni, qui interpretatur obediens, claues regni cælestis. Et sicut Dominus maledixit primo homini inobedienti, dicens. Maledicta terra in opere tuo: sic benedixit obedienti Simoni, dicens. Beatus es Simon Bariona.

Quinta est, quod opera ex se indifferentia (vt est quies corporalis, refectio, &c.) ex obedientia facta fiunt meritoria. Vnde obedientia est quasi nauis cælestis: nam sicut qui in

naui

naui eſt, ad portum deſignatum ſemper procedit,& tamen ipſe quieſcit; ſic qui eſt in naui obedientiæ ſemper proficit in virtute ac merito coram Deo, & cælo appropinquat dormiendo, vigilando, comedendo, ambulando, & quieſcendo: quia inſtar nauigantis non mòuetur motu proprio ſed alieno. De hac naui eſt *Prou. Vlt.* Facta eſt quaſi nauis inſtitoris. *id eſt*, mercatoris. Per eandem rationem obediens comparatur equitatui: nam ſicut equitans quieſcendo procedit, quia non mouetur motu proprio ſed equorum: ita bonus obediens quando etiam pauſat ex obedientia, meretur: quia non innititur motui voluntatis ſuæ,ſed ſui ſuperioris. Vnde *Cant.* 1. Equitatui meo aſſimilaui te amica mea.

Sexta commendatio virtutis obedientiæ eſt, quod ſui ſectatores vincere facit ſpiritum proprium,ſpiritum carnis,ſpiritum mundi, & ſpiritum diaboli, iuxta illud *Prouerb.* 21. Vir obediens loquetur victoriam, *hoc eſt*, non ſolum ipſe triumphabit de victoria ſpirituali, verùm & alios docebit modum eoſdem hoſtes vincendi. Imo quod plus eſt, ipſum etiam Deum obediens vincere poteſt. Vnde *S. Greg.* Si obedientes fuerimus prælatis noſtris, Deus obediet orationibus noſtris. Et *S. Aug.* Citius exauditur vna oratio peccatoris obedientis, quàm decem millia contemptoris. Et *D. Bon.* Ideo Dominus præpoſuit Apoſtolis Simonem obedientem, quia vult vt omnia obediant obedi-

bedienti: nec mirum si vult quod obedienti obediant cæteræ creaturæ; quia etiam ipse Deus voluit obedienti obedire. Exemplum de Iosue, de quo dicitur: Non fuit ante & postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis.

Dicendum secundò, quod obedientia sumitur dupliciter, *largè* nimirum & *strictè*. Obedientia largè sumpta, vtpotè, pro executione & impletione cuiuscunq; quod sub præcepto cadere potest, est virtus generalis. Strictè verò sumpta, quatenus nimirum habet speciale obiectum, quod est præceptum superioris tacitum vel expressum, est virtus specialis. Porro obedientia specialis alia est *necessitatis*, alia *supererogationis*. Necessitatis illa est, quæ in ijs tantum obedit, ad quæ formali præcepto obligatur: alias dicitur obedientia sufficientiæ: quia sicut ad salutem necessaria est, ita & sufficit: quæ non aliud est, quam habitus parendi illorum præceptis atq; imperijs, quibus lege iureq; tenemur; ac vt pareamus, recta dictat ratio. Supererogationis illa est, quæ cedit iuri suæ voluntatis, ac obedit suo superiori propter Christi imitationem in omnibus licitis atque honestis quantumcunque difficilibus. Nihil autem aliud est huiusmodi obedientia, quam propriæ voluntatis subiectio, arbitrio superioris ad omnia licita & honesta quantumlibet ardua ac difficilia. *Nota*, quod vtraque obedientia præsens, vel exequi-

tur

tur ex quadam bona ac pia consuetudine actus quoslibet à superiore demandatos: vel implet iussa superioris ex formali proposito ac intentione actuali, causâ imitationis Christi, mota ac excitata per charitatem: & hæc propriè dicitur formalis, illa verò quasi materialis.

Demum obedientia formalis, alia est *simplex*, alia *religiosa*. Simplex illa est, *tum* quâ omnis creatura ratione vtens, tenetur obedire Deo ex libertate sui arbitrij: vt Angelus & homo. *Tum* quâ Christianus populus Regibus & Magistratibus obedit, iuxta illud *Rom.* 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo. *Tum* quâ obediunt vxores suis maritis, filij & filiæ suis parentibus, serui suis Dominis. *Tum* quâ omnes fideles ab Ecclesia generaliter obligati obediunt suis prælatis (Papæ scilicet, Episcopis & Parochis) in his quæ canones & iura præcipiunt, pro omnibus promulgata. *Tum* quâ Clerici suis prælatis obediunt in his, quæ ad eorum officium pertinent, & ad statum ac ordinem clericalem spectant: vt est continenter viuere, debitam tonsuram deferre, & similia in sacris canonibus pro eis contenta obseruare. *Tum* quâ aliquis ad obseruantiam pro arbitrio suo limitatam & determinatam, certæ alicui personæ spirituali, ex propria voluntate obedit.

Religiosa obedientia illa est, quâ ex vi voti

sui

sui solemniter emissi, personæ religiosæ suis prælatis obediunt: & huius obedientiæ actus, omnino superiores sunt in merito actibus obedientiæ simplicis: quia religiosa obedientia, per solemne votum, dedicat Deo arborem voluntatis suæ, cum omnibus fructibus actuum eius; simplex verò obedientia, solos non nisi fructus offert Deo; & hoc, quando & quantum vult.

Denique obediendia religiosa seu ascetica, vtpotè voto solemni firmata, alia est *limitata*, alia *absoluta*. De obedientia limitata illud est *D. Bern.* Votum meum non augeat prælatus sine mea voluntate. De obedientia absoluta illud est *S. P. N. Francisci.* Firmiter præcipio fratribus, vt obediant suis Ministris in omnibus, quæ promiserunt Domino obseruare, & non sunt contraria animæ suæ, & Regulæ nostræ.

Dicendum tertiò, quod obedientiæ asceticæ tres sunt gradus. *Primus* est, quando quis religiosorum ex prima illa intentione ac voluntate quam habuit in ingressu religionis & voti emissione, ipsis nimirum operibus efficaciter, promptè ac diligenter foris obedit superiori suo vices Dei gerenti (iuxta illud *Heb.* 13. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes) in omnibus scilicet quæ ducunt ad Deum ac præceptoriè

seu

seu expresse mandantur: in alijs verò tardè, remisse & negligenter se habet propter sensualitatis repugnantiam, nisi alias eum aliter facere communis consuetudo cogat, vel pudor humanus impellat, vel timor temporalis castigationis necessitet.

Secundus est, cùm quis religiosorum non tantum operibus foris obedit, sed etiam voluntatem suam perfectè voluntati sui superioris actualiter conformat: quod fit, quando cum illo sine sensualitatis repugnantia idem vult & idem non vult in omnibus licitis ac honestis, quæ scilicet in Deum referri possunt, quamuis illa non præceptoriè ac expresse mandentur, ac insuper difficilia & ardua sint.

Tertius gradus asceticæ obedientiæ est, cùm quis non solum exterius obedit ex suo libero arbitrio (*id est*, spontè) & non solum voluntatem suam plenè iam abnegatam, voluntati sui superioris conformat; sed etiam, quando & ipsum intellectum suum ac proprium iudicium in obsequium Christi iam omnino captiuatum, intellectui ac iudicio sui superioris accommodat: quod fit, quando cum suo superiore, non solum idem vult, & idem non vult in omnibus honestis; sed etiam, quando idem cum eo sentit, *id est*, idem affirmat, & idem negat, credens nimirum ac iudicans, id, quod superior iubet vel prohibet, benè rectèq; iuberi vel prohiberi: & sic suum

iudi-

iudicium iudicio sui superioris subijciens, ipsum superiorem vt proprij iudicij regulam ac normam, & Diuinæ voluntatis interpretem in perpetuum accipit.

Dicendum quartò, quod adhuc dantur alij gradus asceticæ obedientiæ. *Primus* est, obedire Deo in omnibus præceptis, prohibitionibus & consilijs propter se: quia nihil præcipit nisi bonum, & nihil prohibet nisi malum, & nihil consulit nisi magis bonum. *Secundus* est, obedire homini propter Deum, qui nimirum omnia cum discretione ac deliberatione imperat. *Tertius* est, obedire propter Deum homini indiscreto, & dyscolo, & despecto, qui multa imperat impetuosè ac sine discretione & deliberatione iuxta illud 1. *Petr.* 2. Serui obedite Dominis (*modo non in illicitis*) non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis (*id est, inhumanis & seueris*) hæc est enim gratia (*id est, magnum meritum*) apud Deum.

Item, *Primus* gradus obedientiæ est, obedire scilicet superiori in eo quod est leuè & facilè. *Secundus*, obedire in eo quod est arduum ac difficile ad breue tempus. *Tertius*, obedire in eo quod est arduum & difficile, & hoc ad longum tempus, ac vsque ad mortem, sicut & Christus Patri suo obediuit.

Item, *Primus* gradus est, dum quis obedit suo superiori reuerenter ex timore pœnæ & culpæ. *Secundus*, dum quis obedit libenter, propter

propter spem gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro. *Tertius*, dum quis obedit gaudenter, purè propter Deum ex amore amicitiæ.

Item, *Primus* gradus est, implere præceptum superioris propter Deum. *Secundus*, implere nutum. *Tertius*, implere voluntatem, vtpotè tacitam ac interpretatiuam.

Dicendum quintò, duplicem esse obedientiam vitiosam ascetis omnino fugiendam, quarum altera est secundum *defectum*, altera secundum *excessum*. Obedientia defectuosa seu secundum defectum triplex est. *Prima* dicitur obedientia cupiditatis, quâ obedit aliquis suo superiori libentissimè, in eo, quod sibi præcipit iuxta suam appetentiam ac propriæ voluntatis electionem: vti & canis venaticus obedit venatori sese incitanti ad insequendam feram: & accipiter signo admonitus, ad capiendam perdicem. *Secunda* dicitur mundana, quâ obeditur vel propter mercedem, vel propter in vanum placere superiori, vel propter aliquam promotionem, &c. *Tertia* dicitur coactionis, quâ obedit aliquis inuitus, vel nimirum ne pœnã aliquam subeat, vel ne bono aliquo priuetur.

Obedientia secundum excessum, alias excessiua illa est, quâ quis obedit suo superiori in illicitis: contra nimirum propriam conscientiam, contra regulam, contra voluntatem Dei: cùm alias magis Deo quàm hominibus obedire oporteat.

INSTI-

INSTITVTIO IX.

De virtute Paupertatis.

DIcendum est primò, quod paupertas alia est *necessitatis cogentis*, alia *voluntatis eligentis*. Paupertas necessitatis cogentis vel alias inuoluntaria, non aliud est, quàm indigentia rerum necessariarum ad sui & suorum conseruationem: qualem habent, quicunq; siue ex familiæ penuria, siue casu fortunæ, omni possessione vel rerum iure carent; alias libenter essent diuites, si possent. De hac paupertate illud est *Eccl.* 27. Propter inopiam multi deliquerunt. Et *Prou.* 30. Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi. *Et subdit*. Ne egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei. Hanc tamen paupertatem facit meritoriam patientia Christi, si adest, quod patet *Luc.* 16. Factum est autem vt moreretur mendicus (*nomine Lazarus*) & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Paupertas voluntatis eligentis vel alias voluntaria, alia est *Philosophica*, alia *Euangelica*. Philosophica est, quæ ob honestum aliquem respectum, sponte abdicat bonorum temporalium possessionem. Vnde *S. Hier. lib.* 3. *in Matt. c.*19. Hoc enim & Crates fecit Philosophus, & alij multi diuitias contempserunt.

Euangelica paupertas illa est, de qua habetur *Matt.* 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Quæ quidem

quidem paupertas, alia est pauper *spiritu & non rebus*, alia *& spiritu & rebus*: vel alias, paupertas præsens, alia est quæ dicitur *paupertas affectus*, alia quæ dicitur *paupertas effectus*: quarum prior, est *virtus necessitatis*, ad salutem videlicet necessaria, de qua est illud *Ps.* 62. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Et *Eccl.* 31. Beatus diues qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia & thesauris. Hac paupertate spiritus seu affectus, illi sunt pauperes, qui bona temporalia diuitiasque possident, non amore illarum capti, sed necessitate ac infirmitate præsentis humanæ conditionis compulsi: de quibus etiam pauperum & Ecclesiarum necessitatibus liberaliter subueniunt, iuxta illud *Luc.* 11. Quod superest, date eleemosynam. Posterior paupertas, est *supererogationis virtus*, de qua illud est *Matt.* 19. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me. Et *Luc.* 14. Qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Hac paupertate affectus & effectus pauperes sunt, qui nec habent possessiones, nec habere volunt, etsi commodè possent sine peccato. Hi tanto feliciores habentur, quanto magis à laqueo cupiditatis elongati sunt: quorum alij non habentes diuitias, fecerunt sibi de necessitate virtutem, nolendo eas habere etiamsi

habere possent: alij qui diuitias seu possessiones vel habere potuerunt, vel re ipsa habuerunt, & eas abiecerunt, & amplius propter imitationẽ Christi nunquam habere volunt.

Huc etiam spectat paupertas illorum Ecclesiasticorum, qui ex vera obedientia Prælaturam cum multis possessionibus suscipiunt (alias in seipsis non abijcientes paupertatis propositum) vt per eas cultum Dei amplificent, & proximis subueniant: hi tanto sunt laudabiliores paupertatis Christi sectatores, quanto etiam in diuitijs ab eius amore non separantur. Talis fuit paupertas S. Bonauenturæ, S. Ludouici, &c. Demum, paupertas affectus & effectus, vel alias paupertas supererogationis, alia est *simplex*, alia *religiosa.* Simplex est, quæ voto solemni non roboratur, de qua illud est *Act.* 4. Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum dicebat; sed erant illis omnia communia: neque enim quisquam egens erat inter illos, &c. Ex quibus verbis collige, quod paupertas Euangelica vt est virtus supererogationis, dicit spontaneam possessionum huius mundi abdicationem, pro amore Dei, studio virtutum, & Christi imitatione expeditiori: propriè tamen non dicit rerum inopiam: quia non pertinet ad rationem paupertatis Euangelicæ indigentia; quamuis ex consequenti paupertatis, pauperes Euangelici debeant

beant esse parati ad inopiam, quæ sæpè vt effectus ex tali paupertate sequitur. Vnde verus pauper Euangelicus debet cum Apostolo scire, & satiari & esurire (vt habetur *Philip.* 4.) & abundare & penuriam pati.

Paupertas religiosa, alias ascetica, vtpotè, voto solemni firmata, duplex est: *Altera*, quæ per professionem, ita abdicat omne ius ciuile ab omnibus personis singularibus, vt tamen admittat dominia, possessiones & proprietatem bonorum temporalium in communi. *Altera* est, quæ ita abdicat omne ius ciuile ad bona temporalia possidenda, vt nec Conuentui in communi, nec particularibus personis, etiam ipsis superioribus competere possit: & hæc paupertas altissima est.

Dicendum secundò, quod altissimæ paupertatis sunt tres gradus. *Primus* gradus requirit quinque: quorum *primum* est erogatio propriorum bonorum pauperibus Christi, iuxta illud *in Regula Fratrum Minorum cap.* 2. Dicant eis verbum S. Euangelij, quod vadant, & vendant omnia sua, & ea studeant pauperibus erogare. *Secundum*, abdicatio perpetua omnis vsus seu actus iuris ciuilis, iuxta illud in eadem *Regula cap.* 6. Fratres nihil sibi approprient. *id est*, Nihil proprij habeant, tam scilicet in particulari, quàm in communi. *Tertium*, alienatio omnis curiositatis, pretiositatis & superfluitatis à simplici vsu rerum necessario; quæ tria pugnant con-

tra paupertatis exemplaritatem, vilitatem, & modicitatem. *Quartum*, Firmum propositũ procedens ex charitate, sic semper pauperem vitam gerendi (quia iuxta *D. Bern.* Non paupertas virtus reputatur, sed paupertatis amor.) & hoc propter expeditiorem Christi imitationem, propter mundi ac sui contemptum, propter exercitium virtutum, propter S. Euangelij prædicationem, & proximorum ædificationem. *Quintum* est, proiectio curæ ac solicitudinis nostræ in diuinam prouidentiam, non secluso honesto laboritio & mendicatione moderata, iuxta illud *Psal.* 54. Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet. Et *Matt.* 6. Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcentur vobis. Et *in Regula cap.* 6. Vadant pro eleemosyna confidenter: nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Et *cap.* 5. De mercede verò laboris, &c. *Secundus* gradus altissimæ paupertatis est, quando quis in casu defectionis seu subtractionis rerum necessariarum minimè turbatur, ob amorem paupertatis Christi, qui de seipso dicit *Luc.* 9. Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet, vbi reclinet caput suum. *Tertius* est, quando quis in eodem casu gaudet: & eo magis, quo perfectius credit se ac experitur, per suam paupertatem Christo fieri conformem. Ad huius paupertatis studium

dium inuitans nos *D. Bonau. in illud.* Primum quærite regnum Dei. *sic ait.* Qui ex gratia vult donare cælestia, cur etiam temporalia & parua ab eo non speremus? Aut ergo dabit nobis necessaria inquantum expedit nobis: aut vires corporis ad sustinendum penurias: aut spiritualem dulcedinem meliorem carnali, & insuper præmium cæleste.

Dicendum tertiò, duplicem esse vitiosam paupertatem, aliam scilicet secundum *defectum*, & aliam secundum *excessum*. Paupertas defectuosa duplex est. *Prima* dicitur ficta, quæ propria est illorum, qui pauperes seu mendici fiunt, vel pro otio fouendo, vel pro lucro cumulando. *Item*, qui res mundi modicas deserunt, vt hoc titulo magna bona Ecclesiastica acquirant & possideant, ac in illis luxurientur. *Item*, qui exterius quidem res mundi deseruerunt, sed interius erga easdem in sua Religione perditè afficiuntur. *Secunda* paupertas defectuosa, dicitur delicata & sollicita: quæ illorum est, qui omnia quæ mundi sunt, re & voluntate seu effectu & affectu dimiserunt; imo & omnem hic in Religione erga superflua affectum deposuerunt, sed erga necessaria mirè afficiuntur, seduloque curant, ne sibi quid desit eorum; atque in omnibus, in victu scilicet, vestitu, cella, & omni denique re alia, benè sibi commodèq; perspectum habere cupiunt: vnde si quid in ijs defuerit, dolent, turbantur, expostulant, & grauiter conque-

runtur. Paupertas excessiua esset in Fratre Minore, si renuntiare vellet non solum omni vsui politico seu ciuili, verum etiam & omni simplici vsui rerum, sine quo præsens vita conseruari nequit.

Dicendum quartò, quod præsens paupertas spiritus, multum est commendabilis, ob quinque rationes. *Prima* est, quia facit hominem fugere sui magnificationem per superbiam, quæ est initium, radix, & caput omnium vitiorum ac peccatorum. Duo enim paupertas spiritus dicit, tum videlicet abiectionem rerum temporalium, quæ fit spiritu seu liberâ voluntate ex instinctu Spiritus sancti: tum exinanitionem inflati & superbi spiritus, per spiritum humilitatis. *Secunda* est, quod hominem toto corde seruire Deo facit: quia alias (iuxta illud *Matth.* 6.) Nemo potest Deo seruire & mammonæ. *id est*, diuitijs. quæ sicut de profundo terræ tolluntur, ita suo pondere ad infima terræ suos detrahunt amatores. *hoc est*, in profundum inferni. Vnde Apostolus 1. *Tim.* 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa, & inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditioné. *Tertia* ratio est, quia paupertas spiritus facit hominem expeditum ad sectandas virtutes: nam sicut exonerato, facilè est velociter currere: sic contemptori mundanorum, facilè est spiritu expeditè proficere. *Quarta*, quia magni

qui est meriti apud Deum: quanto enim minus de terrenis nobis indulgemus, tanto amplius recompensabitur nobis de cælestibus, iuxta illud *Matt.* 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorũ. *Quinta* ratio est, quia paupertas spiritus, de cælestibus vt de cælestibus sentit, & de terrenis vt de terrenis. Vnde est quod pauper spiritu nouit, nimis esse contemptibilem substantiam temporalium, *tum* ex sui natura: nam terra ex qua veniunt diuitiæ, ignobilius est elementum inter cætera elementa. *Tum*, quia non multum est necessaria: modicus enim victus & vestitus, & locus contectus, sufficit homini pro necessitare ad viuendum, quod autem superest, superfluum est. *Tum* quia multorum patet inuidiæ, qui libenter eam auferrent habenti, per multas artes. *Tum*, quia multo labore & solicitudine acquiritur & seruatur, etiam cum ipso vitæ periculo. *Tum*, quia non satiat appetitum habentis: sed quo plus de illa habetur, eo inquietius sititur. *Tum*, quia diu cum homine non perseuerat: nam si aliter ei non adimitur, mors illum separat ab ea; & nihil potest homo post mortem deferre ex ipsa, nisi quod meruit hic per ipsam. *Tum*, quia tam bonis quàm malis datur: & ideo non sunt feliciores qui ea abundant, imo frequenter infeliciores, quia eis est occasio multorum malorum. Verè igitur sapiens est pauper spiritu, qui paruipendit quod vile est, &

non multum laborat pro eo, quod parum vtile est, & fugit quod pernitiosum est, & liberaliter spargit quod conseruatum perit, & distributum in pauperes fructificat.

Dicendũ est quintò, quod contra paupertatem Minoritanam multipliciter obijcitur. *Primò*, Christus habuit loculos. Igitur superflua est paupertas excludens loculos denariorum ac prouisionum. Respondetur ex *D. Bonauentura Apologia*. Christus qui factus est omnibus exemplar, vt Prælatus Ecclesiæ, habuit loculos pro necessitatibus sibi subditorum: & vt Magister, ad docendum suos faciendi eleemosynam. Habuit quoque per condescensionem, personam in se suscipiens infirmorum seu imperfectorum. Verum non habuit vt persona particularis & vt exemplar perfectionis, nisi tempore necessitatis extremæ, vt leges naturæ conseruaret: quare extra tempus huiusmodi, voluit suos non esse solicitos de rebus necessarijs ad vitam, sed vt primum regnum Dei & iustitiam eius quærerent. Vnde est *Mar. 6.* Præcepit eis, ne quid tollerent in via, non peram, neque in zona æs, sed calceatos sandalijs.

Secundò obijcitur, ex *Psal.* 36. Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Igitur qui mendicando quærit panem, non est iustus, nec semen eius. *Respondetur ex eodem sancto*, Hoc intelligendum esse de pane spirituali, qui est verbum Dei, con-

solatio

solatio cælestis, gratia Dei; non autem de pane corporali. *Vel* si duplicabitur, *derelictum*, tunc erit sensus. Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem corporalem derelictum.

Tertiò, ex *Ps.* 33. Timete Dominum omnes Sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum. Ergo non stat simul & inopia, & timere Deum. ℟. Hic etiam intelligenda est inopia spiritualis non corporalis. Vnde sequitur ibi. Diuites eguerunt & esurierunt; inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono. *Vel* intellige de inopia corporali inuoluntaria, quæ est afflictiua; non de voluntaria, quàm timentes Deum æquo ferunt animo, propter Christi imitationem.

Quartò, ex *Act.* 20. Beatius est magis dare, quàm (*eleemosynam*) accipere. Sed dare eleemosynam non facit perfectum. Ergo multo magis eam accipere. *Item* 1. *Thess.* 4. Nullius aliquid desideretis. *Vbi ait Glossa*, ne dum rogetis vel tollatis. Ergo paupertas voluntaria sine prouisione humana perpetua, non est laudanda: quia mendicando desiderat, rogat, & tollit alienum. *Respondetur ad primum* Si beatius est magis dare eleemosynam, quàm accipere. Ergo beatiores sunt fratres, qui totum quod habebant dederunt, vel quod habere poterant reliquerunt alijs, & modica non ex necessitate naturæ (hoc enim melius ac beatius est dare, quàm accipere) sed ex su-

pererogatione iustitiæ recipiunt. Vnde S. *Aug.* Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare: melius pro intentione sequendi Dominum, insimul pauperibus donare, & absolutum ab omni solicitudine egere cum Christo. *Ad secundum.* Dupliciter aliquis rogat: vel propter desiderium rei alienæ, vel propter desiderium salutis alienæ. Vnde *S. Aug.* Datum quærit, qui delectatur præcipuè in re accepta: fructum quærit, qui delectatur in salute aliena.

Quintò obijcitur, ex *Luc.* 12 Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. *Vbi Gloss. ait.* Venditis omnibus possessis, & spretis, & erogatis pauperibus, operamini manibus vnde viuatis & eleemosynam tribuatis. Igitur pauperibus Euangelicis qui possunt manibus laborare, mendicatio non consonat. R. Consonat pauperibus Euangelicis moderata mendicatio ob imitationem Christi, dum ad exemplum eius insistunt orationibus, vigilijs, tentationibus superandis, ac omni virtutum exercitio. Consonat & operatio manualis, si tamen non impediat maiora bona, vt sunt, prædicatio verbi Dei, administratio Sacramentorum ac eiusmodi alia. Consonat & eleemosynæ largitio moderata, vbi commodè fieri potest, iuxta illud *Luc.* 11. Quod superest (de mercede laboris, & ex quotidianis oblatis) date eleemosynam. Vide plura apud D. Bonauenturam.

INSTI-

INSTITVTIO X.

De virtute Sobrietatis.

DIcendum est primò, quod ſobrietas dupliciter accipitur, *largè* nimirum & *ſtrictè*. Strictè ſumpta, eſt virtus quâ quis in potu inebriatiuo temperans eſt, & ſic opponitur ebrietati. Largè verò ſumpta, accipitur pro moderamine ab omni ſuperfluitate & intemperantia mentis & corporis. Vnde dicitur ſobria mens & ſobrius ſenſus. Verum hoc loco ſobrietas iuxta *D. Bonau. lib. 2. de prof. Relig. cap.* 46. medio modo accipitur. Et ſic eſt virtus gulæ oppoſita, quâ ſcilicet corporis alimenta cum moderamine admittuntur, ac idem eſt quod parſimonia ſeu abſtinentia, quæ in tribus conſiſtit, *in qualitate, in quantitate, & in modo.* In qualitate quidem, vt non delicata & pretioſa cibi ac potus alimenta requirantur, ſed ſimplicia, quibus nimirum ſuſtentari natura valeat, & gula non irritari, & quæ de facili haberi poſſunt. In quantitate verò, vt non nimis ac ſæpius quàm decet comedatur ac bibatur more brutorum; nec vt corpus oneretur, ſed ſolum reficiatur. In modo tandem, vt ipſa neceſſaria corporis alimenta honeſtè & religiosè ſumantur, non autem immoderatè ac indiſciplinatè, & hoc propter Deum: nam ſobrietas, ſicut etiam quæuis alia virtus, tunc ſolum eſt apud Deum meritoria, cùm ipſe Deus, eſt illius finis, cauſa &

forma. *hoc est*, si propter Deum principaliter fiat, si ex instinctu Dei, & secundum Deum.

Præsens sobrietas, est *virtus necessitatis & supererogationis*. Necessitatis tunc dicitur, quando fugit commessationes & compotatio-nes immoderatas, ne Deus offendatur. Supererogationis autem, quando fugit in cibo & potu, imo & in somno, ipsam licitam satietatem, ob Christi imitationem.

Dicendum secundò, quod sobrietas ad multa valet. *Primò*, ad satisfactionem pro peccatis: vt sicut corporis voluptate peccamus, ita eius castigatione emendemur. *Secundò*, ad reprimenda vitia, ac præsertim carnis lasciuiam: vt quæ impinguata insolens & inobediens facta est; abstinentiâ macerata & castigata, in seruitutem spiritui redigatur. *Tertiò*, ad solicitudines mundanas abscindendas: quia qui modicis contentus est, modica prouidere curat. *Quartò*, ad facilem multarum virtutum acquisitionem: sobrius enim agilior est ad bonum, aptior ad seruandam castitatem, cautior in lingua, promptior ad deuotionem, purior in affectu ad acquirendam sapientiam, expeditior ad mentaliter orandum, subtilior & acutior mente ad contemplandum, memoriâ tenatior diuinorum. *Quintò*, sobrietas valet ad aliorum ædificationem: quia qui exteriora nostra ordinata vident; qualiter interiora æstiment quæ eos latent, conijciunt. *Sextò*, valet ad meritum

gloriæ,

gloriæ, tam pro ſeipſa, quàm pro virtutibus ſibi connexis: quia quo magis hic nobis de voluptate ſubtrahimus, eo magis & hic ſpiritualibus, & illic cæleſtibus delicijs abundabimus.

Dicendum tertiò, quod ſobrietatis tres ſunt gradus. *Primus* eſt, quando in ſumptione corporalium alimentorum, non voluptas ſeu delectatio ſenſualis, ſed moderata & non niſi neceſſaria naturæ ſatisfactio ac refectio quæritur. *Secundus* eſt, quando defectus aliquis neceſſariorum alimentorum, ob amorẽ virtutis, & aliorum ædificationem, vel patienter toleratur, vel ſpontè quæritur. *Tertius* eſt, quando quis libenter vult eſſe contentus ſolis illis quæ extremæ ſufficiunt neceſſitati in qualitate & quantitate alimentorum, propter Chriſti imitationem, qui pro nobis egenus factus eſt, cùm eſſet diues. Talis fuit ſobrietas Apoſtolorũ Domini, de quibus *Luc.* 6. Vellebant diſcipuli eius ſpicas (*ob egeſtatem*) & manducabant confricantes manibus. Vnde S. Paulus ait 1. *Cor.* 4. Vſque in hanc horam & eſurimus & ſitimus, & nudi ſumus.

Dicendum quartò, quòd etiam quædam ſobrietas habeatur ſecundum *defectum*, & ſecundum *exceſſum*. Defectuoſa alia eſt medicinæ, alia auaritiæ, alia hypocriſis, alia paupertatis, alia delicata. *Medicinalis* ſobrietas fit propter ſanitatem corporis recuperandã: vel conſeruandam: quæ tamen, dum refertur

in Deum ex charitate, est meritoria. *Auaritia*, ad parcendum expensis. *Hypocrisis*, pro laude humana. *Paupertatis*, pro necessitate penuriæ. *Delicata* illa est, quæ cùm non habentur desiderata, tristatur, indignatur & murmurat. *Excessiua* sobrietas illa est, quæ carere vult necessario naturæ alimento, non absque graui sanitatis corporalis nocumento: cùm alias sic homo pro posse debet proprio corpori prouidere prudenter, vt nec ei de necessario cibo & potu, & somno aliquid desit, nec aliquid superflui adsit: ne videlicet, aut ex penuria ante tempus deficiat, aut ex abundantia lasciuiat.

INSTITVTIO XI.

De virtute Castitatis.

Dicendum est primò, quod virtus castitatis alia est de lege præcepti, alia de lege consilij. *Castitas necessitatis*, quæ est de præcepto; vel est extra, vel intra matrimonium. Illa quæ est extra matrimonium, excludit omnem veneream ac libidinosam delectationem, non solum in quouis actu externo, verum etiam in ipsa cogitatione, aspectione, verbo & tactu, iuxta illud *Matt.* 5. Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & proijce abs

te abs te: expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextera manus tua, &c. Illa verò castitas quæ est intra matrimonium, alias coniugalis dicta, admittit quidem ordinatos actus libidinosos in vsu matrimonij ad procreationem prolis, & ad remedium concupiscentiæ ac illicitæ libidinis; sed perpetuo excludit quosuis inordinatos: quod ipsum aut serio proposito, aut efficaci promissione firmat coram Deo.

Castitas *supererogationis*, quæ est de consilio, alia est *virginalis*, alia *vidualis*. Virginalis est, quâ quis virginitatem perpetuam firmo proposito, aut etiam ipso voto Deo consecrat. De hac castitate illud est 1. *Cor.* 7. De virginibus præceptum Domini non habeo, consiliũ autem do, &c. Vidualis castitas illa est, quæ castimoniam omni tempore viduitatis suæ, continuo seruat ob Christi imitationem. De qua loco citato. Beatior erit, si sic permanserit secundum meum consilium. *Item*, vidualis castitas dicitur (quamuis minus propriè) quàm homines incontinentes cuiuscunq; sexus, post suam ad Deum conuersionem verã, perpetuo voto firmatam inuiolatè seruant, tum in pœnam suorum præteritorum peccatorum, tum ob Christi imitationem.

Porro castitas supererogationis, alia est *simplex*, alia *religiosa*. Simplex est, quæ, vel solo duntaxat simplici proposito, vel simplici

voto,

voto, Deo consecratur. Religiosa verò vel alias ascetica castitas, virginalem scilicet ac vidualem complectens, illa est, quæ in perpetuum ipso solemni voto in religione ac Ecclesia approbata firmatur, ac Deo dedicatur.

Dicendum secundò, quod sicut simplex castitas virginalis, excellentior est simplici castitate viduali; ac deinde eadem vidualis, matrimoniali seu coniugali: quia castitas virginalis & vidualis ordinata est ad bonum animi secundum vitam contemplatiuam; matrimonialis verò ad bonum corporis secundum vitā actiuam. Ita quoque castitas religiosa, omnem huiusmodi superat ac præcellit castitaté. *Primò* quidem ipsâ excellentiâ virtutis religionis: quia castitas matrimonialis, & si in aliquibus ordinibus militaribus sub votum cadat, & consequenter ad virtutem religionis pertineat, simpliciter tamen castitas dici nequit, nisi adiectum eius, quo matrimonialis dicta est: & sic superatur à castitate religiosa seu ascetica. Vidualis etiam castitas & virginalis, quamuis aliquando ad eandem spectent religionis virtutem ob simplex votum quo Deo consecrantur, tamen inferiores sunt castitate ascetica, quæ ipso iam solemni voto firmatur. *Secundò*, stabilitate ac immutabilitate: quia castitas vidualis & virginalis simplex, subiacet instabilitati ac mutabilitati: superueniente enim dispensatione aut (absq; dispensatione) ipso matrimonio, iam omnino dissol-

dissoluitur. Castitas verò Religiosa seu ascética, non subiacet dispensationi, nec dissoluitur matrimonio. *Tertiò* castitas religiosa superat omnem aliam castitatem puritate: castitas enim coniugalis ipso facto admittit delectationes libidinosas licitas ac ordinatas: & castitas virginalis & vidualis simplex, potest ad nuptias congruis medijs adspirare: castitas verò ascetica quemcunque huiusmodi excludit næuum, & Angelicam ac perpetuam requirit puritatem; nullam in cogitatione, verbo & opere oblectationem veneream, sub quouis licito titulo admittens. *Quartò*, superat etiam disciplinâ: quia castitas, non solum inde sic dicta est, quod concupiscentiam, quæ ad modum pueri est frenanda, actibus castigat internis; verum etiam quod castigat eam & externis mortificationibus, abstinentijs, ieiunijs, vigilijs, cilicijs, disciplinis, lecti ac vestimentorum austeritatibus, separatione à mundanis hominibus & carni deditis, clausuris asceteriorum & similibus: nam castitas absque huiusmodi castigationibus carnis, diu secura esse non potest, quibus alias crescentibus crescit, & decrescentibus decrescit ac deficit. *Quinto*, superat discretione: quia castitas religiosa antequam Deo consecretur solemni voto, probatur communiter ad minus per spatium vnius anni. Ratio est, quia si nemo potest esse castus seu continens (vt est apud Sapientem) nisi Deus illi dederit:

rit: ita etiam nemo potest discretè ac rationabiliter castitatem Deo vouere, nisi prius ab ipso eam acceperit, ac se accepisse probauerit expertusque fuerit; secus agendo indiscretè ac imprudenter faceret, & seipsum miserrimè deciperet, cùm alias iuxta Apostolum melius sit nubere, quam (voluntario igne concupiscentiæ) vri.

Dicendum tertiò, tres esse gradus asceticæ castitatis. *Primus* est, quando incipiens aliquis, ob amorem virtutis ac imitationem Christi, fugiens omnem quantum potest cum gratia Dei incontinentiæ occasionem, ac mundi prouocamenta ad libidinem; ab ipsis etiam imaginationibus irreuerentibus ac turpibus, & à cogitationibus immundis ac impuris, statim à principio sui intellectus animaduersionis, se auertit diligenter, mentem suam ad alia honesta & sancta studiosè applicando: statimque motibus in sensualitate libidinosis insurgentibus, & delectationibus, titillationibus, ac pruritibus venereis in carne sua nascentibus, resistit fideliter, diuinum contra eos confidenter & perseueranter inuocando auxilium: & carni suæ, si opus fuerit, aliquã applicando congruam mortificationem, & hoc magis intensam quàm prolixam. *Secundus* est, quando quis post multas victorias, congruis medijs de tentationibus carnalibus obtentas, minus iam, rarius, & remissius concupiscentiarum stimulis exagitatur: ac motus

sensua-

sensualitatis aliquando insurgentes, citius & facilius, solo quasi suæ voluntatis imperio sedat & compescit. *Tertium* est, quando quis ita per gratiam Dei, domitam habet carnis concupiscentiam, vt vix iam aliquos eius sentiat irreuerentes nonnunquam consurgere motus.

Dicendum est quarto, quod etiam aliquando habetur castitas quædam vitiosa, tam secundum *defectum*, quàm secundum *excessum*. Castitas defectionis, alia est indiscreta, alia scandalosa. *Indiscreta castitas* dicitur, tum illa materialis, quæ nullam cum formali habet connexionem: tum & illa formalis, quæ non fundatur in castitate spirituali.

Hinc nota primò, quod *castitas materialis* consistit in quodam priuatiuo, quod puta esse, ipsum non experiri quamcunque veneream voluptatem: huiusmodi autem castitas, non est virtus: quia non operatur secundum rationem, seu, non refertur ad debitum finem. *Formalis castitas* consistit in quodam positiuo, quod est firmum propositum nunquam huiusmodi veneream experiendi voluptatem, propter amorem virtutis ac Christi Domini imitationem. *Nota secundò*, quod castitas dupliciter accipitur, *propriè* nimirum & *metaphoricè*: propriè sumpta, est virtus specialis, contra luxuriam: metaphoricè verò accepta, est virtus generalis contra omnem inordinationem, quæ alias dici solet castitas spiritualis, seu castitas mentis aut cordis: vnde non

habe-

habetur, nisi cùm refugit mens, ne delectabiliter alijs coniugatur contra debitum diuini ordinis, & cùm delectatur coniungi Deo. De huiusmodi castitate illud est, quod dicitur 2. *Cor.* 11. Despondi enim vos vni Viro virginem castam exhibere Christo. *Item*, Castitas indiscreta illa est, quæ occasiones sui casus non fugit vt oportet: nam alias *prudens ac discreta* fugit omnes huiusmodi occasiones proximas. vt est castitas cælibatus: *prudentior* fugit & remotas. vt est castitas religiosorum. *Item*, indiscreta castitas illa est, quæ delicatè viuit, omnem refugiens carnis mortificationem. Vnde 1. *Tim.* 5. Vidua quæ in delicijs est, viuens mortua est. *Castitas scandalosa*, vel alias lasciua (largè nimirum sumendo lasciuiam) illa est, quæ seruatur adhuc mente & corpore, sed nonnullis signis, verbis, blanditijs, leuitatibus, motibus & gestibus minus probatis, excitat in se ac in alijs libidinem, aut parit alicuius mali suspitionem,

Castitas secundum excessum diceretur, si quis à principio suæ conuersionis omninò vellet esse castus sine sensu, cùm alias asceticæ castitati non noceat sensus, nisi consensus: est enim castitas habitus voluntarius in anima, vt in subiecto, habens materiam in corpore, & nec per sensum, nec per violentiam aufertur. *Item*, si quis amore castitatis incensus membra sibi virilia amputare conaretur, quo ipso, volens tentationis ardorem temperare,

expo-

exponeret se periculo mortis ac propriæ interfectionis, daretque operam rei illicitæ: cùm alias ad virtutem castitatis non veniatur, nisi per tempestiuam concupiscentiæ motibus resistentiam, nisi per sensuum sensualitatisq; mortificationem, nisi per fugam occasionum, & nisi per continuum orationis mentalis exercitium.

PRAXIS XIV.

Testamentum animæ condendi, pactaq; illius æterna cum Deo inita, formandi ac producendi.

TEstamentum *vulgariter* sumptum, idem est quod instrumentum, extremæ alicuius voluntatis continens testimonium. Vel quoq; idem est, quod iusta sententia & testatio mentis, de eo, quod post mortem suam aliquis fieri vult. Sumptum verò *scripturaliter*, significat legem Dei nouam & veterem, datam hominibus in testimonium ac signum immutabilis æternæque voluntatis Diuinæ ad obseruandum, iuxta illud *Ps.* 110. Redemptionem misit populo suo: mandauit in æternum testamentum suum. Verum quodam *secretiori modo*, testamentum animæ consideratum, vel alias asceticè ac mysticè sumptũ, notat mentis, cum Deo, specialissimum quemdam firmatum amoris amicitiæ contractum; ex septem videlicet scalis cælestibus, amoris Diuini graduum, vel alias pactorum, actuum ana-

gogico-

gogicorum, actuum contemplationis, actionum vnitiuarum, adspirationum, suspiriorum, & orationum iaculatoriarum, coadunatum.

Notandum est primò, quod præsentis testamenti scalæ cæleftes graduum Diuini amoris, inde sic dicuntur: quia mens in sui eleuatione, gradatim se habere solet actibus suis in Deum, scalis huiusmodi (iuxta illud *Gen.* 28.) innixum, donec in summitate earum, ab ipso excipiatur, ac in ipsum deficiat, secundum quod dicitur *Ps.* 118. Defecit in salutare tuũ anima mea. Hoc modo defecerat in salutare Dei (*hoc est*, transformatus fuerat, in Saluatorem IESVM filium Dei) S. Paulus, cùm diceret, *Galat.* 2. Viuo autem, iam non ego: viuit verò in me Christus.

Notandum secundò, quod pacta ascetica, inde sic dicta sunt; quia sicut pactum pro fœdere sumptum, significat inter duos vel plures pacis ciuilis initionem: ita pacta huius spiritualis testamenti ad veram ac mysticam animæ cum Deo pacem consequendam ducunt. *Vel item*, quia sicut pactum politicum, quatenus videlicet pro signo accipitur, res multiplices significat iuxta duorum placitum, condictum, & consensum: ita pacta spiritualia, in signo breuis alicuius propositionis, mirifices conceptus Deũ amandi, laudandi, honorandi & orandi continent, iuxta adinuentionẽ animæ deuotæ & ipsius Dei placitum, qui etiam sub signo paucorum verborũ sacræ Scripturæ,

sensus

ensus multiplices includere voluit. Huiusmo-di pactorum vsum habuit *S. P. Franciscus*, vt est illud, Deus meus & omnia. Similiter etiam P. *Barthol. à Saluth.* vt patet in eius testamento animæ, & in Inuentionibus Diuini amoris.

Notandum tertiò, quod actus anagogici, & actus contemplationis, hinc dicuntur: quia mentem sursum ducunt, ac supra omnem rationis discursum & voluntatis proprietatem, obliquitatem & tepiditaté eleuant, ad Deum videlicet simpliciter conspiciendum & perfectè amandum, laudandum, &c.

Notandum quartò, quod actiones vnitiuæ, inde sic dici solent; quia mens illis agitur & agit ad vnionem Dei. *Puta autem*, aliud esse actionem vnitiuam, & aliud ipsam vnionem. Actio enim vnitiua, notat vnionem in fieri, & propriè dicitur vnitio. Vnio verò, est terminus vnitionis, seu ipsum vinculum vniens, ac vnio in facto esse. *Vel item*, vnitio, est illa actio, quâ mens contemplantis Deo coniungitur. Vnio autem est ipse actus, per qué anima contemplatrix manet Deo cõiuncta ac vnita.

Notandum quintò, quod aspirationes seu suspiria inde vocantur, quia actiones illorum ex feruore spiritus sursum tendunt: adspiratio enim, est quasi ad Deum spiratio, vel spiritus rationalis sursum anhelatio: & suspiriũ, est quasi spiritus sursum itio.

Notandum sextò, quod orationes iaculatoriæ hinc appellantur, quia sicut iaculatoris te-

lum

lum vel sagitta, cito volans ac velociter mediũ transcendens, subito, aut aliquem vulnerat aut scopo infigitur: ita orationes huiusmodi, quæ sunt oris spiritus affectuosi ac feruidi actiones, in momento nubes ac cælos penetrant, & suo acuto (vt est *Cant.* 4.) sponsum æternum vulnerant (*id est*, commouent) ac cordi eius infixæ manent. De istis oratiunculis *S. Aug. ad Probam sic habet*. Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem orationes habere, sed eas breuissimas, tum & raptim quodammodo iaculatas: ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras euanescat, atque hebetetur intentio. *hac ille*. Ad hoc autẽ huiusmodi oratiunculæ instituuntur, vt nimirum animæ deuotæ cum sponso suo cælesti, continuè, humillimè ac intimè conuersanti, ad iugiter in silentio & spiritu colloquendum deseruiant.

Notandum septimò, quod ad huius testamenti ascetici, pacta spiritualia formanda ac producenda, quatuor concurrere debent. *Primum* est, Enunciatio quædam, seu propositio certæ alicuius orationis, paucis nimirum verbis res multiplices, vel alias conceptus varios amoris diuini profundorum ac stupendorum mysteriorum, comprehendentis. *Secundum*, Eleuatio mentis ac ipsius constitutio in fide, spe & charitate, siue formali ac explicita, siue virtuali ac implicita. Tunc autem constituitur mens in fide formali ac explicita, quando

ipso

ipso actu elicito credit: in virtuali verò ac implicita, quando actualiter sperat vel amat. Et è contrario, tunc mens constituitur in spe vel charitate formali ac explicita, quando ipso actu elicito sperat vel amat: in virtuali verò ac implicita, quando ipso actu elicito credit: ratio huius est, *tum* quia fides, spes, charitas mutuâ se iuuant operatione: *tum* quia mens ex sui debilitate, actualiter pluribus expressè nequit intendere. Verum vt mens perfectè eleuata esse censeatur, tres debet superare ascensus: quorum *primus* est, quando ab istis exterioribus ad interiora sui ascendit; quod fit consideratione mundi & contemptu. Amor enim rerum terrenarum (*Vt ait S. Isid.*) viscus est pennarum spiritualium. *Secundus*, quando ascendit ab interioribus sui, supra seipsam; quod fit cognitione & contemptu suimet: vbi enim homo sua & seipsum deserit, ibi Deum supra se inuenit. *Tertius*, quando in Deum quem iam inuenit, ascendit; quod fit contuitione & amatione ipsius Dei.

Hinc est, quod mens in perfecta sui eleuatione, tribus indiget iuuari sursum actiuis virtutibus, quas puta esse *humilitatem, puritatem, & confidentiam*: per humilitatem enim, mens deserit seipsam & omnia sua; per puritatem verò, tanquam ab omnibus expedita, sursum tendit; per confidentiam tandem ad Deum peruenit & in Deo quiescit, tanquam

in termino ac vltimo fine. Iuuabitur quoque mens erectione versus cælum suæ corporalis faciei, ac sursum eius oculorũ intentione; nec non, pectoris vna manu tactione, aut etiã ambabus in crucis formã positis, constrictione.

Tertium, Apprehensio simplex, breuisq; recogitatio conceptuum ac mysteriorum, in illis paucis verbis inclusorum. *Quartum* est, Ipsorum scilicet mysteriorum, voluntatis affectu, grata ac feruida exceptio & amplexio. His iam præmissis, ad scalas ipsorum spiritualium pactorum, seu actuum contemplationis ac inuentionum Diuini amoris veniendũ est.

SCALA I.

Pactorum amoris gratuiti seu gratiosi.

PACTVM I.

Amoris incomparabilis.

Quis mihi tribuat, vt diligam te amore incomparabili.

HÆc verba, quotiescunque ô IESV mi suspirando corde ac ore dixero, moxq; substitero, toties intendo & affectuosissimè cupio te diligere supra omnia: imo quoq; hoc ipso reuera magis te diligo quo ad comparationem & appretiationem, quam meipsum ac omnem creaturam, quocunque modo ad me spectantem ac pertinentem, *Amen.*

Notandum est, quod præsens amor Dei, est

amor

amor necessitatis, seu, de necessitate salutis: vnde quoque infimus est, tanquam communis omnibus electis: natura autem istius amoris est, tum omne peccatum mortale ab anima expellere; tum voluntatem in obseruantia legis præcepti stabilire ac firmare; tum amorem bonorum temporalium moderari, ac practicâ diuinorum æstimatione superare.

PACTVM II.

Amoris incontaminabilis.

Quis mihi tribuat, vt diligam te amore incontaminabili.

HÆc verba, quotiescunque dixero, toties ô IESV mi, cum tota efficacia cordis mei diligere te cupio ac intendo amore incontaminato ac incoinquinato dilectione mundanorum; semperque tecum expedito, immaculato, & puro corde, iugiter conuersari ac permanere desidero, *Amen.*

Notandum est, quod præsens amor Dei, est amor supererogationis ac proprius incipientium vitam spiritualem, cuius sunt tria officia: quorum *primum* est, contemnere nimirum & abnegare mundum seu eius honores, possessiones & voluptates (per studium & cultum religiosæ obedientiæ, paupertatis & castitatis) quæ alias in priori gradu infra Deum non illicitè diligebantur. Minus enim Deum amat (*iuxta D. Aug.*) qui cum Deo aliquid amat,

quod propter Deum non amat. Et secundum *S. Greg.* Tanto quis ab amore Dei disiungitur, quanto inferius delectatur: & citius ad Deum (*conuersione practica & anagogica*) conuertitur, qui non habet in hoc sæculo, vnde delectetur. Et secundum *D. Anselm.* Creatura rationalis nihil debet diligere, nisi Deũ, aut propter solum Deum. *Alterum* officium est, custodire ac defendere amantem à quouis veniali peccato, ex deliberatione videlicet ac industria veniente, quo alias motus charitatis impeditur & affectus refrigeratur ac maculatur. *Tertium* est, præseruare amantem ab omni passionum perturbatione, & conseruare illum cum amato in quiete solitudinis.

PACTVM III.

Amoris infatigabilis.

Quis mihi tribuat, vt diligam te amore infatigabili.

O Domine quotiescunq; dixero verba hæc, ex profundo cordis mei; toties integrâ affectione meâ, cupio ac desidero diligere te amore nulli vnquam labori cedente, quem requirit vitæ spiritualis profectus; ac sub vlla difficultate deficiente, sine qua non venitur ad veram virtutem, *Amen.*

Notandum est, quod præsens amor Dei, proprius est proficientium in vita spirituali, cuius quinque sunt officia. *Primum* est, effi-

cere

cere in anima desiderium, optimè proficiendi in virtutibus, & feliciter perueniendi ad perfectionem. *Secundum*, roborare animam, vt nullâ vnquam frequentiâ tentationum, laborum, ac difficultatum asceticarum, fatigetur; & assiduitate ac multitudine spiritualium exercitiorum, proposita eius, conatus & intentiones frangantur. Vnde *S. Greg. de istius amoris natura sic ait, dicens.* Amor Dei operatur magna, vbi est: si verò operari renuit, aut non operatur, amor non est. *Tertium* est, iucundos animæ asceticos reddere labores. Vnde *S. Aug.* Nullo modo onerosi sunt labores amantium, sed ipsi delectant, sicut venantium, piscantium, aucupantium & cæterorum talium: in eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur. *Quartum*, perpetuo instigare animam ad quærendum amatũ, donec inuenitur per plenam ac perfectam amationem & practicam cognitionem. Vnde *Orig. super illud Cant.* 3. In lectulo meo quæsiui, &c. *sic ait.* Quærendus es Domine cum frequentia laboris: nunc in lectulo, lumine veritatis: nunc per noctes, feruore charitatis, abiecta superstitione naturalis rationis. Solus amor te inuenit: quia qui te amat, te habet vt amet, amat vt habeat, & ne in æternum perdat. *Quintum* est, separare ab amante, omne amato dissimile: nam dicit Scriptura *Eccl.* 13. Homo simili sui sociabitur.

PACTVM IV.
Amoris inseparabilis.

Quis mihi tribuat, vt diligam te amore inseparabili.

HÆc verba, quotiescunque ô IESV mi ex intimo cordis mei dixero; toties affectuosissimè concupisco, semper te diligere, illo scilicet amore, qui me nulli vnquam negotio (iuxta modum huic tempori donatum) tum naturæ, tum vitæ actiuæ, à te iam inuento, & comprehenso, ac à tui iucunda contemplatione, separari & alienari permittat, *Amen.*

Notandum est, quod præsens amor Dei proprius esse dicitur contemplatiuorum, qui tantæ virtutis est, vt continuis stimulis agitet contemplatoris mentem, ad contemplandū dilectum, comprehendendum & tenendum. Vnde *S. Bern. in illud Cant.* 3. Inueni quem diligit anima mea, &c. *sic ait.* Quis te non teneat Domine IESV, qui tenentem te spe fortificas, perfectione decoras, perseuerantiâ conducis? Ego autem non dimittam te, nisi benedixeris mihi, & nunquam dimittam te; quia non benedicis, nisi tenentem te.

PACTVM V.
Amoris insuperabilis.

Quis mihi tribuat, vt diligam te amore insuperabili.

Hæc

HÆc verba ô IESV mi quotiescunque ex profundo cordis mei suspirando dixero; toties ardentissimè desidero te diligere, illo scilicet amore, qui nullis vnquam frangatur huius mundi prosperitatibus, & nullis superetur præsentis sæculi aduersitatibus, *Amen.*

Notandum est, quod præsens amor proprius est Christi martyrum, & quorumuis eius sectatorum, sub quacunque prosperitatis & aduersitatis persecutione non succumbentiū: quorum alij in refrigerio iam vitæ æternæ illud decantare perhibentur, quod est *Psal.* 45. Transiuimus (*non succumbentes*) per ignem (*aduersitatum*) & aquam (*prosperitatum*) & eduxisti nos in refrigerium. Et alij hic adhuc peregrinantes ac militantes, cum Apostolo aiunt *Rom.* 8. Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? (sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis) sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. De natura ac virtute amoris huius sic ait *D. Aug.* Nihil tam durum atque ferreum, quod non igne amoris vincatur.

PACTVM VI.

Amoris insatiabilis.

Quis mihi tribuat, vt diligam te amore insatiabili.

QVotiescunque Domine mi, hæc verba ex intimo cordis mei suspirando dixero, toties tota cordis mei efficacia diligere te exopto, amore nimirum illo, quo semper maior in anima mea sitis seu cupiditas accendatur, magis ac magis perpetuo affectu & effectu te amandi ac diligendi, *Amen.*

Notandum est, præsentem amorem tantæ esse virtutis ac tanti desiderij, vt nihil ei sufficiat, præter vnum solum quod sitienter amat; quodque dum sitit, bibit; bibendo autem sitim non extinguit, sed quo amplius bibit, eo amplius sitit: quia auidi & insatiabilis amoris ac desiderij sitis vel esuries non sedatur sed irritatur, iuxta illud *Eccl.* 24. Qui edunt te, adhuc esurient; & qui bibunt te, adhuc sitient. Et iuxta *D. Bern.* Qui te gustant, esuriunt: qui bibunt, adhuc sitiunt. Desiderare nesciunt, nisi IESVM quem diligunt.

Amor huius loci proprius est contemplatiuorum, actiuorum, zelosorum & passiuorum Dei. *Contemplatiuorum* quidem proprius est, qui scilicet, quo magis diligunt Deum, eo magis eum contemplantur: & quo magis contemplantur, eo magis diligunt: & quo magis diligunt, eo minus putant se eum diligere: ac proinde semper maiore illius amore concupiscunt inardescere, magisq́ue magis in eo iugiter sitiunt crescere ac proficere, ita vt huius profectus modum ac finem non habeant. *Actiuorum* autem, qui scilicet vehementi amore Christi

Christi inflamati, quo plura virtuosa ac bona opera faciunt, eo minus putant ac iudicant se aliquid boni fecisse: ac proinde semper de nouo bona agere incipiunt. *Zelosorum* quoq; præsens amor proprius est, qui nimirum zelo Christi ac desiderio Apostolico succensi, omnes ad amandum Deum trahere contendunt (iuxta illud *S. Aug.* Si amatis Deum, rapite omnes ad amorem Dei.) & quo plures doctrinâ suâ, oratione & exemplo ad Deum conuertunt, eo magis conuersionem & salutem animarum quærunt ac sitiunt. *Passiuorum Dei tandem*, qui scilicet, quantò plures pro Deo ac eius veritate & iustitia patiuntur aduersitates, tantò magis ob eandem causam pluribus malis affici desiderant: dumq; sic afficiuntur, habent se, ac si nihil adhuc aduersi sustinuissent: quique, ita ad Christum vehementi æstuant desiderio, vt ad eum per quæuis dira tormenta venire cupiant, iuxta illud *Philip.* 1. Desideriũ habeo dissolui, & esse cum Christo.

Hos gradus Diuini amoris in præsenti recensitos, *D. Bonau.* satis luculenter explicat *Itinere æternitatis* 4. *d.* 5. *art.* 1. quos alias SS. Patres à mundanis hominibus acceperunt, cùm scilicet eos cernerent amare bona huius mundi, *tum* amore incomparabili. *hoc est*, supra Deum ac bona æterna: seu, incomparabiliter magis quàm Deum & sancta ipsius mandata, quorum obseruatione promeretur vita æterna. *Tum* amore incontaminabili;

quod faciunt, dum non acceptant illos concionatores & confessarios, per quos ab amore mundi immoderato & excessiuo, ad amandum Deum, sanâ scilicet doctrinâ, pijsque persuasionibus ducantur, ne (vt aiunt) ipsorum scrupulis contaminentur. Sic Achab (vt est 1. *Reg.* 22.) odio habebat Michæam: quia non prophetabat ei bonum, sed malum. *Tum* amore infatigabili, quod faciunt, dum nullius ferè laboris ac studij molestiam sentiunt, in congregandis nimirum ac inquirendis huius sæculi bonis: heu gementes dicturi aliquando illud *Sap.* 5. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, &c. *Tum* amore inseparabili: quod faciunt, dum ab eorum memoria & affectu nunquam dimittuntur. *Tum* amore insuperabili, quod fit, dum nec beneficijs Dei, nec iustorum admonitionibus & bonis exemplis, nec timore iudiciorum Dei, nec horrore pœnarum infernalium, propositum illorum, bona huius mundi per fas (vt aiunt) & nefas conquirendi, superari ac immutari potest. *Tum* denique amore insatiabili, quod faciunt dum quo magis abundant huius mundi bonis, eo magis illa inuidendo alijs, augeri sibi toto corde concupiscunt.

SCALA II.

Pactorum amoris gratitudinis.

PACTVM I.

Confessionis.

Domine

Domine Deus, propter te, & supra omnia.

HÆc verba quotiescunque Domine mi ex profundo cordis mei suspirando dixero, toties coram te ac tota tua cælesti curia, ipso actu intendo peccata mea detestari in æternum. Propter te (Vtpotè) summè bonum & summè amandum: ac propter tui solius offensam, non autem propter bonum quodcunque temporale vel æternum per tuam iustitiam à me alienandum, aut malum præsentis vel futuri sæculi mihi à te infligendum. Et supra omnia (Vtpotè) mundanorum detestabilia. *Item*, toties displicent mihi peccata mea in æternum. Propter te (Vtpotè) summè delectabilem ac iucundum & suauem. Et supra omnia (Vtpotè) mundanorum abominabilia. *Item*, toties fugio peccata mea in æternum, ac omnem eorum fugere occasionē intendo. Propter te (Vtpotè) summè appetendum ac desiderandum. Et supra omnia (Vtpotè) mundanorum fugibilia. *Item*, toties Domine mi, tota meæ voluntatis efficacia adhæreo legi tuæ benedictæ ac sanctis tuis mandatis in æternum. Propter te (Vtpotè) summè sapientem, & iusta ac sancta præcipientem. Et supra omnia (Vtpotè) mundanorum concupiscibilia. *Item*, toties Domine Deus inhærere tibi volo plenâ fide, firmâ spe & charitate perfectâ, tanquam supremæ veritati, largitati & boni-

tati. Propter te (*Vtpote*) summè colendum, desiderandum & diligendum. Et supra omnia (*Vtpote*) credibilia, sperabilia & amabilia mundanorum. *Vel*, supra omnia, *id est*, magis, quàm omnibus credibilibus, desiderabilibus & amabilibus, *Amen.*

PACTVM II.

Gratiarum actionis.

Domine Deus, tibi gratias ago.

HÆc verba quotiescunque Domine mi, ex intimo animæ meæ, suspirando dixero, toties gratias immortales referre tibi intendo, pro tuis cunctis beneficijs, mihi indigno liberaliter collatis. Quod nimirum ad imaginem & similitudinem tuam me creaueris, & capacem tuæ cognitionis & dilectionis reddideris. Quod me hactenus conseruaueris, & ad mei conseruationem & recreationem cuncta necessaria condideris. Quod me ex fidelibus tuis, & inter fideles nasci, baptizari & catholicè educari volueris. Quod me vt confido, ad vitam æternam prædestinaueris, quam scilicet in hac vita per spem iam possideo, ac re ipsa in futura possidere cupio. Quod me ad hanc sanctam N. Religionem congrua efficacique traxeris vocatione, ac de tenebris multorum peccatorum mundanæque vanitatis in lucem cognitionis & imitationis tuæ transtuleris. Quod me tam multis gratijs ac sanctis inspirationibus tuis præueneris, concomitatus

& sub-

& subsequutus fueris, vnde nascuntur mihi piæ cogitationes, spiritualia desideria, sancta & æterna proposita, firmitas ac stabilitas & perseuerantia in bonis inchoatis. Quod me à multis periculis, animæ nimirum & còrporis auxilio tuo efficaci præseruare volueris: & à pluribus malis, disciplinâ tuâ & paternâ correptione eliberaueris. Quod Sacramenta salutaria, præsertim verò pœnitentiæ & Eucharistiæ, ad stolam animæ meæ dealbandam, & ex quotidianis defectibus abluendam, institueris.

Item, toties tibi Domine Deus gratias immortales reddere intendo, tum pro his, tum pro omnibus alijs beneficijs, siue à me cognitis, siue tibi soli notis, quæ mihi & cunctis meis fratribus huius Conuentus, ac totius Prouinciæ, & vniuersi Ordinis nostri, imo & omnibus tuis fidelibus, qui sunt, fuerunt, & erunt, contulisti, confers & conferre decreuisti. *Item quoque* pro cunctis beneficijs, quæ omnibus Sanctis & Angelis, ipsique Beatissimæ Virgini Mariæ, & sacrosanctæ humanitati à Verbo Diuino assumptæ, tribuere dignatus es, tota cordis mei efficacia, imo quantum possum, affectu omnium tuorum intimorum, æternas gratiarum actiones reddo tibi ac persoluo in æternum, *Amen*.

PACTVM III.

Laudationis.

Domine Deus, te laudo.

HÆc verba quotiescunque suspirando ex corde dixero, toties ô IESV mi, laudare te intendo, ac re ipsa laudo, tam coram tota tua Ecclesia, militante scilicet ac triumphante; quam coram vniuersa Sathanæ Synagoga, quæ est in hoc mundo & inferno, de omnibus tuis perfectionibus Diuinis, quas habes vna cum Patre tuo æterno & Spiritu sancto: *ac præsertim* laudo te ex tua omnipotentia, quæ est ad extra, & maximè in creatione totius vniuersi elucet: *item*, ex tua sapientia, quâ mirabiliter cuncta quæ creâsti conseruas: *item*, ex tua misericordia, quâ victus mundum redemisti: *item*, ex tua bonitate, quâ pulsus impios iustificas: *item*, ex tua iustitia, secundum quam reddis vnicuiq; iuxta opera eius: *item*, de alijs quibuscunque huiusmodi perfectionibus, quas tibi sacra attribuit Scriptura.

Deinde, toties laudo te de tuis perfectionibus humanis, quibus clarebas operando salutem nostram in medio terræ: *vtpotè*, de tua humilitate, patientia, obedientia, paupertate, castitate, ac de omnibus alijs virtutibus & cunctis operibus mirabilibus. *Imo quoque* laudare te intendo ex tota cordis mei efficacia, laudibus videlicet omnium tuarum creaturarum, maximè verò laudibus omnium fidelium & iustorum tuorum præsentis Ecclesiæ militantis, qui nimirum sunt, fuerunt & erunt: ac

etiam laudibus omnium Sanctorum & beatorum spirituum, quibus te perpetuo laudant & superexaltant: nec non, laudibus, quibus te Beatissima Virgo Maria mater tua, ac ipsa etiam sanctissima humanitas tua, in æternum laudare non cessat, *Amen.*

PACTVM IV.
Oblationis.

Domine Deus, tibi offero.

HÆc verba ô IESV mi, quotiescunque ex intimo cordis mei, suspirando dixero, toties intendo cum tota efficacia animæ meæ, Maiestati tuæ cuncta infrascripta offerre. *Inprimis autem* offero tibi Domino Deo meo, meipsum in perpetuum seruum ac mancipiũ, tam secundum corpus quàm secundum animã, tam in vita quàm in morte, tam in prosperitate quàm in aduersitate, tam in tempore quàm in æternitate, cum plena abnegatione & resignatione proprij mei amoris, propriæ voluntatis, & proprij iudicij, ad omne tuum sanctum beneplacitum. *Deinde,* offero tibi Deo meo, pro maiori scilicet gloria tua omnia mea sacrificia; omnes meas orationes tam vocales quàm mentales; omnia mea ieiunia, tam internarum quàm externarum mortificationum; omnes meas eleemosynas, tam corporalium quàm spiritualium operum pietatis; & omnia mea opera indifferentia, quæ nimirum

sunt

sunt in te referibilia, vt est comedere, bibere, dormire, decenter vestiri, honestè recreari, &c. *Demum* offero tibi Deo meo, omnia alia huiusmodi sacrificia, omnes orationes, omnia ieiunia, omnes eleemosynas, & omnes actus indifferentes, omnium scilicet fratrum meorum huius nostri Conuentus, totius Prouinciæ, ac vniuersi Ordinis; imo quoque, omnium tuorum fidelium cuiuscunq; status, conditionis & vocationis, qui vnquam fuerunt, sunt & erunt vsq; ad sæculi huius consummationem. *Tandem* Domine Deus, toto corde meo, offero tibi in æternum, omnia merita omnium electorum tuorum ac vniuersæ cælestis curiæ, ipsiusq; Beatissimæ Virginis Mariæ matris tuæ, & sacrosanctæ humanitatis à te assumptæ, ad tuam perpetuam maiorem gloriam, *Amen*.

PACTVM V.

Petitionis.

Domine Deus, à te peto.

HÆc verba, quotiescunque ô IESV mi suspirando dixero, toties suppliciter te Deum meum orare intendo, vt mihi plenam mei & tui cognitionem largiaris, vt mihi peccata mea dimittas, illaq; æterno odio me habere facias: vt voluntatem tuam sanctam semper impleam, ac legi tuæ benedictæ in perpetuum obediã: vt mihi infundas & continuo

tinuo augeas virtutes Theologicas & morales, nec non dona, benedictiones & fructus Spiritus sancti: vt per gratiam tuam assequar erga omnes Sanctos tuos, ac præsertim erga Beatissimam Virginem Mariam, matrem tuã pijssimam, veram deuotionem: vt mihi concedas pium & reuerentem affectum erga omnes Ecclesiæ tuæ sanctæ prælatos, ac præsertim erga Summum Pontificem, qui est illius caput: & erga meos superiores, qui hic tuum tenent locum, ac meæ curam gerunt animæ: imo, vt omnia quæ tu nôsti ad salutem æternam consequendam esse necessaria, mihi conferre digneris. *Toties* quoq; Domine mi clementissimè à te obnixè peto, vt hæc omnia postulata, non solum mihi ipsi tribuere velis; verum etiam & omnibus fratribus meis huius Conuentus, ac totius Prouinciæ & vniuersi Ordinis: nec non omnibus tuis fidelibus, qui sunt, & vsque ad sæculi huius consummationem erunt.

Toties denique cernuus à te peto, vt tuum Vicarium, Romanum scilicet Pontificem, cum omnibus Cardinalibus & Episcopis, ac omnibus spiritualibus cuiuscunque statns & Ordinis; nec non omnes Principes Christianos cum vniuerso eorum populo, præsertim Regem nostrum cum omnibus proceribus Regni huius, ac totâ plebe, tuo semper auxilio protegas: omnesque peccatores, hæreticos, schismaticos, & quoscunque alios infideles ad te

conuer-

conuertas: deniq; omnibus fidelium animabus in purgatorio existentibus, requiem æternam concedas, *Amen.*

SCALA III.

Pactorum Amoris conformatiui.

PACTVM I.

Resignationis.

Omnia volo, nihil volo, in toto corde meo in æternum.

HÆc verba, quotiescunque Domine Deus ex intimo cordis mei suspirando dixero, toties ob tui amorem & imitationem ac beneplaciti conformitatem, animo resignatissimo. *Omnia Volo* pati mala in æternum, tam videlicet præsentis quàm futuri sæculi, si tu vis me illa pati: & *Nihil Volo* mali facere in æternum, iuxta tuam præceptionem. *Amen.* Porro, Toties *Omnia Volo* bona agere cum auxilio gratiæ tuæ, tam videlicet necessitatis quàm supererogationis, ad maiorem gloriam nominis tui & proximorum vtilitatem: & *Nihil Volo* boni expectare in æternum, tam præsentis quàm futuri sæculi, præter vnicam tuam gratiam & ipsum amorem tuum. *Amen.* Hæc enim tuæ voluntatis duo esse vestigia scio Domine Deus. Bona videlicet agere, & nulla bona expectare: Mala pati, & nulla mala facere.

PACTVM

PACTVM II.
Indifferentiæ.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.

HÆc verba Domine mi, quotiescunque ex profundo cordis mei suspirando dixero, toties paratus sum, ob imitationem, conformitatem, amorem & gloriam tui maiorem, ad ferendam quamcunq; mihi imposueris fortunam, secundum tuam ordinationẽ piissimam.

Vnde est, quod *paratus* sum ad mortem, paratus ad vitam: *paratus* sum ad infirmitatem, paratus ad sanitatem: *paratus* sum ad aduersa patienter ferenda, paratus ad prospera humiliter sustinenda: *paratus* sum ad infamiam perferendam absque iusta causa, paratus ad bonam famam propter opera virtuosa: *paratus* sum ad omnem hominum despectionem propter meum multiplicem defectum, paratus ad gratiam propter multorum profectum: *paratus* sum ad subeundam dishonorationem propter me, paratus ad ferendam honorationem propter te: *paratus* sum ad obediendum dyscolo ac seuero superiori, paratus ad parendum discreto & humano: *paratus* sum ad habitandum in hoc Conuentu paratus ad transeundum ad quemcunque alium locum: *paratus* sum ad manendum cum fratribus mihi gratis & amicitia speciali coniunctis,

ctis, paratus cum fratribus mihi contrarijs: *paratus* sum ad perferendam desolationem spiritualem, paratus ad experiendam cælestem consolationem: &c. &c. *Amen.*

PACTVM III.
Vnionis.

O IESV, vni me tecum inseparabiliter.

HÆc verba quotiescunque Domine mi suspirando dixero, toties intendo & affectuosissimè cupio me vnum fieri tecum in æternum per *adhæsionem*, *conformitatem*, & *comprehensionem* tui perpetuam. *Amen.*

Notandum est primò, quod præsens *adhæsio*, per quam vnum efficimur cum Christo Deo nostro (iuxta illud 1. *Cor.* 6. Qui adhæret Deo, vnus spiritus est) alia est *communis*, alia *specialis*. Communis nihil aliud notat, quam coniunctionem amicitiæ, quæ habetur per obseruantiam mandatorum Dei, & fugam omnium iniquitatum. De huiusmodi adhæsione illud est *Deut.* 10. Dominum Deum tuum timebis, & ei soli seruies, iurabisque in nomine illius. Et *cap.* 11. Diligatis Dominũ Deum, adhærentes ei. Specialis adhæsio est, quando quis omnibus relictis ac spretis quæ mundi sunt, propter amorem Dei & Christi eius imitationem, seipsum perfectè abnegat; ac amore sui plenè mortificato, voluntateque

sua voluntati Diuinæ per exercitia perfectarum virtutum coniuncta, tranquillus & liber in omnibus quæ sibi eueniunt permanet.

Conformitas, de qua habetur *Rom.* 8. Quos præsciuit & prædestinauit (*illos voluit*) conformes fieri imagini filij sui, alia est *necessitatis*, alia *supererogationis*. Prima dicit accommodationem ac assimilationē voluntatis nostræ Diuino beneplacito, in his quæ sunt secundum legem præcepti. Altera est, quæ facit voluntatem nostram voluntati Diuinæ similem & configuratam, in his quæ sunt secundum legem consilij.

Comprehensio duplex est, vel alias complexio ac tentio, amati scilicet ab amante, de qua illud habetur *Cant.* 3. Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam. *Altera*, quâ Deum complectimur, tenemus ac possidemus, mediante eius effectu gratiæ habitualis. *Altera* est, quâ complectimur Deū, mediante illius experimentali notitiâ.

Notandum secundò, quod vnio amantis animæ celebratur cum amato, per huiusmodi adhæsionem, conformitatem & comprehensionem, quando anima amore sponsi sui cælestis vulnerata, *id est*, commota ac inflammata, in sui sursum actione, flammigeraque ac amorosa eleuatione, mox omnem dissimilitudinem quarumcunque defectionum & imperfectionum suarum deponit, ac in eadem flamma comburit: perurgentibusque expostulationibus

bus ab amato impetrat sibi omnium virtutum & perfectionum infusionem, ac iucundæ intimæque illius præsentiæ impressionem: vbi sic illi copulatur & vnitur, vt & ipsa amans anima, fit omnino in amato, & amatum (*id est*, sponsus cælestis) in amante, quamuis sub diuersa ratione. *Quatenus* enim ille amor intimus, quo sponsa amans sursum agitur, amantem informat: sic amatum est in amante, media scilicet sui *similitudine* & *affectione*. Mediâ quidem *similitudine*, quando amans cupiens habere amatum intimè sibi vnitum, apprehendit speciem, amati vicem gerentis, ac inde producit actum intellectus, si alias infusum cælitus non accipit; qui idem est quod verbum mentale, cognitio intellectiua, & imago ac similitudo formalis amati. Mediâ verò *affectione*, amatum est in amante, quando amans producit affectũ seu amoris affectuosi actum, si quoque diuinitus infusum non habet, qui ipsius amati vicem gerit. *Quatenus* verò ille amor terminatur ad amatum: sic amans est in amato terminatiuè.

PACTVM IV.

Transformationis.

O IESV, transforma me totum in te.

HÆc verba quotiescunque suspirando dixero, toties cum intimis meis desideriis cupio, ô IESV mi, secundum esse meum actuale, in tuum deficere ac transmutari, & iam non

meâ

meâ sed tuâ vitâ viuere ; ita vt idem tecum sit meum velle & nolle, idem sentire & dissentire, idem experiri & pati, eundem denique affectum habere & in illo iugiter proficere, ac maximè in affectu contemptus mei, & dilectionis inimicorum, *Amen*.

Notandum est, quod transformatio & vnio apud Ascetas & Mysticos, aliquando idem significant ac pro eodem accipiuntur, aliquando plus valet transformatio quàm vnio. *Tum* quia amans anima, amato vnita, dicitur adhærere & conformari amato, ac etiam comprehendere amatum, & comprehendi ab amato : transformata verò, dicitur cum eodem amato in profundo sui habitare, conuersari, deambulare, sermocinari, & quiescere in oblectatione & lætitia ineffabili. *Tum* quia vnio, in ipsa introuersione & eleuatione spiritus consummatur, & per extrauersionem seu ad exercitia vitæ actiuæ conuersionem soluitur ; transformatio autem stat & manet cum extrouersione spirituali, quàm nonnunquam requirit. Vnde amans anima amato vnita, dicitur in sui amati desinere similitudinem, non nisi secundum spiritualium suarum potentiarum actiones, dum idem cum illo affirmat & negat, idem vult & non vult : transformata verò, desinit etiam secundum ipsarum virium organicarũ, dum idem cum illo operatur & patitur, idem sentit & experitur. *Tum* quia vnio amantis cum amato non celebratur nisi mediante ac

præce-

præcedente annihilatione animæ per summã humilitatem: transformatio verò, nisi mediâ experientiâ ac sufferentiâ magnarum persecutionum, per summam patientiã. Vnde amans anima, sicut amato cui vnita est, in minimo summopere displicere timet, ita & in omnibus placere studet; ac inde est quod amat multum suos inimicos: transformata verò, gaudet in aduersis, benè faciens quantum potest suis aduersarijs. Ex his patet, vnionem esse effectum vitæ contemplatiuæ; transformationem verò, vitæ mixtæ.

PACTVM V.

Exultationis.

Viuat Rex noster IESVS. Viuat, viuat.

HÆc verba exultationis & acclamationis meæ, quotiescunque ô IESV mi suspirando dixero, toties toto affectu intendo ac desidero, omnem creaturam rationalem ac intellectualem, quæ est in cælo, & in terra, & subtus terram, excitare & permouere ad gaudendum, lætandum & exultandum in te Deo meo, de tuis bonis ac perfectionibus, quas habes tanquam Dominus dominantium & Rex regnantium in æternum, *Amen.*

Notandum est, quod cum anima exultans in Deo suo, præsens elicit pactum, clamans videlicet in persona omnium electorum militantis Ecclesiæ, ad omnes incolas cælestes, & ad animas in purgatorio existentes; ac deinde, omnium

pium istorum nomine, gaudenter sibi ipsi reclamans, toto corde eligit ac reeligit amorem Iesvm in Deum ac Dominum suum, eumq; proclamat ac denunciat Regem esse omnium sæculorum, & gratulatur ei vitam omnimodè beatam & felicem in æternum: vultque ex intimo affectu ac ex abundantia sui cordis illum esse *omnipotentem* (sicuti alias est) *sapientem, iustum, clementem, misericordem, diuitem, æternum, immutabilem, &c.* Omnipotentem quidem, vt timeatur, adoretur & honoretur ab omnibus creaturis rationalibus & intellectualibus. Sapientem, vt eum omnes imitentur ac ei obediant. Iustum, vt ab omnibus laudetur & benedicatur, quod scilicet vnicuique secundum opera eius retribuat, quamuis iusto supra meritum, & iniusto ac impio citra condignum. Clementem, vt omnibus verè ac sincerè pœnitentibus, facillimè sit propitius. Misericordem, vt omnes homines afflictos ac in quacunque miseria & necessitate constitutos, benignè suscipiat & consoletur. Diuitem, vt omnes qui inuocant nomen eius, in palatio gloriæ suæ ditare valeat. Æternum & immutabilem, vt absque aliqua perturbatione in sempiterna pace ac tranquillitate regnum illius permaneat.

SCALA IV.

Pactorum Amoris beneuolentiæ.

PACTVM I.

Amoris iuſtitiæ Amati.

Amo tuam iuſtitiam.

HÆc verba quotieſcunque ô IESV mi ſuſpirando dixero, toties affectuoſiſſimè mihi complaceo in tua iuſtitia, per quam & te ipſum ad mortem crudeliſſimam condemnâſti pro noſtris peccatis; & me famulum tuum varijs pœnis & afflictionibus in præſenti vita adiudicâſti, quamuis citra condignum: *tum ſcilicet*, vt hoc ipſum, eſſet mihi ſignum gratioſi amoris tui: quos enim amas; caſtigas, & arguis: *Tum*, vt inde conijciam, quod in futuro ſæculo mihi indigno ſeruo tuo parcere, miſereri, & indulgere decreueris. *Amen.*

PACTVM II.

Amoris potentiæ Amati.

Amo tuam potentiam.

HÆc verba, quotieſcunque ô IESV mi ſuſpirando dixero, toties mihi affectuoſiſſimè complaceo in tua potentia: per quam non ſolum cuncta benè feciſti; ſed & pro nobis patiens, omnia tormenta mortis, glorioſè viciſti: & me ſeruum tuum in qualibet neceſſitate ad te ſuſpirantem & clamantem, contra omnes meas aduerſitates ac tentationes optimè firmâſti & roborâſti, quas in nomine tuo in finē ſuperare confidenter ſpero. *Amen.*

PA-

PACTVM III.

Amoris sapientiæ Amati.

Amo tuam sapientiam.

HÆc verba, quotiescunque ô IESV mi suspirando dixero, toties affectuosissimè mihi complaceo in tua sapientia: per quam in hoc mundo sciuisti reprobare malum, & eligere bonum: & me in præsenti illuminare ac edocere voluisti, ad imitationem tui, omnia huius mundi prospera reprobare & contemnere, tanquam occasiones & principia malorum spiritualium; & quæuis approbare ac eligere aduersa, tanquam semina virtutum, & rationes spiritualium consolationum ac sempiternalium voluptatum. *Amen.*

PACTVM IV.

Amoris bonitatis Amati.

Amo tuam bonitatem.

HÆc verba, quotiescunque ô IESV mi suspirando dixero, toties mihi affectuosissimè complaceo in tua bonitate; quâ semper te habes antecedenter ad conuersionem & vtilitatem inimicorum tuorum; vnde ob imitationem tui, ego quoque peccator maximus, toties intendo ac volo, meos omnes aduersarios præuenire mea benignitate & amore; cordis videlicet, signi, oris, & operis. *Amen.*

PACTVM V.

Amoris misericordiæ Amati.

Amo tuam misericordiam.

HÆc verba, quotiescunque ô IESV mi suspirando dixero, toties mihi affectuosissimè complaceo in tua misericordia: quâ motus, pro nobis mortem subeundo, sanguinem tuum pretiosum cum feruenti ac efficaci oratione, pro tuis crucifixoribus ac inimicis, Patri æterno offerre dignatus es: vnde quoque ego indignus famulus tuus, toties ad imitationem tui, omnia mala quibus me afficiunt mei aduersarij, tibi, cum Patre tuo æterno, pro satisfactione peccatorũ eorum offero in perpetuum: ac toties quantum ex me est cedens iuri meo, omnibus illis do licentiam, mihi maledicendi ac detrahendi, & quauis iniuria me afficiendi, quandocunque & quoticunq; illis placuerit: quâ de re, tam coram te Deo meo, quam coram hominibus, nullam vnquã rationem mihi reddere tenebuntur. *Amen.*

SCALA V.

Pactorum Amoris experimentatiui.

PACTVM I.

Amoris dulcis, seu suauis ac reficientis.

Quando suauitate amoris tui reficiar?

HÆc verba, quotiescunque suspirando dixero, toties ô IESV mi intendo & affectuosissimè cupio, ita amoris tui dulcedinẽ refici,

vt

vt anima mea desolata & lassata, vijs tuis spiritualium profectuum ac piarum meditationũ assistens, ex perceptione huiusmodi tuæ dulcedinis, spiritualiter confortetur & consoletur, ac tota in conspectu tuo liquescat. *Amen.*

Notandum est primò, quod anima vsu Mysticorũ liquescere dicitur (iuxta illud *Cant* 5. Anima mea liquefacta est.) quando deposita omni dissimilitudine sui amati, per abnegationem omnis suæ duritatis, reluctationis, obscuritatis, extrauagationis, proprietatis, obliquitatis, tepiditatis & oscitationis, tota efficitur feruida & mollificata, habilitata & coaptata, ad recipiendam in se perfectæ similitudinis amati impressionem.

Notandum secundò, quod amor suauis ac dulcis, non aliud est, quàm dilectionis Dei motio, cui suauitas cælestis in animam diuinitus veniens ineffabiliter commiscetur. Sicut enim *amor mundanorum*, non est sine suauitate seu delectatione sensuali, per quam & augetur: ita *amor Dei* ac diuinorum, necesse est vt habeat aliquam suauitatem cælestem seu iucunditatem spiritualem, per quam amplius promoueatur, perficiatur & intendatur.

Differt autem amor dulcis ab amore fruitiuo ea ratione; quia *amor dulcis* habet se per modum cuiusdam inuitationis diuinæ ad intimam vnionem: amor verò *fruitiuus*, est, quo spiritus noster inhæret ac intimè vnitur Deo, & in ipso suauiter conquiescit: vnde vbi

est humani spiritus cum diuino intimior vnio, ibi etiam consequenter celebratur eminentior fruitio: & quia *amor dulcis*, non nisi reficit animam in Deum agentem; *fruitiuus* verò satiat ac inebriat in Deo quiescentem.

Notandum tertiò, quod suauitas seu dulcedo huius amoris (*quæ alias vocari solet* delectatio boni, voluptas & iucunditas cælestis, consolatio diuina, deuotio accidentalis, spiritus deuotionis, feruor deuotionis, sensio diuinorũ, exhilaratio ac lætitia spiritualis, gaudium Spiritus sancti, dulcis à Deo & in Deũ affectus, gustus sapientiæ, vnctio spiritus, pinguedo spiritualis, experientia & prægustatio & perceptio saporis seu musti ac vini mystici, amor sensibilis, gratia reficiens, refectio cælestis & gratia sensibilis, quæ animam erudit ac illuminat, & ad inferiora contemnenda facilitat, & ad superiora amplectenda erigit) secundum *D. Bon. lib. 2. de prof. Relig. cap. 71.* dupliciter accipitur, *generaliter* nimirum & *specialiter* (quia bis dicit Apost. ad *Philip. 4.* Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. *tum scilicet* gaudio generali, *tum* speciali) Hac autem ratione altera differt ab altera: quia *prima*, habet se in anima per modum spiritus permanentis; *secunda* verò, per modum spiritus transeuntis: vel quia, *prima* annexa est diuinitus gratiæ inhærenti, & cuilibet virtuti habituali; *secunda* verò, nonnunquam adest ipsi charitati, in Deum scilicet agenti vel

propter

propter Deum operanti, & cuilibet virtuti actuali.

Suauitas generalis idem est, quod mentis quædam hilaritas, nata nimirum ex quieta carnis cum spiritu, & spiritus cum Deo concordatione, & naturalium animæ potentiarũ donis gratuitis decoratione. Vel quoq; idem est, quod gaudium Spiritus sancti, ex bona ad Deum confidentia,& bonæ conscientiæ testimonio proueniens: quod alias reddit hominem omnibus beneuolum,ac paratum ad omnia agenda & sufferenda pro Deo, & promptũ ad cuncta quæ sunt Dei promouenda. De hac suauitate illud est *Ps.* 44. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Et *Ps.* 30. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine,quam abscondisti timentibus te. Et 2. *Cor.* 1. Gloria nostra hæc est, testimoniũ conscientiæ nostræ. Et *D. Aug.* Tu qui veram requiẽ, quæ post hanc vitam Christianis promittitur quæris, etiam hic eam inter amarissimas vitæ huius molestias suauem gustabis, si eius qui eam promisit præcepta dilexeris: cito enim senties dulciores esse fructus iustitiæ quàm iniquitatis, & verius atque iucundius gaudebis de bona conscientia inter molestias, quàm de mala inter delicias.

Suauitas specialis idem est, quod gaudium quoddam ex actuali consolatione spiritus diuini proueniens, quo anima vitæ internæ ad-

dicta, gaudet in Deo de illius bonitate ac cæteris perfectionibus: quod quidem gaudium consolatioq; cælestis, ad hoc animæ rationali non raro diuinitus conceditur, vt inde lassata rebellionibus sensualitatis, & contradictionibus rationis inferioris, & oppugnationibus diuersarum tentationum, ac fatigata laboribus exercitiorum spiritualium & sufferentijs aduersitatum, refectionem & corroborationem spiritualem haberet; ac postea promptior & deuotior euaderet, purius viuendo, & in Dei amore ac pietate magis proficiendo. De hac suauitate illud est *Ps.* 33. Gustate (*labijs affectus*) & videte (*oculis mentis*) quoniam suauis est Dominus. Et *Ps.* 99. Laudate nomen eius, quoniam suauis est Dominus: in æternū misericordia eius. Et *Sap.* 12. O quam bonus & suauis est Domine spiritus tuus in omnibus.

Hæc deinde suauitas specialis *duplex* est, alia nimirum *spiritualis*, alia *sensibilis*. Spiritualis seu intellectualis illa est, quæ non nisi solū spiritum afficit & exhilarat, non defluendo in partem animæ sensitiuam, secundum quam corpori iungitur: vnde fieri aliquando potest, ac non raro accidere solet, quod cum vires superiores, cælitus infusâ serenitate deuotionis perfruuntur; tunc inferiores, nebulâ ariditatis ac diuinæ desolationis obscurantur, & amaritudine illusionum ac tentationum exacerbantur.

Suauitas sensibilis illa est, quæ totam corpoream

poream naturam sic medullitus penetrat & afficit, vt sensus eius exteriores ineffabiliter vegetet, recreet ac reficiat; & superiores, multa serenitate ac mirabili tranquillitate exhilaret: vnde fit, quod homo non sentiat laborē, aut aliquod fastidium & incommodū in profectu vitæ spiritualis; ac totus, quamuis in medio aduersitatum constitutus, exultans, in Deum feratur.

Porro suauitas sensibilis, alia est *incipientium*, alia *proficsentium & perfectorum*. Incipientium quidem non descendit neq; dependet à suauitate spirituali seu intellectuali, sed immediatè in sensum imaginationis, ac inde in vires animales, secundum quas anima corpori alligatur, à Deo instillari solet, vt per eam spiritus recreetur, cuius ratio est: quia etiam ipsi incipientes adhuc sunt animales, non verò rationales ac spirituales. Vnde *D. Bon. lib. 2. de prof. Relig. cap. 76.* inquit. Sunt quædam sensibiles dulcedines & suauitatis experientiæ, quæ à Deo dantur quibusdam nouis & rudibus, qui spiritualia nondum lucidè intelligūt, vt saltem per sensibilia consolentur in Domino: qui virtutem purè spiritualium non cognoscunt, in quibus maior vis est, & certior veritas, & fructuosior profectus, & purior perfectio. *hac ille.*

Vnde quoque suauitas huiusmodi sensibilis incipientium, non semper est magni facienda, ob tres rationes: quarum *prima* est, quia sæpè

conceditur à Deo, non solum verè conuersis, sed etiam & in peccato mortali existentibus. Conuersis quidem, ac iustificatis, verèq; incipientibus datur, vt videant (sicut ait *D. Bon. lib. 2. de prof. Relig. cap. 1.*) quàm largè Deus remunerat sibi seruientes, & quàm bonum est seruire tam dulci Domino: datur *item* ad confirmationem fidei, ad robur spei, ad charitatis accensionem, ac desiderij inflammationem: datur *item* ad eruditionem, vt videant quo pergendum sit: sicut in tenebris lumen ostenditur, vt videatur quo sit eundum & vbi cauendum: datur *item* ad muniendum contra tentationes. Peccatores autem, qui scilicet in peccatis suis mortalibus adhuc permanent, interdum sensibiles gratias seu sensuales delectationes internas accipiunt (*ait Henricus Harphius in Mystica Theologia*) sed illi communiter, quos à mundo & à peccatis Deus vult retrahere. *Secunda* ratio est, quia huiusmodi suauitas, non solum diuinitus animæ instillatur, sed etiam aliquando ex ipsa teneritudine complexionis nascitur: sunt enim aliqui homines tam mollis naturæ, vt dum legunt, cogitant, audiunt & loquuntur de Christi acerba passione, de pœnis inferni, de gloria cælesti, ac de cæteris veritatibus diuinis, facillimè interius compungantur, affectu compatiantur, timore configantur, in lachrymas resoluantur, gaudio afficiantur, & quodammodo liquescant animo: qui deinde per obiecta mun-

danæ prosperitatis aut aduersitatis mente alio euocati, mox etiam ad fabulas, vanitates, oblectationes carnales, & ad alia huiusmodi sine discretione reuertuntur. *Tertia* ratio est, quia quædam suauitas sensibilis, aliquando etiam à spiritu maligno incipienti procuratur, vt inde miser fiat elatus, & perfectum se esse existimet ac Deo summoperè charum, iamq; studia externæ & internæ mortificationis negligat; ac tandem deficiente huiusmodi suauitate, putans se à Deo esse derelictum, ex indignatione & desperatione retrò aspiciat, & in pristina peccata facilè recidat.

Proficientium & perfectorũ suauitas sensibilis, includit intellectualem seu spiritualem: quia proficientibus & perfectis præsens suauitas diuinitus infunditur in superiores ac spirituales vires (eò quod & ipsi iam sint rationales & spirituales) à quibus mox defluit in sensualitatem, quam sic afficit & exhilarat, vt non sentiat præsentis vitæ labores, incommoditates, difficultates & aduersitates. Hâc suauitate Propheta repletus ait *Psal.* 83. Cor meum (*id est*, spiritus meus) & caro mea (*id est*, sensualitas mea) exultauerunt in Deum viuum. Vnde *D. Bon. lib.* 2. *de prof. Rel. c.* 76. Prouectioribus in spiritu consolationes sensibiles dantur, propter redundantiam interioris dulcedinis: vt sicut anima communicat corpori suo quasi comiti ac socio viæ passiones suas; ita communicet ei & consolationes.

Tristante enim interius anima, etiam corpus tabescit exterius: sicut ergo corpus collaborat spiritui, & compatitur in merito, ita dignè comparticipat & conremuneratur ei in præmio, non solum futuræ gloriæ, sed etiam præsentis gratiæ. *hac ille.*

Notandum quartò, quod si quis voluerit hac proficientium & perfectorum suauitate sensibili, alias vera, infallibili ac depurata refici (nam incipientium sæpè falsa ac fallibilis est, vel ad minimum impura) tria habeat iuxta doctrinam *D. Bon. in Solilog. animæ cap. 2. Primum* est, depuratio animæ ab omni inquinamento peccati voluntarij ac deliberati: & alienatio seu abstractio illius à consolationibus temporalibus, amoreq; creaturarum immoderato, nam dicit *S. Bern.* Errat omnino, si quis illam cælestem dulcedinē, huic cineri; diuinum illud balsamum huic venenoso gaudio; charismata illa Spiritus sancti, huius sæculi illecebris misceri posse arbitratur. *Secundum* est, exercitatio in multorum patratione bonorum, & in perpessione plurimorum malorum, propter amorem Dei & Christi Domini imitationem. *Tertium* est, eleuatio mentis supra se:& hic anima iam reficitur cælesti dulcedine & consolatione : ad quam refectionem omnes à Christo inuitamur apud *Matt. cap.* 11. Venite ad me omnes(*per mentis eleuationem*) qui laboratis (*in expurganda & bonis operibus ac virtutibus exornanda animæ veste*)& onerati

rati estis(*persecutionibus, tentationibus, & aduersitatibus huius mundi*) & ego reficiã vos.

Notandum quintò, quod sicut suauitatis cum gratia inhærente seu habituali permanentis, experientia seu perceptio ac vsus impeditur, *tum scilicet* per tristitiam sæculi huius, torporem acediæ, neglectionem spiritualium exercitiorum, scrupulos ac timores vanos perturbatæ conscientiæ, & metum cuiusuis mundanæ aduersitatis: *tum* per amorem bonorum temporalium, dissolutiones ac leuitates animi, &c. Ita etiam suauitatis transeuntis, *tum* per animæ siccitatem, ariditatem, sterilitatem, frigiditatem, desertionem, desolationẽ, & derelictionem spiritualem: *tum* per consolationes ac recreationes corporales. Dicitur autem sicca & arida mens, quando in sui depuratione, exercitatione & eleuatione, non humectatur aquâ cælestis visitationis. Talis fuit siccitas & ariditas Dauid, cùm diceret *Ps.* 142. Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi: velociter exaudi me. Dicitur quoque mens sterilis & frigida, quando seminat grana studiosæ præparationis & sollicitæ attentionis, fructus tamen illi, consolationis diuinæ, ac cælestium illuminationum & feruidarum affectionum non excrescit. Hanc sterilitatem ac frigiditatem expertus est Dauid cùm diceret *Ps.* 118. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes quando consolaberis me: quia factus sum sicut vter in pruina,

iustificationes tuas non sum oblitus. Dicitur tandem contemplatiua mens desolata seu derelicta à Deo, quando se illi Deus præsentem non exhibet in affectu, per infusionem gratiæ suæ exhilarantis. Hoc modo derelictæ animæ vox illa est *Ps.* 21. Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti.

Huius autem derelictionis causas eiusmodi assignat *D. Bonau.* *Vel nimirum*, vt desiderium animæ ad Deum hoc ipso magis accendatur & eleuetur. *Vel* vt per hoc in maiori humilitate anima contineatur, & melius ex vitijs purgetur. *Vel* vt eo ipso pro præteritis negligentijs puniatur, & cautior ac diligentior in posterũ efficiatur. *Vel* vt inde intelligat, quod non ex debito, aut pro meritis hanc gratiã Deus conferre soleat, sed pro sua voluntate ac liberalitate. *Vel* vt vires corporales debilitatæ, per nimiam videlicet huic gratiæ adhæsionem, opportunâ illius subtractione refocillentur. *Vel* vt per hoc probetur animæ constantia ac stabilitas in continuandis spiritualibus exercitijs: fidelitas & perseuerantia in spernendis oblectationibus mundanis: longanimitas in sufferenda voluntate Diuina. *Vel denique*, vt eius meritum ac etiam præmium augeatur.

PACTVM II.

Amoris auidi, seu afficientis, & commouentis.

Quando suauitate amoris tui afficiar?

Hæc

HÆc verba, quotiescunque ô IESV mi suspirando dixero, toties affectuosissimè cupio, sic suauitate amoris tui affici; vt hoc ipso totus concitatus ac permotus, ad te solum adspirem & aspiciam, nullibi quærens aliquam consolationem, nisi in te amore meo, cui per continuum studium vitæ contemplatiuæ, & iugè exercitium intimæ dilectionis, perpetuo inhærere volo. *Amen.*

Notandum est *primò*, quod refectio spiritualis, vel alias gustus suauitatis cælestis, nihil aliud est, quàm irritamentum quoddam desiderij, incitamentum amoris, & auidæ appetentiæ dulciter inhærendi amato seminiū. Vnde *S. Greg.* Augent spirituales deliciæ desideriū in mente, dum satiant: quia quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur, quod auidius ametur. Hæc tamen suauitas non debet à Deo exoptari propter illā, quam inde capit anima voluptatem; sed propter promotionem, corroborationem & confirmationem ipsius animæ in Christi imitatione & amatione. Sicut enim cibis inditus est sapor, vt salubriter nutriant corpus, ob quod appeti debent, non autem ob gulæ delectamentum: ita amori nostro, quo Deum intimè amamus, suauitas cælestis nonnunquam commiscetur, vt hoc ipso, anima lassa ac desolata reficiatur, afficiatur, recreetur, & in profectu vitæ spiritualis promoueatur.

Notandum *secundò*, quod homo vitæ spiri-

tuali

tuali deditus, in studio inhærendi Deo his proficit gradibus. *Primo*, quando orationi vacans, cum labore ac fatigatione mentis euagationes comprimit, & affectus suos per terrena desideria errantes cum difficultate colligit. *Secundo*, quando ex longo vsu orandi mentaliter, facilius iam cor suum cohibet, iamq; secū passim habitat & spiritualia tractat, iuxta illud *Exod.* 16. Maneat vnusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur ostium domus suæ die sabbathi, & sabbathizabit populus. *Tertio*, quando iam homo delectabiliter in profundo sui cum Deo iugiter deambulat, colloquitur, manet, & conquiescit, ac vnum cum illo in illius amoris fruitione efficitur, ita vt quæuis extrouersio sui, sit illi magna desolatio, grauis tribulatio, & nimia afflictio.

PACTVM III.

Amoris saturantis.

Quando suauitate amoris tui saturabor?

HÆc verba, quotiescunque suspirando dixero, toties ô IESV mi affectuosissimè cupio, sic suauitate amoris tui saturari (quod ipsum promisisti dicens *Matt.* 5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur.) vt in comparatione bonorum spiritualium ac cælestium, omnia bona sæculi huius, sint mihi contemptui ac fastidio, & reputationi meæ, vt stercora, iuxta illud *Prou.* 27. Ani-

27. Anima saturata (consolationibus ac suauitatibus cælestibus) calcabit (*hoc est*, contemnet cupiditatis æternæ) fauum. *Amen.*

PACTVM IV.

Amoris inebriantis.

Quando suauitate amoris tui inebriabor?

HÆc verba, quotiescunque suspirando dixero, toties ô IESV mi affectuosissimè cupio, sic suauitate amoris tui spiritualiter inebriari, vt iam, non solum fastidiam & contemnam solatium quoduis mundanum; verum etiam, vt quæram pati omne aduersum, placeamq; mihiipsi in quibuscunq; pœnis, opprobrijs, & persecutionibus propter tui amorem ac imitationem, cum tuo Apostolo sic dicente 2. *Cor.* 12. Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo. *A.*

Notandum est, quod ebrietas duplex habetur, alia *sensualis*, alia *spiritualis*. Sensualis ebrietas, vel est *propria*, vel *impropria*. Propria, illa dicitur, per quam menti quædam sui obliuio generatur, ex superfluorum potuũ indulgentia: quæ deinde strictè & largè accipitur: *largè* accepta, significat satis abundantem sumptionem potus vsque ad hilaritatem: & in hoc sensu illud est quod dicitur de fratribus Ioseph *Gen.* 23. Biberuntque & inebriati sunt cum eo. *Strictè* verò sumpta, significat exces-

excessum in potando causâ voluptatis, vsq; ad violentam priuationē vsus rationis, aliquando & ipsorum sensuum corporalium. De hac ebrietate illud est 1. *Cor.* 6. Neque ebriosi regnum Dei possidebunt.

Ebrietas sensualis impropria, seu metaphorica, significat omnem cuiuslibet inordinatæ affectionis insolentem ac exuberantem commotionem; mentis videlicet, aut solam confusionem ac perturbationem efficientem, aut etiam ipsam excæcationē perpetuam causantem. Tali affectuum ebrietate, mulier illa Babilonica ebria esse dicitur (*Apoc.* 17.) de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrū IESV: & omnes qui inhabitant terram, de vino prostitutionis eius. Eadem quoque ebrietate, æstimantur esse ebrij, de quibus dicitur *Prou.* 2. Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.

Spiritualis ebrietas, quæ etiam sub metaphorica continetur, est bona & sancta, de qua habetur illud *Psal.* 22. Calix meus inebrians, quàm præclarus est. *Et ad Ephes* 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu sancto. *Et in hymno Ecclesiastico.* Linguis loquuntur omnium: Turbæ pauent gentilium Musto madere deputant. Quos spiritus repleuerat. Ad hanc sanctam ebrietatem inuitamur à sponso cælesti, dicente *Cant.* 5. Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. Et *Ioan.* 7. Si quis sitit (*spiritualem* *scilicet*

scilicet consolationem) veniat ad me (*affectu amoris & effectu imitationis*) & (*ad ebrietatem spiritus*) bibat. Verum, sicut qui excessu alicuius potus, rationis vsu destituuntur; dicunt & agunt multa, quæ à communi modo; & sæpe à rectæ rationis præscripto aliena sunt: ita qui de vino cælestis consolationis ac suauitatis plus percipiunt, quàm cor seu appetitus illorum rationalis capere ac digerere possit; multa cum inusitato feruore operantur & loquuntur, ipsis etiam cæteris spiritualibus admiranda.

Porrò spiritualis ebrietas duplex est, *sobria* nimirum & *ecstatica*. Ebrietas sobria illa est, quæ mentem non alienat ab vsu sensuum inferiorum, nisi ab ipso vsu rationis inferioris, & sensualitatis immoderatè sese habentis. Vnde hac ebrij ebrietate, absque vllo sensu remurmurationum inferioris rationis, & perturbationum sensualitatis, propter amorem ac imitationem Christi, in amissione bonorũ temporalium, summoperè lætantur & hilarescunt; ac in quibusuis persecutionibus, contumelijs, despectibus, infirmitatibus & aduersitatibus gaudent & gloriantur. Sic inebriati fuerunt, de quibus est *Actor.* 5. Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati. Sic inebriatus fuit S. Paulus, cùm diceret *Galat.* 6. Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESV Christi: per quem mihi

mihi mundus crucifixus est,& ego mundo. Sic & S. Pater Franciscus inebriatus fuit, cùm à patre suo carnali, sustineret carceres & plagas absque signo doloris: & cum totus coram hominibus se denudaret sine affectu pudoris: & cum vestimenta sua patri restitueret nullo respectu habito suæ humanæ necessitatis: & cum omnibus paternis facultatibus in præsentia proprij Episcopi lætus & gaudens renunciaret, propter desiderium Christi imitationis.

Ebrietas ecstatica illa est,quæ mentem alienat, vel non nisi ab ipso vsu (qui quidem vsus aut est plenus, aut semiplenus) sensuum corporalium. *id est*, aut solum à circumspecta & distincta exteriori aduertentia, aut etiam & à confusa. Vel quoque & à quodam vsu naturæ. Et sic præsens ebrietas spiritus, trifariam diuiditur,seu, in tres quosdam gradus distinguitur. Vnde ebrij istà ebrietate, quæ mentem alienat à semipleno vsu sensuum corporaliũ, seu à distincta eorum aduertentia; aliquando præ abundantia spiritualis gaudij, prorumpunt in cantica & laudes diuinas; aliquando in multas lachrymas resoluuntur; aliquando membris omnibus inquieti fiunt, ita vt nunquam consistant, sed cursitent, saltent, tripudiant, manibus plaudant,magnisque vocibus, eam, quam intus sentiunt, testentur voluptatem, ac eo pacto exterius se habeant, & ea pati videantur, ac si vino vel sicera nimis impleti,

pleti, exceptis duntaxat indecoris geſtibus, à quibus Spiritus ſanctus chariſſimos ſuos inebriatos cuſtodit: mente interim eorum plenius quam vnquam iudicij ſui compote; quæ quippè, optimo ſuo obiecto, ſecundum optimam ſui partem, optimo modo, qui poteſt in hac vita haberi, coniuncta eſt. Hoc modo fuit inebriatus Dauid, cum in introitu Arcæ teſtamenti in ciuitatem, iubilans, inſolito more totis viribus ſaltaret coram Domino.

Ebrij vero iſtâ ebrietate ſpiritus, quæ mentem alienat à pleno vſu ſenſuũ corporalium: ſeu, non ſolum à diſtincta, verum etiam & à confuſa eorum aduertentia; præ actuali ineffabilium voluptatum cæleſtium experientiâ, ſic in omnibus ſenſibus obmuteſcunt, vt nullum tormentum ſentire poſſint.

Ebrij tandem iſtâ ebrietate, quæ & ab ipſo vſu naturæ mentẽ quodammodo alienare videtur, non ſunt à corpore ſoluti, ſicut mortui: Vnde quamuis priuentur vſu naturæ quo ad motum corporalem, non priuantur tamen, quo ad aliquam tenuiſſimam ſpirationem, ſtationem, flexionem, ac oculorum in cælo fixionem. Huiuſmodi ecſtatica ebrietate, ebria fuit ſponſa, cùm diceret *Cant.* 1. Introduxit me Rex in cellaria ſua (vbi ſcilicet continetur vinum ineffabilis ſuauitatis ſupermundanarum deliciarum, & claritatis indicibilis theoriarum, ſeu diuinarum reuelationũ ac illuminationum) exultabimus & lætabimur in te.

PACTVM V.

Amoris securi.

Quando suauitate amoris tui inebriatus, securus efficiar? •

HÆc verba, quotiescunque suspirando dixero, toties ô IESV mi affectuosissimè cupio, illo dulci tuo ac sapido amore impleri & inebriari, qui spiritum meum intimè tibi inhærere faciens, ac vnum tecum in vna fruitione ac sapientia efficiens, perfectè me securum reddat de mutua nostri consummata ac perpetua amicitia, *Amen.*

Notandum est, quod vir deuotus intimè Deo inhærens, tunc in vna fruitione seu in vno sapido amore, vnum efficitur cum Deo, quando ipso actu perfectè Deum amat, & se vicissim à Deo intimè amari experitur: in tantum autem de Diuino erga se amore securus est, inquantum & certus, quia certitudo generat securitatem: Vnde sicut triplex haberi potest certitudo de vera Dei amicitia, ita & securitas: *Vtporè*, coniecturalis, experimentalis & reuelationis.

CERTITVDO coniecturalis, vel alias moralis ac probabilis (de qua habetur 2. *Petr.* 1. Fratres, magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis) venit ex firmis sacræ scripturæ ac sanctorum Patrum testimonijs, & ex ipsius Diuinæ in nobis gratiæ effectis: gratia enim Dei seu chari-

charitas Spiritus sancti in cordibus nostris diffusa; vacua, otiosaque in nobis esse non potest: sed sicut sol claritate & caliditate suâ, totum mundum illustrat & fæcundum reddit; ita gratia seu charitas Dei perfecta, subiectos sibi illuminat, inflammat, exhilárat, facitq; fæcundos ac frugiferos. Quod dum obseruamus, iam hoc ipso certi & securi efficimur, quod Deum diligamus, & à Deo diligamur, secundum illud *Prou.* 8. Ego diligentes me diligo. *Effecta* autem gratiæ, quæ etiam signa charitatis ac amicitiæ Dei dicuntur, possunt dari plura.

Primum effectum ac signum, est detestatio omnium peccatorum perpetua, propter solius Dei offensam: nam dicitur *Ps.* 96. Qui diligitis Dominū, odite malum. *Ratio* autem huius signi est, quia charitas & peccatū mortale opponūtur sibi, quam ob rem stare simul in eadem voluntate non possunt: & ideo quando charitas est in voluntate, expellit peccatū per contritionis detestationem. Quod autem præsens detestatio debeat esse perpetua, & hoc, propter solius Dei offensam, ratio est: quia potest quis detestari peccata præterita per amorem naturalem, & per acquisitā Dei dilectionem, sed non in perpetuum. *id est*, non stabiliter, seu non cum firmo ac efficaci proposito cauendi futura peccata: nam propter suam libertatem, potest aliquis absque gratia Dei, quodlibet vitare peccatum mortale; non

tamen

tamen propter infirmitatem potest diu (ad decursum videlicet vnius & alterius tertijque mensis: cuiusmodi tempus requirit probatio & purgatio incipientium) omnia in communi vitare, quin in aliquod illorum incidat.

Secundum signum ac effectum, est vera, integra, ac studiosa mandatorum Dei obseruatio, iuxta illud *Ioan.* 14. Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. *Et infra.* Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. In quæ verba *S. Greg.* In quorundam corda venit, & mansionem non facit: quia tempore tentationis ab eo recedunt. In quorundam corda venit, & mansionem facit: quia sic amor siue charitas Dei eos penetrat, vt ab amore, tempore tentationis non recedant. *hæc ille.*

Tertium effectum ac signum, est patratio multorum bonorum operum, iuxta illud *Matt.* 7. A fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor, malos fructus facit. *Ratio* huius signi est, quia charitas, quæ est amor vltimi finis, maximè est operatiua, & ideo imperat omnem actum ordinatum vel ordinabilem in hunc finem. Vnde S. Greg. ait supra illud *Ioan.* 14. Si quis diligit me.

Nun-

Nunquam est amor Dei otiosus: operatur enim magna si est: si autem operari renuit, amor non est.

Quartum, est vitalis sensuum spiritualium in vitæ contemplatiuæ studijs exercitatio. *Ratio* huius signi est, quia sicut sensuum corporalium exercitatio, signum est vitæ corporalis: ita exercitatio vel vsus sensuum spiritualium, signum est vitæ spritualis. Vnde *S. Greg.* Habitare in corpore animam, probant vitales sensus: ita habitare in anima spiritum, probat vita spiritualis. Illud ex visu & auditu dignoscitur, istud ex charitate & alijs virtutibus probatur.

Quintum, est feruida Christi imitatio, iuxta illud *Ioan.* 8. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vitæ. *Ratio* huius signi est, quia amor transformat amantem in similitudinem amati, quo ad operationem puta arduam & difficilem. *Velut nimirum* est, propter Christum omnia mundana & seipsum relinquere, iuxta illud *Luc.* 14. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam; non potest meus esse discipulus. *Et infra.* Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus. Et iuxta illud *Cant.* 8. Fortis est, vt mors dilectio. Nam sicut mors per suam fortitudinem separat animam à corpore; sic amor Christi alienat mentem à sui ac

mundanorum dilectione. *Velut quoque* est, inimicos diligere, iuxta illud *Matth.* 5. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est. *Velut denique* est, aduersa omnia æquo animo tolerare, iuxta illud 1. *Cor.* 13. Charitas omnia suffert, omnia sustinet. *Velut tandem* est, pro salute proximi, semper habere paratum animum subire mortem, iuxta illud 1. *Ioan.* 3. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animam ponere.

Sextum effectum gratiæ Dei, ac signum charitatis, mutuæque inter nos ac Deum nostrum amicitiæ indicium, est victoria cupiditatis & timoris mundanorum. De prima parte signi *S. Aug.* Charitatis venenum, est spes adipiscendorum temporalium: & nutrimentum charitatis, est imminutio cupiditatis: perfectio verò charitatis est, vbi nulla est cupiditas. De secunda 1. *Ioan.* 4. Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem. Est autem timor *sextuplex*, naturalis videlicet, humanus, mundanus, seruilis, initialis, & filialis. *Timor* naturalis est, quo ante actum rationis timemus naturæ nostræ incommodum, vt est egestas, infirmitas, mors, &c. Hunc timorem tolerat charitas perfecta, quia nec vituperabilis, nec laudabilis est. *Timor*

mor humanus est, quo post actum rationis timetur nocumentum corporis. Hoc timore superatus Petrus, negauit Christum. *Timor* mundanus est, quo post actum rationis timetur amissio bonorum temporalium, gratia Principum, &c. Hoc timore superatus Pilatus, condemnauit Christum. *Timor* Dei seruilis est, quo timetur peccatum, non propter culpam ac Dei offensam, sed propter pœnam, tam præsentis quàm futuri sæculi, Hunc timorem (quamuis eum habeamus à Spiritu sancto, vt videlicet origini conuersionis nostræ deseruiat) foras mittit charitas: quia non est cum Spiritu sancto. *id est*, cum gratia Spiritus sancti: ac multo magis, foras mittit timorem humanum & mundanum, quorum neuter est à Spiritu sancto. *id est*, ab impulsu ac inspiratione illius. *Timor* Dei initialis est, quo timetur peccatum, primariò propter offensam Dei, secundariò propter pœnam æternam. Hic timor est iam cum Spiritu sancto, de quo habetur illud *Ps.* 110. Initium sapientiæ, (seu charitatis) timor Domini. *Timor* Dei filialis, vel alias castus, sanctus, perfectus & reuerentialis, quem non excludit perfecta charitas, est, quo timetur quæuis offensa ac irreuerentia Dei, propter solum Deum. De hoc timore illud est *Psal.* 18. Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi.

Septimum effectum gratiæ, signumq; charitatis ac amicitiæ Dei, puta esse, *tum* pro-

funda ac intima suspiria amantis ad amatum. *Ratio* est, quia, quando memoria amati, mentis intima amantis tangit; statim amorosa suspiria tanquam quosdam nuncios amoris sursum mittit, donec eam iucunda dilecti præsentia visitet & consoletur. *Tum* alta desideria amantis. *Ratio* est, quia, quanto magis accenditur amor Dei in amante, tanto desideria amorosa perfectius sursum feruntur, nec quiescunt, donec ad dulcem amplexum amati perueniant. *Tum* cogitationes languidæ. *id est*, impatientes: seu cogitationes amoris impatientis, qui nimirum cum anxietate semper appetit intimam cum amato vnionem. *Ratio* est signi huius, quia necesse est, vt quò præcessit dilectionis thesaurus, Illuc sequatur cogitationis amorosus affectus. *Tum* expectationes tædiosæ amantis. *Ratio* est, quia vt ait *Richardus*. Amanti omnis mora nimis longa videtur, expectatio onerosa, clamat cum *S. Iob.* Tædet animam meam vitæ meæ. Quod exponens *S. Greg. lib. 9. Moral.* dicit. Præsens vita vilescere ac tædere incipit, dum diuinus amor dulcescere ac perfici cæpit. Vnde amans perfectè, cum tædio quodam fastidit omne, quod cursum eius amoris impedit. *Tum* affectiones ecstaticæ. *Ratio* est, quia secundum *S. Dionysium.* Amor perfectus in Deum tendens, est faciens ecstasim spiritus: amor enim non permittit amatores esse sui ipsorum, per mentis sobrietatem; sed eorum qui amantur,

per

per mentis excessum. Et in hoc sensu loquitur *D. Bern.* inquiens. Non est præsentior noster spiritus vbi animat, quam vbi amat.

Certitudo experimentalis venit animæ, *tum* ex testimonio speciali Spiritus sancti intus loquentis spiritui nostro (iuxta illud *Rom.* 8.) quod sumus filij Dei: *tum* ex ipsa perceptione Diuinæ bonitatis, ac notitia affectiua præsentiæ Dei amicabilis: quæ alias, comparatione futuræ fruitionis, dici solet gustus æternæ dulcedinis, aut etiam haustus ac prægustatio cælestis suauitatis: & comparatione cuiusuis mundanæ voluptatis ac delectationis, quam excedit modis innumerabilibus, dicitur ebrietas. Hac certitudine certus fuit S. Paulus, cùm diceret. *Rom.* 8. Certus sum, quod neque mors, neque vita (*nec aliud quodcunque*) separabit me à charitate Dei.

Certitudinem reuelationis, facit quædam cognitio Dei ac diuinorum clara, quantum scilicet huius viæ status permittit; quæ habetur, quando se Deus manifestat per lumen, non naturæ, aut fidei & donorum Spiritus sancti; sed per quoddam aliud simile prophetico, siue habitus infusi, siue speciei intelligibilis cælitus venientis: vbi vir contemplatiuus altissimo confortatus auxilio, in illo lucis supercælestis radio, cognoscit Deum, ac simul cum Deo omnia secreta & arcana vitæ spiritualis comprehendit; seque ipsum, certum ac securum esse de gratia & amicitia Dei perpetua, optimè intelligit.

PACTVM VI.

Amoris tranquilli, seu quieti.

Quando suauitate amoris tui ine-
brietus, securè quiescam?

HÆc verba quotiescunque suspirando dixero, toties ô IESV mi affectuosissime cupio, illo tuo suauissimo amoris vino sic inebriari, vt iam plenè in te perpetuo conquiescam, *Amen.*

Notandum est primò, quod amor quietus seu tranquillus, supremum inter omnes amores obtinet locum, & est perfectus virtutum omnium decor ac ornamentum: nam omne quidquid sibi & suo amato dissimile est, velut ignitorum carbonum congeries, in se, in suoque feruore & ardore consumit, vt reddat cunctas animæ vires sibi vnitas, & in vna cum Deo vnione copulatas.

Notandum secundò, quod quies, tranquillitas, pax, sabbatismus, otium & silentium, propriè accepta, diuersa significant: sed figuratè ac spiritualiter sumpta, idem sonare videntur. *Primo* modo quies accepta, notat laxamentum corporis & animi, ac motus cessationem. *Tranquillitas*, notat cessationem fluctuationis ac perturbationis. *Pax*, notat cessationem tumultuationis. *Sabbatismus* seu sabbatum, notat vacationem ab omni labore seruili. *Otium*, notat cessationem ab omni operatione. *Silentium*, notat cessationem à lo-

cutione.

cutione. *Secundo* modo ista omnia accepta, adhuc dupliciter considerantur, aliter videlicet ab *Asceticis*, & aliter à *Mysticis*. Ascetica quies, tranquillitas, pax, &c. tres habet gradus. In *primo* stat aliquis, cùm cessat in eo ex studio mortificationis internæ omnis motus sensualitatis inordinatus; omnisque perturbatio ac tumultuatio discursuum rationis inferioris, & quæuis fluctuatio instabilitatis propositorum ac intentionum sedatur: & cùm vacat ab omni labore seruili actualisiū peccatorum; cessatque ab omni operatione consurgentium in se vitiorum, imo & ab omni locutione tam internæ quam externæ murmurationis, & hoc ob amorem Dei ac legis eius Diuinæ. Vnde est quod dicitur *Ps.* 118. Pax multa, diligentibus legem tuam. Peccatores autem, ac passionati homines, legem Dei non amantes, nullo modo huiusmodi pacem, quietem ac tranquillitatem habere possunt, iuxta illud *Isa.* 57. Non est pax impijs. Et *D. Aug.* Multi vacant membris, & tumultuantur conscientiâ: solus cui adest bona conscientia, tranquillus est.

In *secundo gradu* stat aliquis, cùm cessat ab omni opere vano ac inutili studio, mentem in exercitijs spiritualibus distrahente ac impediente: & quærit cellæ solitudinem, vbi in silentio sacræ lectioni, asceticæ meditationi ac mentali orationi vacare possit, donec illud in seipso experiatur, quod de quolibet huiusmodi studioso dictum est, *Tren.* 3. Bonum est vi-

ro (*id est, honestum est, vtile, & delectabile, homini in ætate virili constituto*) cùm portauerit iugum (*disciplinæ scilicet religiosæ ac imitationis Christi, quod aliàs graue esse videtur sensualitati, sed re vera spiritui leue ac suaue est*) ab adolescentia sua (*id est, ab ipsa tenera ætate*) sedebit solitarius (*consortia vanorum hominum fugiendo*) & tacebit (*de cælestibus ac æternis legendo & meditando*) quia (*actibus anagogicis*) leuauit se (*in Deū*) super se.

In *tertio* pacis Christi gradu stat aliquis, cùm veræ ac perfectæ contemplationi ordinariæ deditus est; ac cælesti iucunditate perfusus, completam sui cum Deo celebrat sobriam vnionem. Hanc pacem promisit ac dedit Christus Dominus suis discipulis, dicens *Ioan.* 14. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. *id est*, non corporalem sed spiritualem. Hanc pacē sponsa Christi aliquando sibi pollicebatur dicens *Cant.* 8. Læua eius sub capite meo (*id est*, amor & timor mundanorum, quæ sunt à sinistris sponsi mei cælestis, ad rationē meam superiorem perturbandam, minime ascendunt) & (*ideo*) dextera illius (in qua sunt omnes thesauri voluptatum & consolationum cælestium) amplexabitur me. *id est*, vnitam me sibi reddet, & consequenter, perfectè quietam faciet.

Mystica quies (iuxta *D. Bon. opusculo de 7.*

grad.

grad. contemplationis extraordinaria) est totius animæ mira & suauis tranquillitas, per infusam nobis ex frequentia orationis dulcedinem concreata, &c. De huiusmodi quiete illud est *Ps. 75.* Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. *id est.* Extremitates seu summitates cogitationis, vel alias actus ordinariæ contemplationis meæ sabbatizabunt tibi ô Deus, aut festo otio otiabuntur, ac sancta quiete conquiescent: dum scilicet potentiæ spiritus mei, suâ vsitatâ connaturalique actiuitate, in tuam Diuinam cælitus infusam deficient actiuitatem. Huiusmodi quies, typus est illius cælestis pacis, ad quam donec perueniamus, ex toto adhuc quieti esse non possumus, iuxta illud *D. Augustini* effatum. Quia fecisti nos ad te (ô *Deus*) inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.

SCALA VI.

Pactorum amoris violenti.

PACTVM I.

Amoris vulnerantis.

Qúando amore amoris tui vulnerabor?

HÆc verba quotiescunque ex intimo cordis mei suspirando dixero, toties ô Deus meus intendo & affectuosissimè cupio, sic iaculo amoris tui vulnerari, vt secundum totam animam meam ab omnibus inferioribus ab-

stractus, & ad te solum concitatus ac permotus, nihil omnino tecum transitorij desiderare ac diligere queam, *Amen.*

Notandum est primo, quod amor violentus, tunc vulnerare dicitur amantes, quando illos commouet ac impellit ad amandum ipsa sua non nisi amata. Hoc telo amoris ac deuotionis sponsæ, vulneratum se sponsus fatetur, dicens *Cant.* 4. Vulnerâsti cor meum soror mea sponsa. *id est,* ô anima deuota, sic amore tuo concitâsti, permouisti, induxisti ac inflammâsti spiritum meum, vt omninò te reamare cogar, ac vnum te mecum in hoc meo amore efficere necesse habeam. Eodem amoris telo sponsa se vulneratam esse confitetur, dicens *Cant.* 2. *iuxta* 70. *interpretes.* Vulnerata charitate ego sum. *id est.* cor meum totum sic ad amorem tui excessiuum dilecte mi, in contemplatione scilicet tuarum perfectionum, in me sentio esse per motum, irritatum & inflammatum, ac præ magno tui desiderio apertum & dilatatum, vt verè ac propriè realiterque tantâ violentiâ vulneratum & minutatim incisum fit. Vnde *Harphius Henricus in Mystica Theol.* Cor, eo quod tam latè apertum est, læditur & vulneratur: quamuis autem læsioné huiusmodi patiatur, tamen tristitiam non habet, quia amoris vulneratio, est dulcissima passio & leuissima pœna. Nec hoc mirum est, cum scriptum inueniatur, nonnullos propter tantam cordis apertionem mortem incurisse:

& istud

& istud accidit ex gaudio, voluptate vel amore, prout legitur, quod Brugis deuota quædam fæmina moriebatur in sermone sacro præ magnitudine amoris. Similiter legimus de quodam milite, qui moriebatur in loco de quo Dominus noster cælos ascendit. Ista læsio est etiam signum futuræ sanitatis spiritualis atque Diuinæ visitationis: quia Christus splendidus sol iustitiæ infundit secundo & tertio, imo multis vicibus, huiusmodi vulnerato cordi radios Diuinæ claritatis, dulcedinis & charitatis, excitando multoties animam ad amplexum suæ vnionis, sicque cordis vulnus renouat & aggrauat: verumtamen eo tempore vulnus hoc vnctum est superabundantissimis delicijs, quas cor ipsum recipit. *hac ille.*

Notandum secundò, quod sicut homo mundanus, aliquando læsus à suo aduersario, siue in bonis fortunæ, siue in bonis corporis, siue in bonis famæ, in tantum telo iracundiæ ac odij vulneratur ac permouetur contra se lædentem, vt durante illius vulneris dolore, nihil aliud nisi malum de suo inimico audit, cogitat & loquitur. *Et è contra:* sicut idem homo carnalis ac mundanus, telo amoris amati sui vulneratus seu concitatus, nihil aliud nisi bonum de amato suo audit, cogitat & loquitur, cum illoque præsente delectabiliter conuersatur. Ita anima accepto vulnere cælestis amoris, perpetuo agitur odio contra

peccatum, & nulla amplius auditione, cogitatione & collocutione recreatur & consolatur, nisi illa fuerit de sui dilecti gloria, potentia, sapientia, bonitate, pulchritudine & similibus, ad cuius præsentiam semper suspirat, semper anhelat, semper rapi desiderat: est enim hoc vulnus tam intimum, vt illud anima dissimulare non possit. *Item*, sicut recenter vulneratus in corpore, clamoribus atque suspirijs aërem replet, alia incommoda minimè sentiens. Ita amore in anima vulneratus, adeo ab amore consanguineorum & amicorum, ac omnium rerum temporalium auertitur, vt eorum incommodis & aduersitatibus, quas antea proprias reputabat, præ vehementiâ amoris diuini, quasi ad se non pertinerent, minimè immutetur.

PACTVM II.

Amoris ligantis.

Quando amore amoris tui ligabor?

HÆc verba, quotiescunque suspirando dixero; toties ô Deus meus ardentissimè desidero, sic vinculo charitatis tuæ secundum omnes vires animæ meæ constringi, ac tibi soli alligari; vt nihil aliud nisi te amatum meũ aut propter te cogitare possim. *Amen.*

Notandum est primò, quod amor habet sua vincula, de quibus Spiritus sanctus *Osea* 11. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Huiusmodi vincula non sunt aliud,

liud, quam dona Dei ab anima benè perpensa: dona videlicet, *natura, gratia, & gloria*, ex quibus fit funiculus triplus, qui difficilè rumpitur. Hoc funiculo ita ligatur anima, vt in perfectiorem amorem, quam dum esset vulnerata procedat. Plus enim est (vt ait *Richardus de gradibus violentæ charitatis*) ligari quàm vulnerari.

Notandum secundò, quod amor violentus, tunc ligare animam dicitur, quando eam Deo perpetuâ quadam amatione & cogitatione compellit inhærere. In qua tamen iugi dilectione ac memoria Dei, minimè iam laborat anima ac fatigatur; imo id illi labori est, ad alia videlicet quæ Deus non sunt, quamuis bona & vtilia, cogitatione deuolui: ea tamen, cùm sibi incumbunt, non omittit, sed vim sibi facit, vt propter Deum alia (licet non aliena) à Deo, cogitet; in illo nihilominus memoriã & amoris affectionem cui alligata est fixam retinens.

PACTVM III.

Amoris languidum facientis.

Quando amore amoris tui infirmabor?

HÆc verba, quotiescùnque ex intimo animæ meæ suspirando dixero, toties Domine Deus meus feruentissimè concupiscere intendo, ac reuera concupisco, sic amore amoris tui transfigi ac penetrari; vt deinceps

cuncta mihi sæculi huius prospera, tanquam cibaria infirmo ac languido, amara & insulsa esse videantur: & vt nullis vnquam huius mundi aduersis, tanquam insensibilis factus, aliquatenus commouear. *Amen.*

Notandum est primò, quod spiritualis languor, non aliud est apud Ascetas, quàm infirmatio ac debilitatio motuum sensualitatis, ex nimia intensione & eleuatione proueniens diuini amoris, quo mens in Deum extenditur. Vnde glossa dicit (super illud *Gen.* 32. Angelus Domini tetigit neruũ femoris eius, & statim emarcuit.) Crescente virtute mentis, decrescit fortitudo corporis.

Notandum secundò, quod amor languorẽ asceticum in anima efficiens, ille dicitur, qui sic animam Deo inhærere facit, vt ad cuncta visibilia ac transitoria quodammodo insensibilis ac inidonea reddatur. Vnde *glossa loco citato.* Quanto ad maiorem sponsi se accendit mens, tanto ab amore temporalium languescit. Et supra illud *Cant.* 5. Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo. *Sic ait:* Quia præ amoris magnitudine, omnia temporalia sunt mihi in fastidio. *Item.* Amor languidum faciens, ille dicitur, quo sic anima in Deum excedit, vt præsentem vitam continuo habeat aspernabilem, & mortem omnino desiderabilem. Vnde iterum *glossa supra eadem verba.* Quia amore langueo. *sic ait.* Quia

præ

præ amoris magnitudine, mors mihi est in desiderio, etiam per dira tormenta; & vita in fastidio, cum patientia.

Notandum tertiò, quod languor animæ, seu amor languidam faciens animam, idem est Mysticis, quod amoris æstus, internam quandam generans impatientiam, quæ rationi morem gerere & obsequi non vult, donec re amata potiatur. *Vel* idem est, quod feruor desiderij, & auida, inhians, semperq; famelica appetentia vnionis passiuæ cum Deo, ad quam se sentit anima diuinitus vulnere mystico commotam ac inuitatam esse, illam tamen consequi non potest, non tam ex propria quàm ex Dei causa.

PACTVM IV.

Amoris defectum afferentis.

Quando amore amoris tui moriar?

HÆc verba, quotiescunque affectuosè suspirando dixero, toties Domine Deus meus intimè desidero, sic amore amoris tui sauciari, transfigi, penetrari & inflammari; vt omni motuum sensualitatis meæ exusta & emortua inordinatione, totus in te deficiens, perpetua spiritus mei gaudeam libertate. ✠

Notandum est primò, quod mors multiplex habetur. *Prima* est naturalis, quæ significat priuationem præsentis vitæ, animæq; à corpore separationem. *Secunda* dicitur moralis Philosophica, quâ moritur aliquis, quando causâ

causâ honestatis internæ, adhuc in corpore constitutus, corporeas illecebras morali docente Philosophia contemnit, & immoderationem passionum suarum naturalium compescit. *Tertia* mors, dicitur ciuilis, quâ moritur aliquis, *Vel* quando suâ spontè renuntiat alicui dignitati: *Vel* quando iuridicè infamis efficitur & actibus legitimis priuatur: *Vel* quando in communitate hominum viuens, neminem afficit iniuria, & nullis commouetur ad rixas & lites aduersis, vt præsentem vitam honestè, quietè & securè traducere possit, iuxta illa duo verba antiquorum Philosophorum, Sustine & Abstine, *id est*. Sustine iniuriam, quæcunque mala illata æquo animo ferendo: & Abstine à vindicta ac omni specie mali. *Quarta* mors, dicitur culpæ, quâ quis moritur, quando propter peccatum vitâ gratiæ ac ipso Deo priuatur: quo magis anima, quam corpus spiritu viuit. De hac morte illud est *Rom.* 8. Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Et *Iacob.* 1. Peccatum cum consummatum fuerit, generat morté. Et *S. Aug. lib.* 13. *de Ciuit. Dei.* Multi in corporibus viuis, animas mortuas portare noscuntur. *Quinta* mors, dicitur gehennæ, quæ est perpessio doloris æterni, damnatio perpetua, & exclusio à gloria cælesti. Hanc mortem animæ infelicissimam, S. Ioannes (*Apoc.* 21.) vocat mortem secundam: quia supponit ac sequitur mortem culpæ. *Sexta* mors, dicitur spiri-

spiritualis, quam optat quisque suæ salutis amator, dicens illud in profundo sui sæpissimè. *Num.* 23. Moriatur anima mea morte iustorum. Hæc autem mors, vel est communis, vel specialis. *Communis* illa est, quâ moriuntur omnes iusti peccatis suis, propter Dei præceptionem. De hac morte illud est *Ephes.* 2. Et vos conuificauit, cùm essetis mortui delictis & peccatis vestris. *Specialis* mors spiritualium, alia est *ascetica*, alia *mystica*: Asceticâ morte moriuntur, qui liberâ voluntate huius mundi possessionibus, voluptatibus & honoribus abrenuntiantes, continuo mortificationi externæ & internæ, ac imitationi Christi insistunt, iuxta illud *Galat.* 5. Qui sunt Christi (*imitatores veri*) carnem suam crucifixerunt, cum vitijs & concupiscentijs. Hac morte mortuus fuerat S. Paulus cùm diceret *Galat.* 6. Mihi mundus crucifixus (*id est, mortuus*) est, & ego (*mortuus sum*) mundo.

Mystica mors quadrupliciter accidit. *Vel nimirum*, quando cursus vitæ huius ac munus expletur modo extraordinario: quod fit, cum anima, non præ multitudine naturalis infirmitatis ac doloris, sed præ magnitudine ac intensione Diuini amoris à corpore seperatur. Et talis fuit mors Beatissimæ V. Mariæ Matris Dei, & aliquorum sanctorũ. *Vel etiam*, quando anima omnino separatur ab omnibus, non solum quæ peccati aliquam ei præstant occasionem, verum & quæ obicem po-

nunt ipsius supremæ perfectionis obtinendæ; aut quocunque modo impediunt eam, ne Deo intimè coniungatur. *Vt sunt* irretentibilia & absoluta mysticorum, & ipsa connaturalis animæ ac ordinaria actiuitas. *Vel quoque*, quando anima ingreditur altissimam contemplationem, vbi perfectissimè inhærens Deo per vnitiuum amorem, ipsam incurrit ecstasim. *Vel tandem*, quando anima ab iucundâ Dei præsentiâ per spiritualem desolationem separatur. De hac morte *Ioannes Taul. in Instit. cap.* 4. sic ait. Est alia quædam mors spiritualis, quæ est formæ nescia illa afflictio, quæ neque viam, neque fundum, neque modũ habet.

Notandum secundò, quod amor defectum afferens, seu defectus ac defectio spiritualium, aliud est asceticis, & aliud mysticis. *Ascetica defectio animæ*, significat effectum quemdam amoris Diuini, qui eo vsque crescit, vt abstrahat mentem ab imaginibus vanis & inutilibus mundanorum, & eam deficere faciat ac transformet in imagines diuinorum. Et sic præsens defectio, idem est, quod transformatio actiua, ac vnio sobria. Vnde est illud *Ps.* 118. Defecit (*id est, transformata est*) in salutare tuum anima mea. *Mystica defectio*, significat effectum quemdam amoris Diuini, qui eo vsque crescit, vt mentem alienet à suo esse actuali (*id est*, à propria eius actiuitate ac operatione) & transformet eam in esse actuale diuinum, aliquando tandem in sui fundum cæ-

litus

litus infusum. Vbi anima, ad instar aëris incorporati radio solari, quadam admirabili illustatur claritate supercælesti: & ad instar ferri exardentis, quodam feruet igne amoris Dei ineffabilis: & ad instar pomi saccaro conditi, inexplicabilem quandam imbibit sempiternalem dulcedinem. Et sic defectio mystica, idem est quod transformatio ac vnio passiua seu ecstatica. Vnde est illud *Ps.* 83. Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. *Super quod D. Greg. lib. 8. moral. cap. 19. sic ait.* Concupiscunt sed non deficiunt, qui iam quidem cælestia appetunt, sed adhuc tamen à terrenorum delectationibus minimè lassantur. Concupiscit vero & in atria Dei deficit, qui cùm æterna desiderat, in amore temporalium non perdurat.

Notandum tertiò, quod libertas spiritus, alia est communis, alia specialis. *Communis* libertas illa est, quâ omnis iustus liber est à vinculis peccatorum. Et hæc est, de qua Apostolus ait. 2. *Corint.* 3. Vbi spiritus Domini, ibi libertas. *Specialis* libertas spiritus illa est, quâ vir spiritualis liber est ab omnibus quæ eius contemplationem impedire possunt. Et hæc libertas, vel *ascetica* vel *mystica* est. Asceticã libertatem habet spiritus, quem incontemplatione ordinaria non impedit culpa mordens (*id est,* inanis timor ac vana suspicio culpæ) cura pungens, sensus egens, & phantasmata irruentia. Mystica verò libertate

spiritus

spiritus gaudet, cùm liber est ab irretentibilibus & absolutis, contemplationi extraordinariæ insistens.

SCALA VII.

Pactorum amoris Seraphici.

PACTVM I.

Amoris semper mobilis.

Quando veniam & apparebo ante faciem tuam, extensus in te amore semper mobili?

HÆc verba, quotiescunque ex intimo cordis mei suspirando dixero, toties Domine Deus ardentissimè concupisco dissolui, & esse tecum, ac semper in te ferri intentione ac mobilitate amoris mei attentissima, irremissibili, & in aliud amabile ac desiderabile indeclinabili, *Amen.*

Notandum est, quod sicut ignis inuenta materia in quàm agat, mox in eam tendit, absque vlla suæ motionis aut actionis intermissione. Ita mentes beatæ, dum Diuinam intuentur potentiam, sapientiam, bonitatem, pulchritudinem, ac omnes alias perfectiones, inueniunt quandã materiam, in quam omni sua affectione & amoris actione absque vlla intermissione ac interruptione semper moueantur ac tendant.

PAC-

Pactvm II.

Amoris infinibilis.

Quando veniam & apparebo ante faciem tuam, extensus in te amore infinibili?

HÆc verba, quotiescunque ex profundo cordis mei suspirando dixero, toties Domine Deus ardentissimè concupisco dissolui, & esse tecum, ac in te ferri intentione amoris mei interminabili, *Amen.*

Notandum est primò, quod sicut semper mobile, tollit interruptionem motus amoris in amatore; ita infinibile seu incessabile tollit terminationẽ eiusdem motus augmentationis, intensionis, magnitudinis ac durationis.

Notandum secundò, quod sicut ignis non habet terminum in agendo, dummodo aptam inueniat materiam in quam agat, sed semper accrescit, ac incessabili motione sua in eam tendit. Ita mentes beatæ, contemplantes Deũ ac eius immensitatem, infinitatem, & cæteras huiusmodi perfectiones, non habent terminum in amando Deum, in quem semper perpetua motione ac incessabili actione sui amoris tendunt.

Pactvm III.

Amoris semper calidi.

Quan-

Quando veniam & apparebo ante faciem tuam, extensus in te amore semper calido.

HÆc verba, quotiescunque ex intimo cordis mei suspirando dixero, toties Domine Deus feruentissimè concupisco dissolui, & esse tecum, ac à te amore tui magis ac magis inflammari, & ineffabili gaudio repleri, *Amen.*

Notandum est, quod sicut ignis, quo magis appropinquat aptæ alicui materiæ, eo etiam magis proprio suo calore in omnes eius partes se diffundit: quia ab eadem materia nutrimentum & augmentum sui accipit. Ita mentes beatæ, quo magis Deo amoris affectione appropinquant, eo etiam magis amore eius incalescunt, & consequenter ineffabili gaudio & exultatione adimplentur.

PACTVM IV.

Amoris semper acuti.

Quando veniam & apparebo ante faciem tuam, extensus in te amore semper acuto?

HÆc verba, quotiescunque ex intimo cordis mei suspirando dixero, toties Domine Deus affectuosissimè desidero dissolui & esse tecum, ac amoris mei toto in te impetu ferri ac profundari, *Amen.*

Notandum est, quod sicut ignis alicubi violenter

lenter occlusus, in quodam momento, impetu suo, superat ac penetrat omnia sui impedimenta & intermedia, vt ibi sit, vbi est eius centrum, ac terminus, & scopus. Ita beati in Deum suo amore extensi, subito impetu suæ affectionis (acutum enim significat impetum amoris, & vehementiam desiderij ardentis) omnem penetrant virtutem, profunditatem ac totalitatem amati sui quantum possunt, vt ibi sint, vbi est eorum amatum. *idest*, cum ipso amato, & in ipso amato.

PACTVM V.

Amoris superferuidi.

Quando veniam & apparebo ante faciem tuam, extensus in te amore superferuido?

HÆc verba, quotiescunque ex intimo cordis mei suspirando dixero, toties Domine Deus ardentissimè desidero dissolui & esse tecum: ibique in te profundatus ac submersus, amore amoris tui feruere & superferuere cupio in æternum, *Amen.*

Notandum est, quod sicut ignis, dum in flamma se erigit, ac se extra se iactat, superferuere dicitur; feruere vero, dum se in se colligit. Ita beati in gloria cælesti, dum se in Deum intentione sui amoris & contemplationis erigunt, superferuere dicuntur: feruere autem, dum Deum non iam in se, sed in creaturis contemplantur & amant.

PACTVM GENERALE.

In quo omnia pacta præcedentia, omnium scalarum, comprobantur & confirmantur.

O Deus meus & omnia.

HÆc verba, quotiescunque suspirando dixero, toties in silentio ex profundo cordis mei, ô DEVS, qui es causa, principium, vita, & finis creaturarum, ac sanctificator & protector MEVS, in quo omnes perfectiones ET OMNIA bona continentur, quibus vsque in finem reples desiderium tuorum, coram te omnia pacta huius mei testamenti, intimo affectu subscribo, approbo, renouo, & confirmo in æternum,

Amen.

Explicit prima pars Summarij Theosophici.



PARS

PARS SECVNDA SVMMARII ASCETICÆ ET MYSTICÆ THEOLOGIÆ.

QVINQVE TRACTATVS complectens, in quibus ipsa rudimenta ac præcepta earundem Theosophicarum disciplinarum explanantur: quorum quidem tractatuum series talis est.

PRIMVS TRACTATVS, *agit de anima rationali, quatenus est subiectum Asceticæ & Mysticæ Theologiæ, in tres portiones vsu spiritualium distincta*

SECVNDVS, *agit de notitijs virium animæ rationalis apprehensiuarum & appetitiuarum, in quantum videlicet ex illis oratio spiritualium coalescit.*

TERTIVS, *agit de via purgationis, illuminationis & vnionis, quâ spirituales veniunt ad veram diuinam sapientiam.*

QVARTVS, *agit de tribus statibus spiritualium, scilicet incipientium, proficientium, & perfectorum.*

QVINTVS, *agit de tentationibus spiritualium, & de remedijs contra easdem: & de peccatis, ad quæ huiusmodi tentationibus personæ spirituales pulsantur.*

TRACTATVS I.

De anima rationali, vt est subiectum Theologiæ spiritualis, in tres portiones vsu Ascetarum & Mysticorum distinctâ.

INTRODVCTIO.

VT nobis Asceticæ & Mysticæ Theosophiæ rudimenta ac præcepta facilius innotescere queant, in primis necesse est in præsenti tractatu, subiectum istarum disciplinarum spiritualium, vtpotè, Animam rationalem, more Mysticorum, in tres distinguere portiones (in *infimam* videlicet, *mediam* & *supremam*) earumque definire vires, ac virium declarare officia & actiones.

Infima portio Animæ rationalis, dicitur Animalitas, & Anima sine adiuncto: quia hâc parte vnitur corpori ac eius organis, vt illud non nisi animet, vegetet, viuificet & sensificet:

ſificet: quod & anima irrationalis præſtat animalibus. *Item* dicitur ſenſualitas, cupiditas, & Ratio inferior: quia anima rationalis per cupiditatem ſeu appetitum ſenſitiuum, intensè ad ea mouetur, quæ cognoſcit tam ſenſu interiori organico, quàm ratione inferiori, ſenſui ſuo exteriori eſſe delectabilia: à contrarijs autem eodem modo cognitis, omnino ſe auertit, & quantum poteſt alienat.

Media portio Animæ rationalis, dicitur Spiritus: *tum* quia potentiæ (vtpotè, memoria, intellectus & voluntas) quæ ex eo effluunt tanquam radij è ſole, omnino ſunt ſpirituales, non autem organicæ: nam non vniuntur corpori ſic, vt illo vtantur aut organis illius, exercendo ſuas actiones internas; ſed ſic, vt non niſi vtantur vtente corporali organo, ſcilicet imaginatione: quæ ſic ſe habet ad intellectum, ſicut ſe habet color ad viſum. *Tum* quia potentiæ ſpirituales, ad hoc natæ ſunt animæ rationali, vt illis mediantibus percipiat obiecta ſpiritualia. *Tum* quia communes habet anima rationalis huiuſmodi potentias ſpirituales cum Angelis, qui ſunt ſpiritus.

Suprema portio Animæ rationalis, dicitur Mens: eo, quod emineat in animo. *Item* dicitur Vertex ſpiritus: quia anima rationalis hâc parte ſui, verſus Deum ſpirat intus. *id eſt*, verſus Deum agit ſui intimo, in quod eſt introuerſa & eleuata: vertex enim ſpiri-

tus, alias dicitur intimum animæ rationalis, inquantum videlicet, potentiæ spirituales in illum refluunt, tanquam radij in solem. *Vnde* etiam est, quod vsitatum sit spiritualibus, accipere Mentem, aliquando pro spiritu, aliquando pro vertice spiritus, ac intimo animæ rationalis; sed cum tali discrimine. Spiritum enim significat Mens, quatenus videlicet extrauertit se suis potentijs spiritualibus, ad inquirenda diuina ac per aliud aspicienda, & amore infatigabili excipienda. Verticem verò spiritus & intimum animæ rationalis, significat Mens, quatenus introuertit se secundum easdem potentias ac sursum eleuat ad contemplanda diuina, & amore inseparabili amplectenda.

Vsitatum quoque est spiritualibus Theologis, harum portionum ac virium nomina, persæpè confundere: ita vt aliquando, animam, pro mente & spiritu habeant; spiritum etiam pro mente, & mentem pro spiritu accipiant: & hoc propter ipsius animæ rationalis miram simplicitatem, & indiuisibilem vnitatem. Quod tamen sic illam diuidant: hoc faciunt, non quasi huiusmodi portiones aliquomodo velint esse localiter in anima rationali; aut quasi anima rationalis habeat quantitatem molis seu magnitudinis; sed quatenus habet quantitatem virtutis: ideoque eædem portiones seu partes, non possunt dici partes integrales, nisi virtuales seu potentia-

les;

les: quia vires ac potentiæ sunt animæ rationalis. *Hinc est* quod Auctor libri de Spiritu & Anima dicat *cap.* 8. Tota animæ essentia in suis potentijs consistit, nec per partes diuiditur, cùm sit simplex & indiuidua: etsi aliquando partes habere dicitur, ratione potius similitudinis, quàm veritate compositionis intelligendum est. *Item* Ioannes Gerson *de Mystica Theol. part.* 2. *consid.* 9. Dicimus de anima rationali, quod ipsa pro diuersitate officiorum & agibilium, distinctas vires habet: distinctas inquam, non re, sed nomine.

His itaque suppositis, adhuc restat, causâ maioris elucidationis, dictorum scilicet ac dicendorum, in sequenti figura, portiones recensitas ac vires animæ rationalis, delineare & demonstrare: ac postmodum in tribus distinctionibus præsentis tractatus, singularum portionum vires apprehensiuas & appetitiuas, viriumque præsentium officia & actiones declarare & explicare.

FIGVRA ANIMASTICA

Animæ rationalis suprema portio, dicitur Mēs, vertex & apex spiritus, centrum, fundum, orificium, & scintilla, cuius

Vis apprehensiua, dicitur simplex & pura intelligentia: aut etiam, vertex intellectus, & apex rationis.

Vis appetitiua, dicitur Synteresis, apex voluntatis, appetitus superrationalis, principalis affectio, & supremus affectus.

Media portio, dicitur spiritus, cuius

Vis apprehensiua est Memoria, & intellectus vt ratio.

Vis appetitiua est voluntas, seu appetitus rationalis.

Infima portio, dicitur Animalitas, sensualitas Anima & ratio inferior, cuius

Vis apprehensiua, est sensus externus & internus. Sensus autem externus est visus, auditus, odratus, gustus, tactus. Sensus quoque internus est sensus communis, imaginatio, phantasia, æstimatio & memoria.

Vis appetitiua, est appetitus concupiscibilis & irascibilis. Appetitus cōcupiscibilis affectio est amor, desideriū, delectatio, odiū, fuga, dolor. Appetitus irascibilis affectio est spes, desperatio, audacia, timor, ira.

DISTINCTIO I.

De viribus infimæ portionis, tum apprehensiuis, tum appetitiuis.

ARTICVLVS I.

De viribus apprehensiuis.

VIres sensitiuæ apprehensiuæ sunt duplices. Aliæ exteriores, *vt sunt* quinque sensus corporis. videlicet. Visus, Auditus, Gustus, Odoratus, Tactus. Aliæ interiores, vt sunt alij quinque sensus (qui in cerebro sua organa habent) nempè sensus communis, imaginatio, phantasia, æstimatio & memoria. Sensus communis (qui ideo sic vocatur, quia ex illo sensus exteriores prodeunt, & in illum redeunt, velut lineæ à centro in orbem, & ab orbe in centrum) habet tria officia. *Primum* est, formas nimirum seu imagines & similitudines rerum ac obiectorum particularium præsentium, quas sensus exteriores apprehendunt, recipiendi. *Alterum* est, quoddam proferendi iudicium de sensibus exterioribus: quod nimirum visus, apprehendat & videat album & non nigrum; auditus, audiat vocem hominis huius & non alterius; gustus, gustet dulce & non amarum, & sic de reliquis. *Tertium* est, sensatum cum sensato (*id est*, rem vnam sensu aliquo exteriori cognitam, cum altera) comparare, ac determinare. v. g huic rei maior albedo inest, quàm alteri. Vel, hoc magis est dulce, quàm illud, &c.

Imaginatio habet officium, species videlicet seu similitudines à sensu communi apprehensas, absente re seu obiecto, formandi ac eliciendi. Vis æstimatiuæ munus est, ex formis seu imaginibus per imaginationem apprehensis, intentiones naturæ (*id est*, propensiones, seu proprietates, ac pronitates naturales) rerum sequendarum, vel fugiendarum, elicere. Secundum hanc virtutem, ouis lupum æstimat suæ vitæ hosté. Ita auté vis æstimatiua differt ab imaginatiua, sicut differt intellect⁹ practicus, ab intellectu speculatiuo.

Phantasiæ triplex est officium: *primum* est, componendi formas cum formis; ac inde fingendi nouas alias formas, vt est componere ex albo & nigro varium: quod fecerunt oues (*Gen.* 30.) dum ex apprehensione virgarum candidi & viridis coloris, parerent Iacob agnellos varios. *Secundum*, componendi intentiones cum intentionibus. Vt facit ouis, dum intentionem nati sui & alieni apprehendens, suo non nisi nato vbera præbet, & alienum à se repellit. *Tertium* est componendi formas cum intentionibus; secundum quod, ouis formam lupi fugit apprehensam.

Vis memoratiuæ seu memoriæ sensitiuæ munus est, formas nimirum, & intentiones rerum, seu obiectorum, ex ijsdem formis elicitas, conseruare; easq; præteritas reuocare ac repetere. *His sensibus* aliqui addere volunt sensum naturæ (vel alio nomine, legé naturæ, seu

ſeu inclinationē & inſtinctū naturalē) quo natura ſuum imminens bonū vel malū præſentit. Vnde venit illud, quod aliquādo nonnulli, præſente hoſte horripilationem ac tremorem quendā patiantur. Sed alij hunc ſenſum, cum phātaſia ac vi æſtimatiua confundere volunt.

Notandum autem eſt, quod inſtinctum ac impulſum eiuſmodi naturalem, ſicut & primi mobilis influentias, magis animalia quàm homines præſentiunt: quia homines multum occupantur circa ſuas conceptiones, ratiocinando, conferendo, componendo & diuidendo; animalia verò his minimè detinentur.

Articvlvs II.

De viribus motiuis.

VIres ſenſitiuæ motiuæ, ſunt duplices. *Altera* quibus mouetur anima corporaliter ſeu externè. vt eſt virtus naturalis, quæ eſt motiua humorum: & vt eſt virtus vitalis, quæ eſt motiua pulſuum: & vt eſt virtus animalis, quæ eſt motiua membrorum: *Altera* ſunt quibus anima mouetur ſpiritualiter ſeu internè. Vt ſunt appetitus ſenſitiui duæ vires, mouentes animam aut diligendo aut odiendo; quarum vna dicitur *concupiſcibilis*, & altera *iraſcibilis*: per concupiſcibilem enim appetit anima bonum, per iraſcibilem verò inſurgit contra malum. Ex concupiſcibili, conſurgunt duæ affectiones, nimirum ſpes & delectatio. Si enim abſens eſt, quod concupiſci-

mus, speramus illud; si autem præsens est, in illo delectamur. Ex irascibili aliæ duæ affectiones oriuntur, videlicet dolor & timor: nam si præsens est, de quo irascimur, dolemus; si verò absens, timemus. *Vel iuxta aliorum placitum.* Vis concupiscibilis sex affectionibus gaudet. vt sunt, Amor, desiderium, & delectatio: odium, fuga, & dolor. Vis verò irascibilis, quinque habet affectiones. vt sunt, Spes & desperatio, audicia ac timor, & ira, quæ non habet oppositam affectionem, nisi ipsam sui cessationem.

Notandum est primo, quod præsentes affectiones prout sunt in animali, sequuntur apprehensionem sensuum internorum; sed prout sunt in homine, & apprehensionem sensuum internorum sequuntur, & iudicium rationis inferioris, à quo, & ipsum regimen agendi ac operandi accipiunt. Vnde est quod ab Ascetis & Mysticis, anima seu sensualitas, secundum hunc appetitum sensitiuum vocatur Ratio inferior; sicut è contra, ratio inferior, quando huius appetitus affectionibus inordinatè se habentibus, nimis conniuet, Sensualitas nuncupatur.

Notandum secundo, quod affectus huius sensitiui appetitus, *aliquando* vocantur affectiones naturales, seu inclinationes ac propensiones innatæ. *id est,* cum natura natæ, quas quiuis se experitur habere ad proprium corpus, ad vitam, ad sanitatem, ad amicos,

cogna-

cognatos, &c. Huiusmodi affectiones tendunt in vtilia & delectabilia naturæ corporali. *Aliquando* ijdem affectus dicuntur affectiones sensuales, vel alias habitudines carnales; dum videlicet animum suis incitamentis ac impulsibus prouocant ac stimulant ad carnalia immoderata desideria. *Aliquando* eædem affectiones appellantur passiones & propassiones. Passiones quidem, quando sic suis impetibus commouent sanguinem ac cæteros humores in corpore, vt exterius facies, oculus, ac cætera membra corporis, ab eis immutationem sui patiantur: & quando ipsam etiam superiorem rationem, sic suis perturbant impulsibus, vt omninò desistat ab executione sui officij, quod est legem diuinam considerare, ac iuxta præscriptum illius, actiones humanas moderare ac dirigere. Propassiones tandem vocantur, quando non nisi ipsam immutant exterius animam, & solam rationem inferiorem (quæ, propter intimam cum appetitu sensitiuo coniunctionem, facta est amica ac patrona sua) concitant ac in discursus & ratiocinationes importunas prorumpere faciunt; sed rationem superiorem, nequaquam confundunt, nec rectum eius peruertunt iudicium.

DISTINCTIO II.

De viribus mediæ portionis.

ARTICVLVS I.

De memoria.

MEmoria, prout ad spiritum pertinet, dicitur memoria *intellectiua*: prout verò ad animam spectat, dicitur memoria *sensitiua*. Memoriæ intellectiuæ, sunt quinque officia seu actus. *Vtpotè*, Apprehensam acquisitamq; ab intellectu scientiam, seu conceptionem, conseruare ac retinere. Seruatam intellectui repræsentare. Elapsam recolere. Nouam excogitare. Tandem exterius manifestare, voce scilicet aut calamo. *Hinc est*, quod intellectiua memoria, aliquando se habet *passiuè*, quando videlicet recipit & conseruat cognitiones intellectus; aliquando *actiuè*, quando easdem elapsas recolit, & intellectui repræsentat.

Memoria sensitiua, est iterata resumptio alicuius sensu apprehensi. vel, est repetitio obiecti particularis. vel, est reuocatio speciei sensibilis, vicem obiecti gerentis. *Vndè*, hæc est differentia inter memoriam intellectiuam & sensitiuam; quia intellectiua eorum curam habet, quæ intellectus cognoscit ac intelligit: sensitiua verò, eorũ quæ sensus apprehendit.

ARTICVLVS II.

De intellectu, ac diuisionibus, operationibus, actibus, & habitibus illius.

SCholasticorum vsu, potentia intellectiua, vel alias ipse intellectus, secundum diffe-

rentiam

rentiam suorum officiorum, communiter diuidi solet, in *agentem* & *possibilem*. Intellectus agens, vnicum habet officium, vtpotè, per suam actiuitatem seu abstractionem, vna cum phantasia, ex specie sensibili, formare ac facere speciem intelligibilem, obiecti vices gerentem. *Vel alias*, ex specie seu forma imaginaria, producere speciem seu formam intellectualem ac spiritualem, ex particulari vniuersalem. Intellectus *possibilis* quatuor habet officia, seu intellectui possibili quatuor sunt possibilia. *Primum* est, recipere speciem intelligibilem ab intellectu agente formatam. *Secundum*, producere vna cum specie intelligibili, intellectionem obiecti: & ab hoc officio idem intellectus, dicitur productiuus seu actiuus. *Tertium* est, recipere in se productam intellectionem: & ab hoc officio dicitur passiuus. *Quartum* est, tendere per intellectionem in obiectum: & ab hoc officio dicitur operatiuus.

Porro secundum differentiam obiecti, diuiditur intellectus in *speculatiuum* & *practicum*. Speculatiuus dicitur, qui cognoscit obiecti veritatem in ratione veri. Practicus verò, qui cognoscit obiecti veritatem in ratione boni: vnde per intellectum speculatiuũ rectè intelligimus; per practicũ autẽ rectè agimus.

Tandem secundum differentiam dignitatis, diuiditur intellectus in *rationem superiorem* & *inferiorem*. Ratio superior deducit

conclusiones ex propositionibus per se notis. Inferior verò ex principijs, sumptis videlicet ab experientia per sensus.

Operationes & actus intellectus, hoc modo inter se distinguuntur: nam *operatio* est extensio & intentio potentiæ in obiectum, quâ tendit intellectus in cognitionem eiusdem obiecti; vel quâ profectum facit in intellectionem rei intelligibilis: *actus vero intellectus*, est ipsa eiusdem obiecti aut rei intelligibilis cognitio, ab intellectu producta ac elicita. *Vnde* sicut operationes intellectus sunt tres, ita & actus. *Prima* operatio dicitur simplex apprehensio, quâ tendit intellectus simpliciter seu absolutè, *id est*, ante omnem iudicij actum, in confusam obiecti apprehensi cognitionem. *Secunda* dicitur Iudicium, quâ tendit intellectus in cognitionem obiecti distinctam, affirmando videlicet aliquid de obiecto aut negando: seu, componendo aliquid cum obiecto; aut illud, vel ab illo diuidendo. *Tertia* dicitur Discursus, quâ tendit intellectus ex notis propositionibus, per illationem, in euidentem ignotæ veritatis cognitioné. *Primus* actus intellectus dicitur Directus, quo cognoscit intellectus obiectum directè, *id est*, simpliciter ac absolutè, absque vlla scilicet obliquitate sui respectus, ad alterius obiecti eiusque cognitionis comparationem. *Secundus* dicitur Collatiuus, qui idem est, quod obiecti cognitio actualis, ad alterius obiecti cognitio-

gnitionem ordinata. *Tertius* dicitur Reflexus, quo intellectus post cognitionem obiecti directam aut collatiuam, reflectit se, vel supra suam cognitionem, vel supra se cognoscentem, vel supra suum cognitum.

Habitus intellectiuæ potentiæ sunt quinque, *vtpote*, Intellectus, sapientia, scientia, prudentia, ars. *Intellectus* habitualis, est habitus generatus ex cognitionibus primorum principiorum. *Sapientia* habitualis, est habitus acquisitus per cognitiones conclusionum, ex principijs vniuersalissimis deductarum. *Scientia* habitualis, est habitus acquisitus, per cognitiones conclusionum, deductarum ex vniuersalibus principijs. *Prudentia* est habitus, cum recta ratione actiuus, per acta eidem rationi conformia acquisitus. *Ars* est habitus, cum recta ratione factiuus, per facta scilicet eidem rationiconformia acquisitus.

Mysticorum vsu antiquiorum, potentia intellectiua, secundum differentiam trium illius officiorum, in tres quosdam gradus diuidi solet, in *rationem* videlicet, *intellectum* & *intelligentiam*, Rationis officium est, cognoscere nimirum fidei terminos, propositiones & conclusiones per aliud: terminos quidem (*Vt est*, Deus, Christus, Trinitas, Pater, Filius, Spiritus sanctus, Creator, Saluator &c.) per quandam eorum definitionem: Propositiones vero fidei (*Vt sunt* articuli fidei, de symbolo Apostolorum, S. Athanasij, & Con-

cilij

cilij Nicæni) per collationem cum alijs propositionibus magis notis: Conclusiones tandem fidei, per præmissas notas ac iam intellectas propositiones: ex quibus necessariò sequi eas, ipse discursus rationis euidenter demonstrat. Ad officium quoque eiusdem rationis spectat, ex præsenti scilicet cognitione fidei terminorum, propositionum & conclusionũ, consurgere ac deuenire in diuinorum asceticam meditationem.

Intellectus (qui est, quasi intus legens; nam venit à verbo intelligo, quod est, quasi intus lego; sicut & intelligere, est quasi intus legere, *id est*, interiora obiecti, puta essentiam quæ sub sensum non cadit, penetrare ac percipere) officium est, eosdem fidei terminos, propositiones ac conclusiones simpliciter (*id est*, absque alio) cognoscere. Cognoscit autem intellectus simpliciter fidei terminos, quando actu eos intelligit absque officio rationis, *id est*, post omnem eorum definitionem. Propositiones verò, quando eas, post omnem collationem cum alijs propositionibus quocunque modo magis notis, intelligit. Conclusiones tandem fidei simpliciter cognoscit intellectus, quando eas percipit ac intelligit post omnem illationis discursum. Ad officium etiam eiusdem intellectus spectat, ex præsenti videlicet simplici cognitione terminorum, propositionum & conclusionum fidei, consurgere ac deuenire, in diuinorum ordinariam contemplationem. Intel-

Intelligentia ad hoc apta nata est, vt secundum suum officium, post contemplationem ordinariam, consurgat ignotè, & ingrediatur extraordinariam Dei ac diuinorum contemplationem.

VII. recentiorum mysticorum, vis intellectiua seu ipsa potentia intellectus, non nisi in duos distinguitur gradus, in *rationem* videlicet, & *intelligentiam*. Ratio deindè, respectu suorum officiorum, diuiditur in *superiorem* & *inferiorem*: cuius rei exemplum habetur in oculo sursum & deorsum aspiciente. *Vnde* rationis superioris officium est, veritatis videlicet fidei cælitus reuelatæ, terminos, propositiones & conclusiones considerare. *Vel item*, leges diuinas meditari ac scrutari, & secundum eas vitam instituere ac mores componere. *Vt*, Hoc est faciendum, quia Deus præcipit, consulit &c. Officium autem rationis inferioris est, leges ciuiles, mundanas, & sensualitatis rimari, & secundum eas actiones humanas tam internas quàm externas promouere. *Vt*. Hoc est faciendum, quia Princeps imperat, quia honestum est, quia Reipublicæ vtile, quia sensui delectabile, &c.

Porrò, Rationem diuidunt spirituales, in *speculatiuam* & *practicam*: speculatiua seu cognitiua est, dum iudicat aliquid esse verum aut falsum, bonum aut malũ, & ibi sistit. Practica verò est, dum iudicat bonum, vt fiat, illudque appetit. Speculatiuæ rationis duo sunt

actus,

actus, quibus in finem veri dirigitur: *vtpotè*, ratiocinatio, & aspectus veri. Ratiocinatio, idem est, quod obscuræ veritatis, rationibus ac documentis elucidatio. Vel quoque idem est, quod veritatis ignotæ, per discursum rationis inquisitio seu inuestigatio, præcedens ipsum illius cognoscere. Aspectus veri, est ipsa cognitio seu intellectio veri per aliud, non autem simpliciter. Practicæ rationis tres sunt actus, quibus in finem boni dirigitur: vtpotè discretio boni & mali, electio boni seu melioris, & ipsa dilectio: quo pacto apud *D. Aug.* sic definitur. Ratio, est animæ aspectus, quo bonum & malum discernit, virtutes eligit, Deum diligit.

Intelligentiam quoque Mystici, respectu duorum eius officiorum, diuidunt in *simplicem*, & *puram*. Intelligentia simplex, post omnem discursum simpliciter apprehendit veritatem (*vtpotè*, terminos, propositiones, & conclusiones fidei) ac ordinariè illam contemplatur. Intelligentia pura, purè ac nudè apprehendit & contemplatur Deum. *Nota*, quod persæpe mystici pro pura intelligentia, ponunt simplicem intelligentiam, sed non è conuerso.

ARTICVLVS III.

De voluntate, ac eius affectibus, & actibus.

VOluntas, est quasi volitans seu volans; volat enim, cùm vult, vt in suo centro seu

fine

fine conquiescat. *Nota*, id esse in spiritualibus finem, quod est in corporalibus centrum; &, id esse, in spiritualibus voluntatem seu voluntatis amorem, quod est pondus in corporalibus. *Vnde*, sicut creatura corporalis suo pondere tendit in suum centrum, vt in eo quiescat; ita spiritualis, suæ voluntatis amore, volat in finem, vt in eo quietetur. *Hinc D. Aug.* Amor meus, pondus meum: illo feror, quocunque feror. Est autem finis, vtpotè, vltimus, triplex: *Primus* dicitur verus: qui est summum verum sub ratione summi boni, quod puta esse Deum vnum & Trinum: & hic finis est iustorum ac Sanctorum omnium, in quorum persona *D. Aug.* ait. Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. *Secundus* finis dicitur apparens: qui scilicet voluntati ostenditur à ratione errante, tanquam finis vltimus: & hic finis est infidelium idololatrarum. *Tertius* dicitur præstitutus: quem scilicet deprauata voluntas, ex libertate sua, substituit sibi, tanquam finem vltimum: & hic finis est mundanorum & carnalium hominum. Hinc est, quod mens humana, dum voluntate suâ adhæret vero fini vltimo, dicitur propriè ac ordinatè quiescere in Deo, ac frui Deo: dum autem adhæret apparenti vel substituto fini; malè, peruersè ac inordinatè fruitur, iuxta illud *D. Aug.* Omnis itaque humana peruersio est, quod vitium vocatur; fruendis vti velle, & vtendis frui.

Porrò

Porrò voluntas, iuxta *Aristotelem* nihil aliud est, quàm appetitus boni cum ratione. Et iuxta *D. Aug.* Voluntas, est animi motus, cogente nullo ad aliquid admittendum, vel non admittendum; adipiscendum vel non adipiscendum. *Hinc est*, quod voluntas libera est præ cæteris potentijs in anima rationali, & Domina ac regina omnium virium: inest enim illi facultas imperandi omnibus viribus tam externis quàm internis; internis deinde, tam affixis corporeis organis, quàm non affixis, *id est*, purè spiritualibus; nec cogitur à bono sic, vt necessariò illud velle debeat; sicut cogitur intellectus à vero, vt illi omnino assentiri teneatur. Est autem huiusmodi voluntas, alia *antecedens*, & alia *consequens*. Voluntas antecedens, vult bonum in communi apprehensum: & dirigitur per synteresim scholasticè acceptam, *id est*, per lumen cognitionis principiorum moralium, quod est in practico intellectu. Voluntas verò consequens, vult bonum in particulari apprehensum: & dirigitur per conscientiam, *id est*, per lumen cognitionis conclusionum moralium, quod etiam est in practico intellectu. Hanc voluntatem consequentem sensualitas deprauare conatur, dum eam impetu suo stimulare non finit, vt bonum in particulari (*vt est*, alicuius virtutis studium) quod sentit suis motibus esse contrarium, refugiat; malum verò vitij, quod est suum delectamentum, sub spe-

cie

cie boni amplectatur: verùm non itidem solicitat voluntatem antecedentem; cùm illa de mortificatione proxima sensuum ac passionum illius, curam non habeat.

Motus voluntatis, aliquando *affectus*, aliquando *actus*, dicuntur. Affectus huius loci, differunt ab affectibus appetitus infimi, in eo, quòd illi sequantur apprehensionem sensuum inferiorum, & iudicium rationis deorsum aspicientis, ac nimis sensualitati fauentis; isti autem non moueantur, nisi præuio lumine iudicij rectæ rationis, vtpotè sensualitatem fugientis. Affectus igitur præsentes, in duplici sunt differentia: *alij*, quibus voluntas, vt concupiscibilis, erga bonum, vt est Deus, ac eius beneplacitum, beneuolè se habet: *alij*, quibus voluntas, vt irascibilis, contra malum, quale puta esse peccatum & vitium, maleuolè se habet; & hoc, non tam propter damnum, aut lucrum aliquod corporale ac temporale (tunc enim voluntas, lumen iudicij rationis inferioris sequeretur) quàm propter spirituale ac æternum, soliusque Dei offensam. *Vel alias.* Affectus *alij* sunt, quibus voluntas vt concupiscibilis, appetit bonum, & refugit malum, vt absolutè consideratum, *id est*, à medijs, consideratione præcisum: *alij* quibus voluntas vt irascibilis, vult bonum, & non vult malum, vt arduum apprehensum, *id est*, cum ipsis medijs consideratum. Sunt autem affectus voluntatis vt concupiscibilis, quibus appetitur

petitur bonum, tres, *vtpotè*, amor, desideriũ, gaudium seu lætitia; & *alij* tres, quibus fugitur malum, *vtpotè*, odium, fuga, & tristitia. Voluntatis verò vt irascibilis sunt quinque, *vtpotè*, spes, desperatio, fortitudo, timor & ira.

Actus voluntatis, alij sunt *eliciti*, alij *imperati*. Eliciti sunt duo, volitio nimirum & nolitio: sicut enim intellectus respectu veri & falsi, habet se actu affirmationis & negationis; ita se habet voluntas respectu boni & mali, actu volitionis & nolitionis. *Vel deinde* actus voluntatis eliciti sunt sex: tres quidem respectu finis, *vtpotè*, amor, intentio, & fruitio: tres etiam respectu mediorum, *vtpotè*, consensio, electio, & vsus. Nam sicut intellectus, assentitur vero absoluto propter se, *vtpotè*, tum primo principio, quod est per se notum, tum ipsi Deo reuelanti; & vero respectiuo, propter aliud, *vtpotè*, conclusioni, propter primum principium ex quo rectè infertur, vel Ecclesiæ, propter Deum: Ita voluntas, vult bonum absolutum propter se, *vtpotè*, finem vltimum; & bonum respectiuum propter aliud: *vtpotè*, media propter finem. Volendo igitur voluntas bonum absolutum, elicit actum amoris, intentionis, & fruitionis; volendo autem bonum respectiuum, elicit actum consensus, electionis & vsus.

Actus amoris, est prima inclinatio voluntatis in bonum per se expetibile, abstrahens à præsentia & absentia. Seu, Amor, est voli-

tio

tio finis absolutè considerati. *Actus* intentionis, est volitio finis tanquam absentis. *Vel quoque* intentio, est directio, eleuatio, & sursum ductio cuiuscunque affectus, præsertim veræ spei, & desiderij, in finem voluntati vnibilem. *Vel tandem* est actus voluntatis, quo dirigitur omnis actio in Deum, propter solum Deum. *Actus* fruitionis, seu fruitio, est actus voluntatis quiescentis in bono præsenti, seu in fine adepto. *Vel,* est ex fine desiderato, iam possesso, fructus captio. *Vel quoque,* fruitio est actus elicitus, quo vnitur voluntas cum fine, habens sibi annexam voluptatem spiritualem. *Vel tandem* fruitio, est quieta & voluptuosa fini propter seipsum adhæsio.

Actus consensionis, seu ipse consensus huius loci, est actus voluntatis, liberè acceptantis certa media, quæ post perfectam deliberationem, iudicata sunt conuenire ad finem obtinendum. *Actus* electionis seu electio, est actus voluntatis, aliquod medium particulare, post plenam deliberationem segregantis & acceptantis, tanquam magis conueniens, ad obtinendum finem. *Actus* vsionis seu vsus, est actus voluntatis elicitus, potentias executrices ad operationem applicantis: seu mandantis potentijs sibi ministrantibus, executionem ac impletionem certi alicuius medij, ad obtinendum finem ordinati. *Hinc est,* quod *duplex* habetur vsus: *Vnus* elicitus, quo voluntas impleri vult ab alijs potentijs, ea, quæ

sunt

sunt ad finem: *alter* est imperatus, qui elicitur ab aliqua potentia voluntati obtemperante. *Vel*, qui est ipsamet rei imperatæ executio, per potentiās voluntati ministrantes.

Actus imperati sunt diuersi, *alij* quibus voluntas imperat intellectui, vt mediteṭur aliquod mysterium fidei, *vel*, vt contempletur veritatem alicuius mysterij, iam antea per opus meditationis cognitam seu intellectam: *Alij*, quibus voluntas imperat sensualitatī (est autem sensualitas iuxta *D. Bonau.* illa potentia animæ, quæ sensificat corpus & mouet; & appetit ea, quæ sunt delectabilia corpori, & refugit nociua) vt motibus ac impulsibus passionum suarum non præualeat contra dictamina rectæ rationis: *Alij*, quibus imperat voluntas potentijs corporeis, exteriorem aliquam operationem. Sunt *igitur* actus voluntatis imperati, ipsa *scilicet* meditatio, contemplatio, fides, ambulatio, auditio, visio, & alij similes, qui nimirum motu & imperio voluntatis, à suis potentijs eliciuntur. *Hinc est*, talem esse differentiā inter actum elicitum & imperatum; quod actus elicitus ille dicatur, qui proximè à potentia, & per ipsam potentiam, producitur: *vt est* volitio voluntatis, intellectio intellectus, visio visus, auditio auditus, &c. Actus autem imperatus, qui nimirum fit à potentia voluntatis, ministerio ac opera alicuius alterius potentiæ.

Denique actus voluntatis, alij dicuntur *imma-*

immanentes, alij *transeuntes*. Actus immanens, idem est quod actus elicitus à voluntate, qui nimirum in eadem voluntate recipitur post sui productionem. *Vt est*, volitio, nolitio, propositum, &c. sicut similiter actus ab intellectu elicitus, qui in ipso intellectu tanquam in sede sua excipitur, immanens etiam dicitur. *Vt est* intellectio, affirmatio, negatio, &c. Actus transiens, idem est quod actus imperatus à voluntate, & elicitus à potentia aliqua corporea, qui transit extra potentiam, à qua producitur. *Vt est*, eleemosyna, disciplina, obeditio, imitatio, &c. Huiusmodi actus, tam videlicet immanentes quàm transeuntes, communiter dici solent ab ascetis, effectus & fructus piæ meditationis.

Tandem actus voluntatis alij dicuntur *formati*, & alij *infusi*. Actus formati, idem sunt quod producti seu eliciti. Actus infusi illi dicuntur (tam videlicet voluntatis, quàm intellectus; vel potius, tam supremi appetitus, quàm puræ intelligentiæ) quos potentia nequit elicere operando, nisi recipiendo & cooperando. Huiusmodi autem actus non infunduntur à Deo, nisi animæ selectissimæ ac optimè depuratæ ab omni irretentibili & absoluto: qui quidem actus, dum fiunt in anima, *vtpote* diuinâ inactione seu infusione, non fiunt sine anima, sed cum ipsa anima, & per ipsam animam: eiusmodi enim operationes diuinæ, requirunt ipsius animæ vitalem acti-

uitatem, qualis est illius dispositio, præparatio, & cooperatio.

ARTICVLVS IV.

De differentia, inter affectus, & actus voluntatis.

VErum quidem est, quòd affectus & actus voluntatis, ascetarum & mysticorum vsu sæpissimè confundantur, ac pro eodem accipiantur, tamen aliquot differentiæ inter eos dari possunt. *Prima* illarum est, quòd affectus sunt motus & conceptus voluntatis passiuæ; actus verò sunt motus & partus voluntatis actiuæ. Voluntas rationis, tunc se passiuè habet, quando vel mediante aliqua consideratione piâ, ab ipso spirituali obiecto, ad diuina quandam percipit sui excitationem & commotionem; ita vt sentiat se vel tristari de peccatis præteritis; vel desiderium virtutis, mortificationis ac obseruantiæ legis diuinæ concipere; vel gaudium de perfectionibus Dei, ac lætitiam de puritate suæ conscientiæ experiri, &c. *Deinde*, passiuè se habet voluntas, quando ab ipso Spiritu sancto, mediante illius diuinâ inspiratione ac infusione illustrationis & suauitatis cælestis, ad præponendum omni mundanæ expectationi beneplacitum Dei, & ad seipsam relinquendam & abnegandam, propter Christi imitationem, emollitur & inclinatur. Actiuè autem habet se voluntas, quando horum aliquo modo per-

mota,

mora, actibus suis per seipsam elicitis, auxiliante & cooperante sibi diuina assistentia, animo deliberato, in suum se contendit transferre amatum, *id est*, Deum.

Secunda differentia est inter affectus & actus: quòd affectus possunt quandoque esse motus ipsius voluntatis incompletæ; actus verò, non nisi completæ. Voluntas incompleta est de impossibili, vnde alias velleitas dicitur: hâc velleitate seu incompletâ voluntate, vellet homo bonum (vt est vera pœnitentia, obseruantia mandatorum Dei, mortificatio vitiorum, & studium virtutum) ad quod iam beneuolo affectu se commoueri sentit, si illud esset sibi possibile, vtpotè ratione mediorum. Voluntas verò completa, non est nisi de possibili: hâc voluntate homo efficaciter ac seriò vult bonum, & media illius quantumuis ardua & difficilia eligit, proponit, & ipso vsu transcurrit, nihil sibi in via spirituali impossibile esse existimans, propter assistentiam auxilij diuini sibi præsentissimam.

Tertia differentia est, quòd affectus possunt aliquando esse motus solius indeterminatæ voluntatis, actus verò non nisi determinatæ. Habere aliquis voluntatem indeterminatam dicitur, quando sentit se commoueri aliquo pio affectu erga Deum, ac eius voluntatem, sed hâc ratione nullum actum elicit, quo se in hanc vel in alteram partem determinet. Determinatam autem voluntatem a-

liquis habet, quando suum affectum conceptum, aliquo actu elicito aut imperato explicat, terminat, ac manifestat.

Nota autem, quod affectus, quo est purior & suauior, eo etiam actus eius est intensior, ardentior, acutior & penetrabilior. *Nota deinde*, quod aliquis actus, dicitur actus affectuosus, *id est*, inflammatus; & è conuerso aliquis affectus dicitur actuosus seu actiuus, eleuatus, sursum ductus, acutus, penetratiuus, &c.

DISTINCTIO III.

De viribus supremæ portionis.

ARTICVLVS I.

De mente.

MEns *communiter* accipi solet, tàm pro spiritu, quam pro singulis eius potentijs, imò & pro ipsis actibus singularum potentiarum. Sed vsu *Mysticorum*, mens significat portionem animæ rationalis, cæteris eminentiorem ac sublimiorem, *id est* supremam: inde enim dicta est mens, quod in anima emineat: quæ quidem illius eminentia ac sublimitas, eo quod faciliter & sufficienter explicari non possit, idcirco pluribus ac diuersis insignitur à Mysticis nominibus, vt ex illorum proprietatibus ac significatis natura sua aliquatenus innotescere queat.

Primò igitur mens vocatur acies, intimum ac centrum rationalis animæ, eo quod ab illa poten-

potentiæ effluant, & in eam refluant. Effluunt quidem, quando mens extrouertitur ad inquirenda diuina, vtpotè per aliud aspicienda, & consequenter efficacissimè eligenda: Refluunt deinde, quando eadem mens abnegatis discursibus, se in suam recipit ac introuertit originem & vnitatem, vbi præsentissimum Deum tanquam in suo proprio solio requiescentem, simpliciter, aut aliquando purè, contemplatur.

Secundò mens dicitur apex, vertex, culmen ac summitas spiritus, ex eo videlicet, quòd sicut culmen flammæ ignis, deorsum non incuruatur, dum de se in superiora tendit, ac ibi emicat: sic mens, non respicit inferius, ad ea videlicet quæ impediunt suam simplicem aut puram contemplationem, & dissoluunt siue sobriam, siue ecstaticam vnionem, dum puta in Deũ erigitur, ac illi aliquo speciali inhæret amore.

Tertiò mens dicitur basis, imum, infimum, fundus seu fundum animæ rationalis, quatenus videlicet in contemplatione Dei, recipit in se influentias cælestes; imò & ipsum Deum specialiter sibi illapsum complectitur.

Quartò mens vocatur orificium animæ: nam sicut vas orificio suo respectu liquoris habere se solet actiuè & passiuè, dum eum in suum fundum recipit, & indè effundit: ita mens respectu Dei habere se solet actiuè & passiuè, dum in eum agit, & ab eo agitur.

Quintò mens vocatur scintilla animæ, eo videlicet, quòd sicut scintilla seu igniculus è silice exiliens duo continet, splendorem puta & ardorem: ita mens duas illas vires excellentissimas comprehendit, nimirum simplicem ac puram intelligentiam, quæ resplendet claritate simplicis ac puræ cognitionis Dei, eiusque mysteriorum; & synteresim, quæ erga Deum amore aliquo speciali exardescit.

ARTICVLVS II.

De Intelligentia simplici ac pura.

INtelligentia, apud Scholasticos significat *tum* intellectum animæ rationalis, *tum* ipsum eius actum, *id est*, intellectionem; *tum* denique ipsam substantiam separatam, qualis est Angelus, ab omni scilicet materia abstractus: & anima rationalis, à corpore soluta ac separata.

Apud Mysticos verò, intelligentia, idem est quod supremus gradus vis intellectiuæ, seu summitas intellectus, vertex intellectus, apex rationis. *Vel etiam* idem est, quod ea vis cognitiua, quâ anima rationalis immediatè supponitur Deo, suscipiens ab eo lucẽ spiritualem; in qua, & per quam, tum simpliciter, tum purè diuinorum veritatem cognoscit.

Notandum autem est, quod præsens simplex intelligentia *dupliciter* immediatè supponitur Deo, ac immediatè ab eo lucem recipit. *Vtpote* naturaliter & supernaturaliter.

Natu-

Naturaliter supposita Deo, accipit naturalem quandam lucem internã, in qua & per quam simpliciter cognoscit primorum naturalis veritatis principiorum (terminis eorum apprehensis) & conclusionum, ex eis illatarum (*vtpotè*, post omnem discursum) veritatem esse certissimam.

Supernaturaliter deindè supponitur Deo simplex intelligentia *ordinariè & extraordinariè*, respectu nimirum diuinæ supernaturalis ordinariæ & extraordinariæ inactionis. Ordinariè supposita Deo, accipit lucem supernaturalem ordinariã, in qua & per quam apta est summum ac incommutabile verum, *id est*, Deum, cum suis perfectionibus, tàm in primis principijs fidei reuelatæ, quàm in conclusionibus ex illis deductis, simpliciter intueri & contemplari. *Verùm cùm dicitur*, quod simplex intelligentia immediatè supponitur Deo, à quo lucem accipit, non debet intelligi simplicem intelligentiam omninò iam non accipere aliquando lucem spirituale̅ à Deo mediatè: accipit enim lumen, *id est*, cognitionem Dei ac diuinorum ab ipso Deo, mediante doctrinâ, lectione, ratiocinatione, speculatione & meditatione ascetica; quam deinde cognitionem diuinorum, absoluto ac abnegato omni discursu, ad ordinariam ducit contemplationem.

Extraordinariè pura ac nuda intelligentia supposita Deo (quâ mysticus supra omne abso-

solutum eleuatus in Deum) accipit ab eo lucem quandam supernaturalem extraordinariam, in qua & per quam Dei præsentiam, & eius mysteriorum veritatem, nudè ac purè, apta est intueri & contemplari. *Hinc etiam sciendum est*, quòd nuda ac pura intelligentia, adhuc mediate lucem extraordinariam à Deo recipit, quando nimirum media supremi affectus seu synteresis experientia, actũ cognitionis elicit, quàm videlicet suauis est Dominus.

Prima principia (*vel alias*, Axiomata, Respectus primi, Conceptiones animi communes, Regulæ immutabiles, &c.) de quibus in præsenti mentio fit, alia sunt veritatis *naturalis* alia *supernaturalis*. Principia veritatis naturalis sunt in triplici differentia. *Primæ* differentiæ principia dicuntur veritatis speculatiuæ, quæ per se sunt nota, *vt est illud*. Totum, est maius suâ parte. *Secundæ* differentiæ principia vocãtur veritatis experimentariuæ, quæ nimirum post experientiã sensuum, sunt simpliciter nota, *vt est illud*. Ignẽ necesse est esse vrentem. *Tertiæ* differentiæ principia dici solent veritatis moralis seu honestatis, quæ per ipsam legẽ naturæ sunt manifesta. *Vt est illud*. Bonum est diligendum, & malum detestandũ. *Et*. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.

Prima quoque principia veritatis supernaturalis, *vtpotè* diuinitus reuelata, sunt etiam triplicis generis. *Primi* generis, dicuntur veritatis fidei, quæ à simplici intelligentia per

lumen

lumen fidei infusum, illicò simpliciter concipiuntur, terminis videlicet eorum apprehensis. *Vt sunt* articuli symboli Apostolorum, Athanasij, & Concilij Nicæni, in quibus Deo tanquam primæ veritati propter se, & supra omnia assentimur. *Secundi* generis principia reuelata dici solent veritatis moralis, seu principia honestatis, quæ post doctrinam & disciplinam spiritualem, fidelibus nota sunt simpliciter. *Vt puta esse,* præcepta diuina, & consilia Euangelica. *Et illud.* Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. & alia similia. *Tertij* generis, dicuntur principia veritatis experimentatiuæ, quæ nimirum post experientiam sensuum spiritualium, simpliciter ab intelligentia concipiuntur. *Vt est illud.* Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. *Et illud.* Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futurā gloriam, quæ reuelabitur in nobis. *Et illud.* Iugum Christi suaue est, & onus eius leue. *Et illud.* Bonum est viro cùm portauerit iugum ab adolescentia sua. *Et illud.* Bonum mihi, quia humiliâsti me, vt discam iustificationes tuas. *Et illud.* Melius est mori quàm peccare.

ARTICVLVS III.

De Synteresi.

SYnteresis est Græca dictio, & significat attentionem & conseruationem, quâ rationalis anima attendit sibi, vt se immaculatam

à vitio conseruet: quâque malè à se perpetrata continuo arguit. Vnde est illud, quod dicit *Alex. Alensis 3. parte summa.* Conscientia est regula in ratione: Synteresis verò in voluntate, instigando eam ad bonum & honestum. Et *D. Bon Brevil. part. 2. cap. 9.* Duplicem Deus indidit rectitudinem ipsi naturæ: videlicet, vnam ad rectè iudicandum; & hæc est rectitudo conscientiæ: aliam ad rectè volendum; & hæc est rectitudo synteresis, cuius est remurmurare contra malum, & stimulare ad bonum. Et *Petr. de Aquila in lib. 2. sent. dist. 39. quæst. 3. & 2.* Conscientia est quoddam dictamen rectæ rationis, ordinatum ad opus fugiendum vel prosequendum. Synteresis verò in creatura rationali est aliquid, quo homo naturaliter inclinatur ad bonum, & remurmurat de malo. Ista autem inclinatio potest esse *duplex*: vel ostensiua boni, & sic est in intellectu practico; vel est inclinatiua determinatè, non tamen quòd imponat necessitatem coactionis, & sic est in voluntate, *Hinc est*, quod præsens synteresis in sacra scriptura intelligitur per vermem, legem, & lumen. Dicitur enim synteresis idem quod *Vermis*: quia semper mordet ac rodit animum, remurmurans contra illius malè facta, iuxta illud *Isaia 66.* Vermis eorum non morietur. Dicitur *lex*, quia commonstrat ac declarat, quid agendum & quid vitandum est: quod probatur testimonio S. Pauli dicentis *Rom. 2.*

Cùm

Cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, &c. Dicitur postremò *lumen*, ob quandam scilicet naturalem diuinorum notitiam, inclinantem animum ad amorem summi boni. Vnde est illud *Psal.* 4. Signatum est super nos, lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo.

Hinc quæritur. An scilicet synteresis in anima rationali sit potentia, vel habitus, vel actus? *Respondent scholastici Doctores*, synteresim non esse potentiam distinctam ab alijs potentijs; sed esse habitum naturalem principiorum moralium, ad intellectum practicum pertinentem. Sicut enim intellectus speculatiuus, quatenus naturali quodam habitu prima principia speculatiua intelligit, appelatur intellectus principiorum. *Vel alias:* Sicut hic ipse habitus principiorum speculatiuorum, naturaliter intellectui inditus, intellectus principiorum vocatur. Ita habitus naturalis principiorum moralium seu honestatis, per quem intellectus practicus naturaliter inclinatur ad refutandum & fugiendum malum, & ad bonum amplectendum, synteresis dicitur. Hinc est illud quod dicit *Fauentinus in Scotum*. Synteresis, est habitus principiorum practicorum. Conscientia verò, est habitus conclusionum practicarum: cui habi-

tui conformari debet nostra recta ratio in agendis. *Vndè patet* quod Synteresis quæ iam est naturalis cognitio principiorum practicorum seu moralium ac honestatis, dicat. Bonum est diligendum, & malum detestandum: Conscientia autem quæ etiam est cognitio conclusionum moralium, ex principijs practicis deductarum, iterum dicat Igitur. Hoc bonum est diligendum, & hoc malum detestandum. Nam quoque conscientia secundum sui nominis significationem, est conclusionum honestatis scientia, quam applicamus ad actiones nostras singulares seu particulares. *Vel*, est cordis scientia, quâ quis est sibi conscius eorum quæ fecit, vel facere intendit.

Spirituales autem Theologi, Synteresim, in anima rationali, putant esse tum potentiã, tum habitum, tum actum eiusdem potentiæ. *Quo ad primum*, Synteresis, largo quodam modo, idem est Mysticis quod mens, vtramq; vim, simplicis videlicet intelligentiæ, & principalis affectionis comprehendens ac significans. Vti est apud D. Bonauenturam, opusculo de septem gradibus contemplationis extraordinariæ, *gradu*. 4. Et in Theologia Mystica *cap*. 3. *particula* 4. Sed propriè, strictè ac genuinè, Synteresis, non aliud est Mysticis quàm apex, summitas, summusque gradus voluntatis, seu supremus ac superrationalis appetitus. *Velitem*, est ea vis appetitiua seu motiua quâ anima rationalis immediatè supponitur

tur Deo, suscipiens ab eo quemdam ardorem spiritualem, per quem pellitur in dilectionem summi boni. *Notandum autem est*, quòd præsens Synteresis, dupliciter immediatè supponitur Deo, ac immediatè ab eo accipit ardorem, vtpotè naturaliter & supernaturaliter. Naturaliter supposita Deo, accipit spiritualem seu internum quemdam ardorem naturalem, per quem naturaliter promouetur ac stimulatur ad bonum, & retrahitur à malo. Vndè S. Bonau. *in Comp. Theol. Verit. cap.* 51. Synteresis (*inquit*) vis est animæ motiua, quæ semper nata est figi in superioribus, naturaliter mouens & stimulans ad bonum, & abhorrens malum. Supernaturaliter *deinde* supponitur Deo Synteresis, tum *ordinariè*, tum *extraordinariè*. Ordinariè supposita Deo, accipit ab eo immediatè ardorẽ quemdam internum supernaturalem ordinarium in oratione diuina, per quem pellitur in dilectionem Dei sobriè affectuosam. *Vel*, accipit quemdam feruidum, ac suauem, purumque affectum, cuius impulsu ac impetu sic fertur in Deum, vt ei facillimè sobriâ vnione copuletur.

Nota autem quòd huiusmodi affectus feruidus ac suauis, infunditur etiam persæpe incipientibus in infimum appetitum, sed nondum purus; quia & ipsi nondum sunt depurati ab affectu mundanorum, tanquam animales, quo affectu emolliuntur & inuitantur

ad contemnenda terrena & complectenda cælestia; ad fortiter resistendum tentationibus, & æquanimiter sustinendum vitæ spiritualis labores. Infunditur quoque huiusmodi affectus proficientibus in appetitum rationalem; quia & ipsi sunt iam rationales: sed adhuc non plenè purus; quia & ipsi nondum plenè sunt depurati ab omni proprietate & tepiditate: vt nimirum huiusmodi affectûs ardore illos impellente, facilè illis peruenire sit, ad primum & alterum gradum specialis vnionis actiuæ, sed non item ad tertium, *id est*, ad ipsam sobriam vnionem ac transformationẽ, ad quam soli perfecti admittuntur & euehuntur.

Nota quoque, quod præsens Synteresis, non solùm immediatè à Deo affectu suaui & ardenti inflammatur, sed etiam & mediatè; *vtpote* mediante simplicis intelligentiæ simplici intuitu diuinorum: sicut etiam & voluntas, vt appetitus rationalis est, mediante rationis discursu, diuino incalescit amore, quamuis non sic adhuc defæcato. Extraordinariè supposita Deo synteresis, quâ mysticus in Deum supra omne irretentibile eleuatus, in caligine videlicet nudæ fidei à pura intelligentia apprehensum; immediatè suscipit ab eo actum extraordinarij amoris, cui cooperans, dignus efficitur rapi & extolli, ad supereminentem vnionem. Hinc videre est, aliud esse Deum in synteresim infundere affectum,

& ali-

& aliud ipsum actum: nam affectus, ideò synteresi infunditur, vt illo permota, facillimè eliciat actum amoris sobriè vnitiui; actus verò, ad hoc ei infunditur, vt illius impetu, cum propria sui cooperatione, ad ecstaticam vnionem diuinam, rapiatur & extollatur.

Secundum hanc propriam acceptionem, synteresis, vocatur etiam à mysticis Apex mentis, scintilla intelligentiæ, Rationalis animæ portio virginalis, & cælum supremum. *Apex quidem mentis*, synteresis, ex eo sic dici solet; quia mens secundum synteresim altius euolat, magisque in Deum eleuatur, quàm secundum intelligentiam, dum plus eum diligit quàm intelligit. *Vel* altiùs euolat, dum secundum intelligentiam non ita Deum perspicaciter cognoscit, sicut secundum synteresim intensè ac intimè diligit. *Scintilla etiam intelligentiæ* synteresis dicitur, sed ob alium respectum quàm intelligentia, & ipsa mens: duo enim in scintilla considerantur, splendor *videlicet* & ardor; vndè ob splendorem cognitionis, intelligentia nomine scintillæ insignitur; synteresis autem scintilla vocatur, ob ardorem amoris; mens denique dicitur etiam scintilla animæ rationalis, inquantum simul eundem splendorem intelligentiæ, & ardorem synteresis comprehendit. *Animæ portio virginalis* tandem synteresis dici solet, & hoc propterea, quia anima rationalis secundum hanc portionem seu vim, naturaliter immacula-

tam

tam se habere & conseruare vult, ab omni inordinatione ac vitio, propter honestum. Supernaturaliter verò ordinariè, propter Dei amorem, & Christi eius imitationem, &c. Supernaturaliter denique extraordinariè, secundum hanc portionem virginalem anima rationalis, immaculatam se habere vult, non solum ab omni inordinatione ac vitio, verum etiam ab omni irretentibili, propter vnionẽ cum Deo supereminentem obtinendam. *Cælum supremum insuper appellatur* synteresis propriè sumpta, sicut etiam & intelligentia, ac ipsa mens (nam quoque cælum medium spiritus; & infimum, Anima, appellari solent) quia sicut in cælo supremo, Deus habitat per gloriam suæ maiestatis; ita in hac parte suprema animæ rationalis, singulari modo Deus naturaliter manet, vtpotè per suum instinctum naturalem. Supernaturaliter verò ordinariè, per habitualem gratiam, vtpotè primam & secundã: Extraordinariè tandem, per actualem quandam gratiam gratum facientem inusitatam. *Quo ad secundum*, synteresis apud mysticos significat etiam habitum, *tum videlicet* naturalem *tum* supernaturalẽ. Sed quatenus est habitus naturalis, ad practicum intellectum spectat, idemque est quod cognitio principiorum moralium, per quam homo naturaliter omnem refugit inordinationem, & amicus est rectitudini & honestati: ac inde à mysticis vocari solet instinctus indelebilis,

lebilis, & stimuuls ad bonum. Instinctus quidem indelebilis (qui alias dicitur interna instigatio & admonitio diuina, seu impulsus, afflatus, & tactus diuinus naturaliter homini inditus, ad retrahendum eum à malo seu inhonesto) quia in nullo homine vnquam plenè ac omnino deletur aut extinguitur, licet aliquando crassitie vitiorum intantum obturatur ac præpeditur, vt extinctus & absorptus esse videatur. Vnde docet *D. Bon. Com. Theol. Verit. lib 2. cap.* 51. quod synteresis instinctus, nunquam extinguitur totaliter, etiam in diabolo & in damnatis, sed remanet in eis aliquid illius: synteresis enim, quantum ad instinctum boni, & quantum ad displicentiam mali culpæ absolutè considerata, extincta est in diabolo & in damnatis: secundum verò quòd culpa comparatur ad pœnam, sic non est extincta in illis synteresis: & in hunc modum remanet in eis ad cruciatum ac remorsum, vt dicit Isaias *cap. 66.* Vermis eorum non morietur. Habent igitur displicentiam mali in comparatione & collatione ad pœnam. *Stimulus verò* ad bonum dicitur; quia Deus ponendo hunc habitum in simplici intelligentia practica, vniuersa principia honestatis, ac iuris naturalis ibi inscripsit ac insculpsit, & semina virtutum inseruit, surculumque rectæ, simplicis, ac Deiformis intentionis plantauit, nec non fontem amoris supremi boni stabiliuit; vt his homo naturalibus stimulis concitatus,

citatus, ac tandem ipsa speciali gratia Dei prouocatus & adiutus, aliquando perfectè trascurrat summum malum, & amplectatur summum bonum.

Quatenùs verò synteresis est habitus supernaturalis ordinariè acquisitus, aliquando spectat ad practici intellectus summitatem, *id est*, ad intelligentiam practicam, aliquando ad supremum appetitum. Ad simplicem quidem intelligentiam pertinet, dum idem est, quòd cognitio seu intellectio spiritualium veritatum, per studium sacrarum lectionum & piarum meditationum, acquisita. Et sic accipit D. Bonauentura synteresim *in Incendio amoris*. Ad supremum autem appetitum refertur, dum idem est, quod ipsa habitualis cognitio Dei ac diuinorum sobriè experimentatiua, per actus frequentatos acquisita, inclinans supremum appetitum ad actualem Dei sobriũ amorem. Quatenus denique Synteresis est habitus supernaturalis extraordinariè acquisitus, *hoc est*, infusus, pertinet etiam *tum* ad supremum appetitum, *tum* ad puram intelligentiam. Ad supremum quidem appetitum spectat, dum idem est, quod habitus Mysticæ Theologiæ. *Vel aliàs*, habitualis cognitio Dei ac diuinorum ecstaticè experimentatiua. Ad puram verò intelligentiam refertur, dum idem est, quod practica cognitio, elicita à pura intelligentia post experientiam saporosæ dilectionis, sempiternaliumque voluptatum prægustationem.

Quo

Quo ad tertium dico, quod apud Mysticos, synteresis, non solum est virtualis seu potentialis, *id est*, vis, seu potentiæ appetitiuæ summitas; & non solùm est habitualis, *id est*, habitus ex actibus frequentatis generatus: verum etiam est actualis, *id est*, actus, ad quem eliciendum, talis habitus, internè naturalem inclinat potentiam. *Et inde est*, quòd synteresis secundum Mysticos dici soleat supremus affectus & principalis affectio. *Nota autem*, quòd synteresis actualis naturaliter considerata, duos habet actus: *alterum*, ipsam remurmurationem contra malum ac indecorum: *alterum*, ipsam appetentiam boni ac honesti. Sed supernaturaliter considerata synteresis actualis, secundum Mysticos, significat actus ecstaticos, excessiuos & anagogicos. *Actus ecstaticus* apud Mysticos, aut est actus ecstaticæ mentis, ecstasi nimirum anagogicâ inchoatâ, quo superantur irrerentibilia, & ignotè consurgitur ac tenditur ad diuinam vnionem intimam: ignotè autem menti consurgere, idem est, quod absque præuia luce, *vtpotè* ordinariæ cognitionis, sursum agere in Deum: Hic autem actus quamuis adhuc formatus seu elicitus est, tamen in ipsius productione, plus iam specialis gratia Dei, infusi *videlicet* affectus ardentissimi & purissimi, quàm rationalis animæ potentia operatur. Aut est actus ecstaticæ mentis, ecstasi *nimirum* anagogica completa, qui iam nullatenus formari potest à na-

à natura rationali, sed ab ipso Deo, naturæ, cælitùs infunditur, quamuis tamen cooperante natura; & inde infusus appellatur. *Actus ecstaticus* apud Ascetas est actus ecstaticæ mentis, ecstasi nimirum practica, quo ipsa mens consurgens ac tendens in Deum, & cum eo sese copulare per sobriam vnionem cupiens, alienatur ab omni interna proprietate, tepiditate & obliquitate. *Actus excessiuus*, mentis nimirum excessiuæ, seu, mentis amore excedentis in Deum, re ipsa non differt ab ecstatico, nisi nomine. *Actus anagogicus*, idem etiam est Mysticis quod ecstaticus: sed ascetis nihil aliud est, quàm eleuatio mentis actiua in Deum piæ cuiusuis affectionis, sicut fieri solet in qualibet petitione diuina, obsecratione, oblatione & gratiarum actione: nec non, ad sobriam vnionem fide, spe, & charitate actuali tentione; est enim anagogia secundum nomen suum, quasi sursum actio, vel sursum ductio.

ARTICVLVS IV.

De extrouersione & introuersione spiritus.

Extrouersio seu extrauersio spiritus idem est, quod mentis ad exteriora conuersio. Duplex autem est huiusmodi extrouersio, *communis videlicet & specialis*. Communis *aliquando* damnosa ac vitiosa, *aliquando* honesta & vtilis est. Damnosa seu vitiosa dicitur *primò*, quando se homo à consideratione re-

rum

rum spiritualium, aut ab exercitio virtutum, bonorumque aliorum operum auertit, & ad fabulas ac nugas conuertit. *Secundò* damnosa est, quando se homo à recto dictamine superioris rationis deliberatè auertit, nolens audire ea, quæ sunt voluntatis diuinæ; & conuertit se ad oblectamenta sensualitatis inordinata, quibus inhiando similis efficitur iumentis insipientibus. *Tertiò* damnosa est extrouersio, quando homo descendit mente sua, ad considerãdas sibi illatas iniurias, aut ad suorum aduersariorũ defectus ruminandos, & ad intentiones eorum examinandas ac dijudicandas; quo ipso odia, inuidiæ, murmurationes, detractiones, & alia huiusmodi grauia peccata promouentur.

Vtilis & honesta extrouersio tunc esse dicitur, quando homo suspensis ad tempus exercitijs internis; commoditatibus honestis & naturæ suæ conuenientibus (*vtpotè,* ad charitatem Dei referibilibus) vacat: cuiusmodi esse existima comedere, bibere, laborare, honeste recreari, &c.

Extrouersio specialis, *vel est* ascetica, quæ nihil aliud est, quàm alienatio seu auersio mentis à contemplationis ordinariæ exercitio, ac dissolutio sobriæ illius vnionis cum spiritu diuino; & conuersio ad studium piarum lectionum, meditationum, & quorumuis operum vitæ actiuæ externæ. *Vel est* mystica, quæ nihil aliud est, quam effluxio spiritus, seu

poten-

potentiarum eius, de suo centro, dissoluta nimirum vnione intimâ ac absolutâ contemplatione saporosa; & conuersio illius ad imagines à creaturis abstractas, quibus mediantibus ordinariè Deum contemplamur: *Vel quoque* ad studia extraordinariæ vitæ actiuæ, ac exercitia amoris practici, actusq; virtutum heroicos seu excessiuos.

Introuersio spiritus, itidem est *duplex*, actiua videlicet & passiua. *Actiua seu ascetica*, idem est, quod spiritus distracti ac dissipati intra seipsum diligens recollectio ac receptio: seu virium spiritualium ad interiora sua à perturbationibus & occupationibus extrinsecis, ac à sensualitatis desiderijs inordinatis studiosa reuersio: quæ fit quando spiritus ab anima diuiditur ac elongatur, & fugit in solitudinem: qui quidem tres gradus præsentis introuersionis expreſsè tanguntur *ad Hebr.* 4. *&* *Ps.* 54. Viuus est sermo Dei & efficax, & omni gladio ancipiti penetrabilior, pertingens vsque ad diuisionem spiritus & animæ. Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. *Nota autem* tunc spiritum ab anima diuisum esse, quando spiritus concupiscentijs ac propensionibus inordinatis animæ suæ, ipso actu repugnat ac dissentit, iuxta illud *Gal.* 8. Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus aduersus carnem: *Tunc verò* elongatum esse, quando iam minus quàm antea spiritus passionibus animalibus pulsatur aut phantasmatibus

irreue-

irreuerentibus minus attingitur ac diuexatur. *Tunc autem* manere idem spiritus in solitudine dicitur, quando ab his iam expeditus ordinariæ contemplationi vacans, in tantum per fidem, spem, & charitatem inhæret Deo, vt vnus cum eo efficiatur spiritus, vnum *videlicet* spirans, ac vnum intendens.

Porrò introuersio passiua, quæ etiam essentialis & mystica dicitur, nihil aliud est, quam virium spiritus ad suum fundum ac centrum reuersio & refluxio. *Dicitur autem passiua*; quia nemo per proprium studium, nisi per intractionem diuinam, ad illam peruenire potest. *Dicitur quoque essentialis*, ex eo videlicet, quia spiritus hâc introuersione intractus, vires inferiores in fundum ac apicem sui rapit, vbi iam nullam earum contradictionem sentit, sed solum non nisi experitur Dei amorem affectuosum, & operationem ac instinctum diuinum, cui absque aliqua distractione perfectissimè intendit & obtemperat, ibique in ipso Deo suauissimè requiescit. *Denique mystica dicitur*, quia spiritus quando sic introuertitur, abnegat omne absolutum, seu omnes imagines ac similitudines creaturarum, cum reliquijs irretentibilium.

Obseruandum autem est *primò*, quòd etiã aliquando inueniatur introuersio præter hanc realem & veram, alia ficta, fucata ac imaginaria, quæ eorum propria est, qui absoluti à peccatis grauioribus, dum aliquibus exercitijs

internis

internis vacant, statim fingunt ac arbitrantur se esse perfectos & spirituales, quamuis in rei veritate non sint, eo quòd nondum habeant mortificatas passiones, nec voluntatem propriam, ac amorem sui perfectè abnegauerint, nec adhuc sufficienter probatum sit illorum propositum ac animi stabilitas, tum scilicet internis tum externis vexationibus. *Secundò*, quòd sicut introuersio passiua, idem est mysticis quod intractio: ita etiam extrouersio idem est quod extractio: nisi quòd introuersio & extrouersio magis respiciant concursum humanum; intractio verò & extractio diuinam operationem. *Tertiò*, quòd magistri spirituales, intractionem dicunt esse actum seu tractum diuinum, quo suauissimè pellitur ac trahitur spiritus ad exercitium amoris vnitiui ac fruitiui: extractionem verò, quo expellitur ac extrahitur ad exercitium amoris practici.

ARTICVLVS V.

De eleuatione Spiritus.

QVemmadmodum spiritus cadens in aliquod peccatum, cordis nimirum, oris, ac operis, non per situm localem mouetur deorsum, sed per habitum prauum. Ita etiam sursum non eleuatur versus Deum vt oportet, nisi per habitum deiformem. *Vnde est*, quod eleuatio spiritus, *alia* est communis, *alia* specialis. Eleuatio communis illa est, quâ tam fideles quàm infideles sursum aguntur in Deũ,

dum

dum illis aliquando orare contingit (omnis quippe oratio, siue nimirum strictè siuè largè sumpta, est ascensio mentis seu eleuatio spiritus in Deum) sed non vt oportet; ac ideò non censetur esse gratiosa & sufficiens ad meritum vitæ æternæ: *tum* quia solâ fit naturali actiuitate, non nisi diuino adiuta generali auxilio: *tum* quia recuruatur *aut* infidelitate, *aut* iniustitia, *aut* aliqua passionum perturbatione, *aut denique* animi quacunque inordinatione ex prauo habitu proueniente. Eleuatio spiritus specialis, illa est, quâ soli iusti sursum se habent in Deum, adiuti *videlicet* auxilio eius speciali ac supernaturali: & hæc sola efficax est, gratiosa & meritoria.

Porro eleuatio specialis, *duplex* est, actiua *scilicet*, & passiua. Eleuationis actiuæ seu asceticæ *primus gradus est*, quando spiritus ab anima (*id est*, à sensualitate & inferiori ratione) diuisus & introuersus (intantum enim speciali eleuatione spiritus eleuatur, inquantum & introuertitur: & intantum introuertitur, inquantum ab anima diuiditur) internâ suâ in Deum agens deuotione, transcendit omne peccatum, ac stabiliter se constituit in obseruantia legis æternæ, iuxta illud *Psal* 1. Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorũ (*id est*, qui non est secutus prauum consilium, peruersam doctrinam, & malum exemplum impiè agentium) & in via peccatorum non stetit (*id est*, qui in consuetudine peccatorum

suorum sibi non complacuit, seu non permansit ac perseuerauit) & in cathedra pestilentiæ non sedit (*id est*, qui alios prauo suo consilio non deprauauit, doctrinâ pestiferâ non infecit, & malo exemplo non scandalizauit; sed in lege Domini (constituta est) voluntas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte. In hoc gradu eleuationis constitutus, dicebat Propheta *Ps.* 118. Iniquitatem odio habui & abominatus sum: legem autem tuam dilexi.

Secundus gradus actiuæ eleuationis est, quando spiritus per ascetica internæ deuotionis studia sursum agens in Deum, transcendit amorem mundanorum, seu cupiditatem temporalium, quocunque modo ac iure ad se spectantium. In hoc gradu stans S. Paulus dicebat *Philip.* 3. Omnia arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.

Tertius gradus est, quando spiritus studijs intentus asceticis ac in Deum extensus, sic transcendit omnem timorem, humanum scilicet, mundanum & seruilem, vt deinceps nulla iam sui corporis incommoda, nullas persecutiones & nulla huius vitæ aduersa pertimescat. In hoc gradu stabat S. Paulus cum diceret *Rom.* 8. Quis nos separabit, &c.

Quartus est, quando spiritus sic se extendit in Deum, vt omnem suæ rationis transcendat diuinorum inquisitionem, vel alias asceticæ meditationis studium; & constituat se, quasi in continuo ac perpetuo contemplationis ordi-

ordinariæ exercitio. Hucusque enim spiritus in studio meditationis se exercere necesse habet, quousq; pugnat cum vehementibus tentationum incursibus, & cum intensis ad peccatum mortale propensionibus innatis : & quousque debellat cupiditatem mundanorũ, vel alias amorem boni cuiusuis extrinseci huius temporis. *Vt est* bonum vtile, delectabile, & honorabile : non autem boni intrinseci, nam quodlibet huiusmodi bonum intrinsecũ, ad rationem spectat virtutis.

Vnde est, quod præsens spiritus dupliciter consideratur, vt *pugnans*, & vt *quiescens*. Spiritus pugnantis officium est, *inprimis* seipsum vt oportet subdere Deo : *ac postea* secum in profundo sui iugiter deambulare, quod idem est ac discurrere serioque de vlteriori profectu spirituali tractare, tentationibus resistere, peccata fugere ; cunctos sensualitatis motus inordinatos, ac rationis inferioris discursus turbulentos sedare sibique ipsi subiugare, per arma studiorũ asceticæ meditationis & quorumuis exercitiorum vitæ spiritualis : *tandem* prospera huius vitæ contemnere, & aduersa patienter tolerare. Spiritus quiescentis officium est, composita iam & pacificata anima, in intimo sui cum solo Deo habitare, ac in illum per studium ordinariæ contemplationis totaliter se transferre & profundere : quod ipsum tria requirit. *Primò*, spiritum esse in spiritu, iuxta illud *Apoc*, 1. Fui in spiritu in dominica die.

ca die. *Secundò*, ſpiritum eſſe ſupra ſpiritum. iuxta illud *Thren.* 3. Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua : ſedebit ſolitarius & tacebit, quia leuauit ſe, ſuper ſe. *Tertiò*, ſpiritum eſſe ſine ſpiritu. iuxta illud 3. *Reg.* 10. Videns Regina Sabba ſapientiã Salomonis,& domũ, & habitacula & cætera,non habebat vltra ſpiritum.

Dicitur autem ſecundum Aſcetas, ſpiritus eſſe in ſpiritu, quando ratio ſuperior debellatâ ſenſualitate, & confutatâ ratione inferiori, ſuſpenſis etiam ſuis ſtudijs aſceticæ meditationis, introuertit ſe iam ac transfert in ſimplicem intelligentiam,ad vacandum exercitio contemplationis ordinariæ: vbi ſic ſui profundum perluſtrat & expurgat ab omni inordinatione, vt in intimo ſuæ memoriæ nihil amplius reperiatur, niſi cogitationes ſanctæ, *id eſt*, caſtæ, humiles, pacificæ & obedientes: in intimo intellectus,niſi imagines diuinorum vtiliſſimæ,nobiliſſimæ & puriſſimæ: in intimo voluntatis, niſi perpetua abnegatio ſui, ac in beneplacitum Dei plena reſignatio,& feruens dilectio Dei ac proximi.

Spiritus verò ſupra ſpiritum eſt, quando ſynterefis intentione ſui amoris altius ſe in Deum extendit, plus diligendo; quàm ſimplex intelligentia ſuæ intuitionis perſpicaciâ, cognoſcendo. Et hoc ipſum, quintum iam conſtituit aſceticæ eleuationis gradum. Spiritus ſine ſpiritu eſt, quando ſpiritus noſter, ſic

intimè

intimè adhæret spiritui diuino, vt vnus cum eo efficiatur spiritus, ac sobriè in eum transformetur. Et hoc deinde sextum eiusdem eleuationis constituit gradum. Eleuatio spiritus passiua seu mystica, tres habet gradus. *Primus* dicitur, quando spiritus in spiritu est, sensu mysticorum: *secundus*, quando spiritus supra spiritum est: *tertius*, quando spiritus sine spiritu est. Est autem sensu mysticorum spiritus in spiritu, cùm spiritus sic sursum agit in Deũ actibus ecstaticis, vt transcensis omnibus irretentibilibus & absolutis, cunctorum obliuiscatur exteriorum, & non aduertat quæ in suo corpore aguntur: suis nonnisi intentus desiderijs, ac spiritui diuino, à quo extraordinariè agitur & gubernatur. Spiritus verò supra spiritum est, cùm mens secundum synteresim, supra puram intelligentiam feruore ac impetu amoris violenti, à spiritu diuino sursum acta, & in cellam vinariam introducta, vino cælestium iucunditatum mirificè inebriatur. Spiritus denique sine spiritu est, cùm mens, etiam secundum puram intelligentiam, quæ in præcedenti gradu foris stabat, ineffabilibus cælestis illuminationis splendoribus mirè illustratur, ac sursum acta in Deum à claritate in claritatem transformatur, iuxta illud 2. *Cor.* 3. Nos verò omnes, reuelatâ facie (*id est, illuminatâ mente per lumen fidei*) gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate (*illumina-*

tionis ordinariæ) in claritatem (*illuminationis extraordinariæ*) tanquam à Domini spiritu.

ARTICVLVS VI.

De suspensione spiritus, Ecstasi, & Raptu.

SVspensio mentis ascetarum vsu, nihil aliud est, quàm ad id quod mens ordinariè contemplatur, studiosa, vehemens ac affectuosa attentio, obliuionem cæterorum actuale causans. Vsu verò mysticorum, idem est, quod cessatio in contemplatione extraordinariâ, omnis ordinariæ operationis & actionis mentalis. *Vel* est vacatio simplicis intelligentiæ & synteresis, ab omni sua vsitata diuinorum cognitione & amatione: vbi anima actu extraordinariè Deum contemplans, solum sequitur Spiritus sancti tractum, absq; sua propria operatione, *id est*, à proprio spiritu profecta, seu à propria inquisitione inchoata. *Vel deinde*, mentis suspensio nihil aliud est apud mysticos, quàm summa & perfectissima tranquillitas animi, prouenìens ex cessatione omnis vel exigui ventuli passionum, & cuiusuis vel minimæ perturbatiunculæ; nec non, ex abnegatione omnium imaginum spiritualium, quæ puritatem contemplationis extraordinariæ obnubilare solent.

Ecstasis idem est, quod stupor mentis excessiuus. Vel alias, idem est, quod alienatio mentis à sensu, ex re aliquâ repentè ac insperatè illi oblatâ, prouenìens. Hinc ecstaticus dicitur,

dicitur, qui est ab exterioribus seu inferioribus mente abstractus: *Vel*, qui est extra suam constitutus actiuitatem, sed non extra coactiuitatem seu cooperationem, *Vel potiùs*, inactioni diuinæ.

Ecstasis alia est *naturalis*, alia *supernaturalis*. Naturalis deinde duplex est, *humana* videlicet & *diabolica*. Naturalis ecstasis humana, contingere solet ex triplici causa. *Prima* est, læsio phantasiæ seu imaginationis, procedens vel ex ebrietate nimia, vel ex graui aliqua infirmitate, vel ex nimio senio: quo pacto, stupidi, insani, amentes, phrenetici, & ebrij, appellantur ecstatici. *Secunda* est causa, subitus, immoderatus, ac vehemens motus alicuius passionis, qualis est timoris, gaudij, iræ, &c. Hanc ecstasim homo aliquando patiens, sic alienatur à sensu, vt vulneratus, vulneratum se esse non aduertat. *Tertia* causa est, studiosa intentio ac vehemens attentio animi ad aliquod obiectum naturale: cùm enim anima nostra potentiæ sit limitatæ; ideo, quò vehementius vni alicui rei intendit, eò minus ad alia attendere potest, ita vt quodammodo videndo non videat, & audiendo non audiat, nec distinctè aduertat quid agatur circa corpus proprium. Huiusmodi ecstasis contingere solet pictoribus, arithmeticis, mathematicis, geometris, & similibus. Vnde fertur de Archimede summo mathematico, ac perfectissimo geometra, quòd cùm animo

& oculis in terra defixis, figuras geometricas delinearet, hostium inuasionem propriæ vrbis Siracusanæ, non aduertit; & satellitem vitam sibi adimentem non recognouit, cui non nisi dum ab illo occideretur, innuebat, ne se ab inchoato præpediret negotio.

Diabolica seu à dæmone procurata ecstasis, ideo etiam naturalis dicitur, quia causatur per applicationem naturalium mediorum, quibus ligantur sensus inferiores, & officia eorum impediuntur. Hanc ecstasim magi & sagæ pati solent; imo etiam & alij homines pseudospirituales à dæmone infascinati, seu illusi ac decepti, eandem experiuntur, qui aliquando opera huius inimici à sensibus alienati, mira & vera se vidisse putant & narrant, ac inde occasionem accipiunt seipsos magnifaciendi, & alios contemnendi, proprijs rationibus innitendi, maioribus suis non obtemperandi, &c. cùm è contra veram ecstasim comitetur profunda humilitas ac sui contemptus, vera mortificatio passionum, captiuatio proprij iudicij, & annihilatio seu abnegatio propriæ voluntatis, nec non, ardens desiderium omnia mala omnesque ignominias propter imitationem ac amorem IESV Christi, patiendi ac sustinendi.

Supernaturalis ecstasis, etiam duplex est, alia videlicet *practica*, alia *anagogica*. Practica ecstasis est, quâ homo exit ac manet extra sua & extra se: hoc autem fit, dum aliquis ab affe-

ctu

ctu rerum temporalium quas possidet, vel possidere potest, spiritu elongatur: dumque ab amore sui, & iudicio suo speciali, ac propria voluntate alienatum se esse experitur, post diutinum videlicet ac probatum mortificationis asceticæ studium, & multa ac perfecta virtutum exercitia.

Anagogica ecstasis deinde duplex est, altera *inchoata*, altera *completa*. Inchoata, vel alias incompleta, ac secundum intentionem, illa est, quâ mens, cælitus specialiter adiuta, solâ duntaxat intentione seu actiuitate suâ humanâ, in Deum vt incomprehensibilem, & vt sibi intimè vnibilem excedens, seu vehementer sese extendens, à sensibus inferioribus nonnisi actualiter alienatur; ita vt pro illo statu, quidquam non operentur, quamuis operari possent, si nimirum ipsa mens sese ab actuali contemplatione diuinorum, reuocare vellet.

Completa seu perfecta ecstasis anagogica, idem est, quod vehemens & affectuosa mentis eleuatio, ad Dei diuinorumque superintellectualem contuitum, experientiam, & gustum: quâ nimirum ipsa mens, supra statum sui naturalis modi, quem in suis operationibus vsitatum habet, diuinitus posita, à sensibus externis, non solum actualiter, sed & aptitudinaliter eximitur. Vnde est quod ijdem sensus, pro eo statu mentis, diuina videlicet extraordinariè inspicientis & prægustantis, quidquam

non operantur, nec operari possunt, imò & per externa obiecta nullatenus excitantur.

Porro, ecstasis completa anagogica duplex est, *cognitiua* nimirum & *affectiua*. Cognitiua seu secundum vim apprehensiuam illa est, quâ mens secundum intelligentiam ab vsu sensuū exteriorum diuinitus abstrahitur, & extra apprehensionem sibi connaturalem & vsitatam constituitur: nec non quâ ad sublimiora transfertur per eleuationem sui passiuam, nempè ad aliqua extraordinariè videnda. Affectiua ecstasis, seu secundum vim appetitiuā, illa est, quâ mens secundum synteresim, extra propriam actiuitatem constituitur: dum videlicet per eleuationem, tractum, actiuitatemque cælestem in Deum vehementissimè & voluptuosissimè fertur; quem superеminenter sibi reuelatum, per immediatam sui cum eo vnionē intimè complectitur.

Raptus diuinus duplex est, *corporis* videlicet & *mentis*. Corporalis raptus, alius est, quo totus homo de loco ad locum transfertur, absque suâ humanâ coactiuitate. Alius est, quo eodem modo transportatur, sed cum adminiculo suæ externæ cooperationis. Raptus mentis (quo nimirum transfertur spiritus ab humanis operationibus, & consuetis exercitijs, non autem à proprio corpore, sicut fieri solet in morte) hoc ipso differt ab ecstasi: quia mens in diuina contemplatione ecstasim patiens, sensum ab imaginibus vsita-

eis diuinitus abstrahitur, non inuoluntariè; & paulatim ab officijs sensuum emouetur, & suauiter intra se colligitur, ac tandem dulciter supra se in Deum transfertur. Raptum verò patiens, celerrimè simili diuinâ virtute, abstrahitur ab vsitata & connaturali diuinorũ apprehensione, quâ ordinario modo in Deum ducitur : & quodammodo violenter (quia ante aliquem sui consensum) à sensibus auellitur; nec non repentè ad apprehensionem seu contemplationem supernaturalium ac supermundanorum subleuatur, subitoque ad fruitionem diuinorum euehitur.

Raptũ corporis, sicuti etiã mentis quandam ecstasim, Deo permittente, nonnunquã diabolus procurare potest: vnde communiter narratur de sagis ac veneficis, quod sæpissimè operâ dæmonis, de loco ad locũ transferantur, quâ de causa mulieres volaticæ appellari solent.

ARTICVLVS VII.

De Reuelationibus seu visionibus spiritualium.

REuelatio nihil aliud est, quàm diuinitùs veli seu velaminis (*Stupore*, naturalis obscuritatis, à sensibus spiritualibus, ad percipienda supermundana seu supernaturalia) remotio : de quâ illud est 2. *Cor*. 3. Velamen positum est super cor eorum : cùm autem conuersi fuerint ad Dominum, auferetur velamen. Huius veli seu velaminis remotionem petiuit à Deo S. Dauid, cùm diceret *Ps*. 118.

Reuela (*mentis*) oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. *Hinc nota* duplicem esse Diuinam reuelationem, *Vniuersalem* nimirū, & *particularem*. Vniuersalis reuelatio, est earum veritatum fidei, quæ à Deo reuelatæ sunt, & ab Ecclesia Catholica seu vniuersali proponuntur, vt à nobis credantur. Huius reuelationis, diuisiones & gradus habentur in Institutione secunda, de virtute fidei.

Reuelatio particularis, est earum rerum, quas Deus specialiter alicui personæ singulari manifestat. Verum, sicut iuxta tres portiones animæ rationalis, triplices sunt vires eius apprehensiuæ & appetitiuæ: ita quoque totidem genera particularium diuinarum reuelationum eis respondent: quarum quædam percipiuntur viribus animæ, quædam viribus spiritus, quædam viribus ipsius mentis.

Primi generis reuelatio quæ viribus animæ apprehenditur, duplex est: alia *sensibilis*, seu *corporea*, alia *imaginaria*. Reuelatio sensibilis contingit, quando nimirum alicui affectuosè oranti, aut quidpiam boni ex charitate operanti Christus Dominus vel Sacratissima eius mater, vel quispiam è numero Angelorum, aut Sanctorum sese oculis corporeis videndum, aut auribus audiendum, aut manibus palpandum offert: vt hoc ipso spiritualiter recreatus ac interiùs illustratus, occasionem sumat purius viuendi, ac voluntatem suam perfectius abnegandi, & diuino benepla-

cito

cito eam studiosiùs conformandi, ac in humilitate, patientia, & alijs virtutibus velociùs proficiendi. Eiusmodi reuelationem ac visionem habuit Abraham, quando tres vidit Angelos, & cum eis locutus fuit. Et Samuel, quando audiuit Dominum vocantem se, vt patet, 1. *Reg. cap.* 3. Et populus Israëliticus (vt est *Exod.* 20.) quando vidit voces, & lampades, & sonitum buccinæ: vbi visus, pro experientia aliorum sensuum accipitur.

Reuelationes imaginariæ duplici modo accidere solent, *vel scilicet* in vigilijs, *vel* in somnis. Illæ, quæ vigilantibus manifestantur: tunc aliquibus contemplatiuis contingunt, quando aliqua diuina ac cælestia mysteria, præsertim in excessu mentis, per figuras ac formas à sensibilibus acceptas, & diuinitus formatas, sic efficaci (absque vllâ humanâ fictione) ac subitâ quadam immissione & repræsentatione imaginationi seu phantasiæ eorum imaginariè videnda, aut audienda, aut odoranda, aut gustanda, aut tangenda obijciuntur; vt durante illâ demonstratione, nullo modo intellectum suum alio deflectere valeant. Eiusmodi fuerunt reuelationes ac visiones Ezechielis & Danielis, ac aliorum Prophetarum & Sanctorum, tam in nouo quàm in veteri testamento. Huius quoque loci sunt illæ aliæ sensibiles dulcedines quas Deus reuelare ac infundere solet aliquibus deuotis animabus in sensum imaginarium, à quo po-

stea in omnes alias vires voluptas infusa deriuatur. Vnde *D. Bonau. lib. 2. de prof. relig. cap. 26.* Sunt etiam quædam sensibiles dulcedines, ac suauitatis experientiæ, quæ deuotis quandoque infunduntur: vt mirabilis fragrantia odorum, ineffabilis suauitas saporum, & hymnidicæ melodiæ vocum ac sonorum, & tactu perceptibiles experientiæ indicibilium suauitatum. Illarum etiam reuelationum quæ dormientibus in somno repræsentantur, vt saltim aliquantula notitia haberi possit, obseruanda est doctrina apud *D. Bon. in 3. part. centil. cap. 23.* vbi dicitur. Quod omnium, quæ sibi videntur videre dormientes, quinque sunt genera, scilicet oraculum, visio, somnium, insomnium, & phantasma. Oraculum est, cùm in somnis parens, vel aliqua grauis persona, seu sacerdos, vel etiam Deus aliquid euenturum apertè vel non euenturum, faciendum vel vitandum denunciat. Visio est, cùm id quis videt, quod eodem modo quo apparuerat, euenit. Somnium est figuris tectum, & sine interpretatione intelligi non potest. Insomniū est, quando id quod vigilantem fatigauerat, se ingerit dormienti, sicut cibi cura, vel potus, vel aliqua studia, vel artes, vel infirmitates: iuxta infirmitates enim, diuersi, diuersa accipiunt somnia, alia enim vident sanguinei, alia cholerici, alia melancholici, alia phlegmatici: illi enim vident rubra & varia, & isti nigra & alba. Phantasma est

est, quando vix dormire cæperit quis, & vigilare se existimat, & videtur aspicere irruentes in se, vel passim vagantes formas, discrepantes & varias, lætas & turbulentas. In hoc genere est ephialtes, quem opinantur vulgares, inuadere dormientes, & opprimere quiescentes, quod non est nisi fumositas conscendens ad cerebrum à stomacho, vel à corde, vim comprimens animalem.

Hinc dici debet, quòd illa imaginaria admonitio per Angelum facta in somno S. Ioseph, viro B. Virginis Mariæ, vt videlicet in Ægyptum fugeret cum puero IESV & Matre eius, ac inde rediret, oraculum dicenda est; similiter & magorum, ne scilicet redirent ad Hærodem: somnia verò fuerunt, quæ interpretatus est Patriarcha Ioseph Pharaoni, & seruis eius: & Daniel Nabuchodonosori.

Secundi generis reuelatio, quæ ad spiritum spectat, duplex est; *altera* vocatur intellectualis, *altera* affectualis. Intellectualis, idem est, quod cognitio mysteriorum diuinorum, siue propriæ siue alienæ saluti necessariorum & vtilium, nata ex sola diuina interna inspiratione. Est autem huiusmodi reuelatio alia *specialis*, alia *generalis*. Specialis reuelatio, vtpotè, sine adminiculo propriæ inquisitionis menti sobriæ adueniens, fit duplici modo, vel per spiritum Angelicum, vel immediatè per ipsum Spiritum diuinum. Mediante spiritu Angelico, facta fuit Zachariæ Prophetæ, vt pa-

cet,

tet, *Zach.* 4. Angelus qui loquebatur in me, dixit ad me, &c. Loquitur autem Angelus in hominem seu in animam, quando ei conceptum suum occultè ac internè imprimit & manifestat. Immediatè à Spiritu diuino, illa est, de qua *Ps.* 48. Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus. Per hanc reuelationem ac locutionem Deus internè, occultè & subito hominem sobriæ mentis illustrat, erudit & docet, quid nimirum agere vel dicere debeat, siue in proprio siue in alieno, speciali, vrgenti & graui negotio, iuxta quod promisit suis Apostolis & alijs Sanctis martyribus, *Matt.* 10. illis verbis. Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. *Generalis* est illa, quâ Deus instruit ac illuminat mentem per spiritum scientiæ & consilij, intellectus & sapientiæ, simul ad plura negotia pertractanda, siue nimirum ad actiuam siue ad contemplatiuam vitam spectantia. Eiusmodi reuelatio fieri solet non absque adminiculo inquisitionis propriæ rationis; & est communis omnibus iustis, per quam eruditi, sciunt reprobare malum, & eligere bonum.

Affectualis reuelatio fit, quando homo orat Deum pro aliqua causa siue propria siue aliena, & ex affectione deuotionis & fiducia exauditionis, (quam in oratione sentit ac experitur sibi à Deo venisse) conijcit ac intelligit se exauditum in hac petitione. Sed licet confi-

confidat quod illud pro quo orauit, habiturũ sit prosperum successum, nescit tamen sæpè, quâ viâ habebit processum. E contrario, cùm non sentit sibi infundi affectum deuotionis nec fiduciam exauditionis, suspicatur se non habiturum effectum suæ petitionis. Hoc genus reuelationis, est specialiter deuotis mentibus familiare. In quo tamen ne quis deceptus reperiatur, consulat D. Bonauenturam, loco citato, *de prof. relig.* Huc reduci potest illa reuelatio facta duobus discipulis, cùm dicerent *Luc.* 24. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas. Eandem, quàm plurimi fidelium humilitate paruuli, exclusis videlicet sapientibus & prudentibus in oculis suis, ferè quotidiè sic experiuntur & percipiunt, dum deuotè legunt sacram scripturam, ac doctrinas Sanctorum Patrum; vel diligenter audiunt eloquia diuina; vel studiosè meditantur mysteria fidei; vel orationi mentali affectuosè vacant: vt non solum lumine diuino mirabiliter eruditi, verum etiam ipso amore cælesti ineffabiliter inflammati esse cernantur.

Tertij generis reuelatio, quæ ad mentem spectat, alia est quæ purâ intelligentiâ apprehenditur; alia quæ synteresi percipitur ac prægustatur. Reuelatio quæ purâ intelligentiâ apprehenditur, à D. Bonau. *etern.* 5. *ater. dist.* 5. vocatur superintellectualis: non quod intel-

intelligentia sit aliqua vis animæ altior intellectu; sed quia intellectus vertice sui, supernaturali lumine ordinario illuminatus, ad illam se sua propriâ actiuitate nequit extendere. Fit autem huiusmodi reuelatio super intellectualis, *tum* quando vel personæ diuinæ, vel spiritus Angelici, vel animæ Sanctorum, vel aliqua diuina mysteria, per solas species infusas, ac eminentissimas & purissimas imagines & similitudines, luminaque intellectualia supernaturalia ac extraordinaria à Deo indita, conspicienda obijciuntur. Istiusmodi reuelationem Regius propheta habuit de mysterio Sanctissimæ Trinitatis, cùm diceret *Ps. 66.* Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus. Et S. Petrus de diuinitate Christi, cùm confiteretur *Mat. 16.* Tu es Christus, filius Dei viui. *Tum etiam* quando Deus faciē seu essentiam suam, contemplatiuo, absque vllo velamine vel vmbris eiusmodi similitudinum cælestium, clarissimè manifestat. Hanc reuelationem habuerunt Moyses & Paulus Apostolus, qui dispensatiuè essentiam Dei sicuti est, vidisse dicuntur.

Reuelatio mystica, quæ syntercsi percipitur, non aliud est, quàm notitia Dei experimentalis: *Vel alias*, prægustatio supereminens sempiternalium voluptatum. *Vel quoq;*, perceptio suauissima bonitatis diuinæ, nascens ex complexu amoris vnitiui: *id est*, ex ipsâ vnione intimâ. *Vel denique*, est fruitio emi-

eminentissima huic conditioni humanæ per munificentiam diuinam possibilis; paucissimis animabus, & hoc mundissimis ac purissimis, in pignus illius sempiternæ fruitionis concessa. Illam verò reuelationem voluptatis cælestis, quam beati in cælo permanenter experiuntur, S. Paulus (vt aiunt) per diuinam dispensationem transitoriè in hac vita prægustauit: ratione cuius fuisse dicitur in paradiso; sicut etiam ratione visionis facialis, dicitur fuisse in tertio cælo.

Notandum autem est, reuelationes aliquando esse veras ac diuinas: aliquando fictas, falsas, ac deceptorias. Reuelationes veræ ac cælestes, *aliæ* vocantur substantiales, *aliæ* formales: substantiales, quæ solæ à mysticis summoperè celebrantur, semper in se habent aliquam significationem ac effectum mysticum seu spiritualem, *hoc est*, virtutem reformandi hominem in melius, seu efficiendi ac operandi in ipso, illud quod significant, puta, maiorem charitatem erga Deum, timorē filialem, humilitatem, patientiam, obedientiam, castitatem, paupertatem spiritus, cæterasque virtutes. Reuelationes verò formales, solum intellectum illustrant ad præsentienda instantia vel futura, sed non renouant voluntatem hominis in melius, quamobrem non sunt de numero mysticarum, nec magni æstimari debent. Huius generis reuelatio fuit Pharaonis, qui futurorum præsagia in somno vidit. Simili-

ter

ter & Balaam, ac asinæ eius, cui Angelus visibiliter apparuit.

Reuelationes fictas, falsas, ac deceptorias, quandoque spiritus erroris, *id est* diabolus suggerit ac manifestat, qui non raro transformat se in Angelum lucis, bonum aliquod suadendo, aut verum occultum prædicendo ac detegendo malo fine, vt incautos & curiosos decipiat: quandoque eas caro & sanguis, *id est*, proprius spiritus fingit; cuius quidem fictionis causa esse potest, *Vel* ipsum iudicium rationis, quod nequit discernere inter imagines à propria phantasia fictas ac fabricatas, & inter imagines absque aliqua operatione phantasiæ diuinitus repræsentatas. *Vel* aliqua passio nimis concitata, vtporè tristitia, quæ mater & nutrix est multarum phantasiarum, quibus rationem superiorem perturbare ac ab officio suo suspendere solet. *Vel* cupiditas vanæ gloriæ, & proprii quæstus, quæ plurimarum fictionum & innumerabilium mendaciorum, sæpè causam & occasionē præbet.

Vt autem facilè possimus cognoscere falsas, fictas ac suspectas reuelationes, hæc signa probabilia teneamus. *Primum est* Si quis curiositate ductus, desiderabat habere illas, ac postea sibi factas libenter propalat, vt videatur ab hominibus. *Secundum*, si tyronibus ac nouiter conuersis fiunt, qui nondum in charitate Dei & proximi, humilitate, patientia, & in alijs virtutibus fundati ac probati sunt.

Tertium,

Tertium, siquis de reuelatione sibi facta, nullam vult habere suspicionem rationi consentaneam, sed nimis, facilèque, ac citò illi assensum præbet: vel ante adhibitum consilium virorum spiritualium ei obtemperat: vel si consilijs prudentium acquiescere non vult. *Quartum.* Suspecta ac deceptoria reuelatio illa est, quæ hominem à principio sui, lætitiâ & gaudio afficit; sed in fine turbulentum relinquit: siquidem contrarium facere solet vera diuina reuelatio *Quintum*. Si homo post factam sibi reuelationem minus fit deuotus, nec plus in charitate Dei ac proximi sese exercet; aut cùm studium orationis mentalis negligit, minusque in humilitate, patientia, & abnegatione voluntatis proficit. *Sextum.* Suspecta quoque est ac falsa, si homo in reuelatione, vtpote sensibili aut imaginaria, prouocatur ad aliquid faciendum, siue nimirum legi naturæ, siue præceptis diuinis, siue Euangelicis consilijs contrarium Vel quando contra decreta Ecclesiæ aut ordinationes propriæ vocationis, aut regulas honestatis ac virtutũ, importunè stimulatur. Vnde illi Sancti, qui contra aliquid horum aliquando fecisse perhibentur, non sunt imitandi, sed tantum admirandi: piè enim creditur, in hoc cum eis à Deo dispensatum fuisse, ob aliquam vtilitatem Ecclesiæ, ac occultas & inscrutabiles alias rationes. Vnde S. Bonau. *lib. 2. de prof. relig. cap.* 17. In omnibus reuelationũ vel visionum gene-

generibus magna cautella habenda est, ne falsa pro veris, noxia pro salutaribus, exigua pro eximijs, & incerta pro certis recipiantur. Solus autem spiritus Sanctus scit hominem expedire ac certum reddere, quid in illis recipiendum sit, vel respuendum, & quomodo eis vtendum; sicut & prophetas & Sanctos docuit, quibus non solùm vera ostendit, sed etiam per veritatis testimonium, quia vera essent, interiùs demonstrauit.

TRACTATVS II.

De notitijs virium animæ rationalis apprehensiuarum & appetitiuarum, quas requirit studium mentalis orationis.

INTRODVCTIO.

TOt quidem genera notitiarum habet anima rationalis, quot & sensus: quorum alij sunt *externi*, alij *interni*. Sensus externi quibus obiecta corporalia in se ac per se percipiuntur sunt quinque, *vtpotè*, visus, auditus, odoratus, gustus & tactus. Notitia visus, idem est quod visio corporalis, seu cognitio præsentis obiecti materialis per visionem oculorum corporalium. Hâc cognitione Adã & Heua cùm cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus (vt est *Gen.* 3.) & fecerunt sibi perizomata. Notitia auditus, est cognitio extrinseca præsentis obiecti per auditionem.

Hæc

Hâc cognitione Rhode puella (vt habetur *Act.* 12.) cognouit Petrum. Notitia odoratus est cognitio ac perceptio obiecti per odorationem. De hac cognitione illud est *Ps.* 113. Nares habent, & non odorabunt. Notitia gustus, est cognitio ac perceptio saporis alicuius per gustationem. De hac cognitione illud est *Iob.* 34. Auris enim verba probat, & guttur escas gustu diiudicat. Notitia tactus, est cognitio extrinseca obiecti corporalis, quæ habetur, dum sui corporis extremum, est simul cum extremo alterius corporis. De hac cognitione illud est *Gen.* 27. Et palpato eo, dixit Isaac: vox quidem, vox Iacob est: sed manus, manus sunt Esau. Et *cap.* 4. Adam verò cognouit vxorem suam, quæ concepit & peperit. Et *Luc.* 1. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.

Sensus interni animæ rationalis, alij sunt *organici*, alij *inorganici seu spirituales*. Sensus organicos, quibus obiecta corporalia per sui speciem, seu in sui imagine imaginaria percipiuntur, puta esse sensum communem, imaginationem, phantasiam, æstimationem & memoriam. Notitia sensus communis, est determinatio cognitionis, per quemcunque sensum externum præsentis obiecti corporalis apprehensi. Notitia imaginationis, est cognitio absentis obiecti corporalis per propriam sui speciem, à sensu communi acceptam. Notitia phantasiæ, est cognitio materialis obie-

ctí,

cti, tam possibilis, quam impossibilis, per speciem efformatam, ad instar speciei à sensu imaginationis apprehensæ. Notitia æstimationis, est cognitio intentionis naturæ, rerum scilicet sequendarum ac fugiendarum, elicita, ex specie per imaginationem apprehensa. Notitia memoriæ, est recordatio cognitionis eorum, quæ per imaginationē apprehenduntur.

His adde sensibus, alios quosdam sensus imaginarios, *Corporè*, visum, auditum, odoratum, gustum & tactum: quorum quidem sensuum potest haberi vsus bonus & malus. Malè quis vtitur sensibus imaginarijs, quando ob delectationem carnalem imaginatur sibi actus venereos, ita vt imaginariè videat turpia, audiat obscæna, tangat inhonesta. Benè verò vtitur, quando in meditatione mysteriorum fidei imaginatur sibi loca, personas, actiones & passiones personarum, & quascunque alias circumstantias. *Vt*, meditando pœnas infernales, imaginariè videt vasta inferorum incendia, & animas peccatrices igneis quibusdam corporibus velut ergastulis inclusas: audit planctus, eiulatus, vociferationes, blasphemias: percipit fætores sulphureos: gustat amaritudines: sentit quodammodo cruciatus ac dolores.

Sensus spirituales seu inorganicos, quibus obiecta spiritualia percipiuntur, puta esse visum, auditum, odoratum, gustum & tactum. Visus spiritualis attribuitur intellectui: au-

ditus

ditus memoriæ: odoratus, gustus & tactus voluntati. Notitia seu perceptio visus spiritualis, est ipsa visio seu intuitio ac intellectio obiecti, circa quod versatur intellectus. De hoc sensu visus illud est *Deut.* 32. Videte, quod ego sum Deus. Visio igitur præsens intellectiua, quâ Deus cognoscitur ac diuina percipiuntur, secundum triplicem diuersitatem visionis corporeæ, *tripliciter* etiam distinguitur. Sicut enim oculus corporeus videt rem, *Vel nimirum* in similitudine speciei suæ, in speculo artificiali expressæ: *Vel* in sui imagine sculptâ aut pictâ: *Vel* in se ipsâ. Ita oculus spiritualis videt Deum ac diuina, *Vel scilicet* in speculo creaturarum, per species abstractas: & hæc visio dicitur ordinaria, siue nimirum habeatur mediante discursu collationis, & illationis, vt fieri solet in consideratione & meditatione; siue habeatur post omnem discursum, vt fieri solet in ascetica contemplatione. *Vel* videt in vera imagine: qualis est similitudo deiformis cælitus data: & hæc visio extraordinaria est, mysticæ contemplationi deditis vsitata. *Vel denique* videt Deum & diuina per se ac in se: *id est* in sui essentia & claritate: & hæc visio propriè dicitur clara ac intuitiua, ad quam oculus intellectualis non venit, nisi lumine gloriæ dispositus.

Notitia auditus spiritualis, est ipsa auditio occultæ locutionis diuini spiritus, seu perceptio diuinarum inspirationum. De hoc sensu

illud est *Apoc.* 2. Qui habet aures, audiat quid dicat spiritus Ecclesijs. Auditio præsens alia est ascetarum alia mysticorum. *Prima est,* quando siue mediatè siue immediate (*id est,* tam media concione, exhortatione lectione, meditatione & aduersitatum perpessione, quàm absque huiusmodi medio) internè vocamur ad veram nostri abnegationem; eaque percipimus, quæ spectant ad nostram ac aliorum salutem. De huiusmodi auditione inspirationis diuinæ illud est *Psal.* 118. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud. Et *Ps.* 84. Audiam quid loquatur in me Dominus. *Secunda* auditio est, quando mens eleuata in Diuinam caliginem, audit arcana verba, quæ (ob ineffabilitatem eorum, vt est 2. *Cor.* 12.) non licet homini loqui. Dictumque ad se verbum absconditum, & venas susurri cælestis (vt habetur *Iob.* 14.) quasi furtiuè suscipit.

Notitia odoratus, est olfactio ac perceptio odoris, qui est in re, circa quam intellectus & voluntas versatur. De hoc sensu illud est *Cant.* 1. Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum Et 2. *Cor.* 2. Bonus odor Christi sumus. Olfactio seu odoratio spiritus, *alia* est ordinaria, *alia* extraordinaria *Primo modo* anima rationalis odorem spiritualium ac æternorum percipere probatur, si nimirum inexplicabili quadam eorum fragrantiâ concitata,

citata extendit se suis sobrijs desiderijs ad inquirendam diuinorum maiorem ac maiorem amoris experientiam *Secundo vero*, si iam se extendit ipsis ecstaticis desideriorũ ardoribus.

Notitia gustus, est perceptio seu gustatio spiritualis dulcedinis vel amaritudinis, quæ est in re, circa quam intellectus & voluntas versatur. De hoc sensu illud est *Ps* 33. Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. Gustatio diuinorum *alia* est ascetica, *alia* mystica Ascetis vsitata gustatio bonitatis Diuinæ, seu perceptio dulcedinis, acquisitæ nimirum ac elicitæ amationis diuinorum, illa est: quâ anima contemplatrix post suos multos conatus ac diutina studia spiritualia, vnita tandem suo amato, copulâ scilicet vnionis actiuæ sobriè reficitur, afficitur, satiatur & inebriatur. Mysticis vero vsitata gustatio sempiternalium voluptatum, illa est: quâ anima contemplatrix, intimâ videlicet ac passiuâ vnione Deo copulata, ecstaticè inebriari solet.

Notitia tactus, est ineffabilis quædam voluptuosa sensio ac perceptio intimæ præsentiæ ipsius Diuinitatis. De hoc sensu illud est *Cant.* 3. Inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam. Et *Cant.* 5. Venter meus (*i. e.* homo interior, seu spiritus meus) intremuit ad tactum eius. Ascetæ spiritualẽ tactum percipiunt, si quodam diuino impulsu concitati, extendunt se, tum ad ordinarium exercitium externum practici amoris, tum ad

ſobrium exercitium internum fruitiuæ dile-ctionis. Myſtici tactum diuini ſpiritus percipiunt, tum quando intimè vulnerati, ſupra modum humanum actibus ecſtaticis ſurſum feruntur, adſpirantes ad myſticam cum Deo celebrandam vnionem : tum quando ipſo actu arcanè ac myſticè Deo copulantur. Huiuſmodi enim tactus, eſt nouiſſimum medium inter Deum & mentem : inter agere humanum & agi, ſeu pati : inter viuere & exſpirare : inter ſobriè ſe habere ſpiritui, & ecſtaticè : qui alias quamuis ſentiri poteſt in vnitate ſpiritus ſicut & odor & ſapor ſpiritualium, minimè tamen poteſt comprehendi & explicari.

His iam ſuppoſitis dicendum eſt, quod ſicut in præcedenti tractatu intelleximus animam rationalem, iuxta tres ſui portiones, tribus gaudere viribus apprehenſiuis, *vt eſt*, imaginatio, ratio, & ſimplex intelligentia : totidem quoque affectiuis, vt eſt appetitus ſenſitiuus, appetitus rationalis, & appetitus ſuperrationalis. Ita in præſenti tractatu earundem virium recenſebimus notitias, *tum ſcilicet* apprehenſiuas, *vt eſt* Dei ac diuinorum imaginatio, cogitatio, conſideratio, meditatio, ſpeculatio & contemplatio : *vel aliàs*, Dei ac diuinorum imaginaria, confuſa, diſtincta, euidens, ſimplex & pura cognitio. *Tum* amatiuas, *vt eſt* ipſa actualis amatio ; ſeu, amoris diuini, vtpotè, ab infimo, medio & ſupremo appetitu eliciti, experientia. *Prima* igitur diſtinctio præſen-

præsentis tractatus rem habere vult de notitijs virium apprehensiuarum: *secunda verò*, de notitijs virium appetitiuarum seu amatiuarum: sed *tertia* de oratione Dei, in quam huiusmodi notitiæ desinunt ac terminantur.

DISTINCTIO I.

De notitijs virium apprehensiuarum.

ARTICVLVS I.

De imaginatione & cogitatione.

DIcendum est primo, quòd imaginatio siue largè siue strictè sumpta, dupliciter considerari solet, *tum* vt potentia, *tum* vt actus. *Primo modo* sumpta & considerata, significat eam vim, quâ anima rationalis apta est recipere formas seu species rerum corporearum, ac in quâ & per quam cuiuslibet alterius sensus terminatur cognitio. Et ob hanc causam imaginatio dicitur oculus carnis. *Secundo modo* considerata, significat actualem sui vsum. Hæc deinde actualis imaginatio, *alia* est bestialis, *alia* rationalis. Bestialem esse puta, quâ scilicet inconsideratè & absque vtilitate imaginamur ea, quæ ante vidimus aut audiuimus, quod & bestia facit. Rationalem verò esse existima, quâ consideratè ac vtiliter imaginamur ea, quæ aliquando vidimus, audiuimus, & legimus; illaque componendo vel diuidendo ad meditandum adducimus, quod bestia facere nequit.

Dicendum secundò, quòd sine obsequio

præsentis imaginationis, ratio seu intellectus ordinariè non potest consurgere ad cognitionem inuisibilium, spiritualium & æternorũ: nam vt ait *Philosophus*, Nihil est in intellectu, quod non sit priùs in sensu. Et Apostolus *Rom.* 1. Inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Priùs enim visu corporali res materiales præsentes apprehenduntur: postea visu imaginationis, formæ seu similitudines rerum corporearum percipiuntur: ac tandem visu spirituali seu intellectuali, earumdem rerum naturæ, rationes, causæ, proprietates, effectus ac differentiæ conspiciuntur: ex quorum deinde conspectione ac notitia, per studium asceticæ meditationis, in practicam deuenitur fidei mysteriorum cognitionem. Et sic præsens imaginatio non aliud significat, quàm visum sui rationalem, ac studiosam sui applicationem ad mysterium, de quo instituenda est meditatio.

Dicendum tertiò, quòd cogitatio quæ oritur ex imaginatione, & transit ac terminatur in considerationem, *alia* est communis, *alia* specialis. Communis illa dicitur, quæ omnibus vsitata est: & hanc *triplicem* esse puta, humanam videlicet, diabolicam, & diuinã. Cogitatio *humana*, si subjicitur rectæ rationi, bona quidem est: quia referibilis est in Deum; sed non sicut sufficit: quia ipso actu non refertur. Si verò non subjicitur, vana est, secundum

dum illud *Ps. 93.* Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Cogitatio *diabolica*, id est, per diabolicam suggestionem immissa, semper est mala, aut nimirum in ratione obiecti, aut in ratione finis: de qua est illud *Matt. 9* Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris. Cogitatio *diuina*, id est, à Deo inspirata, semper est bona, & semper potest esse meritoria si pio ac deuoto affectu excipiatur. Porro, quælibet istarum cogitationum, *vel* est passiua, *vel* actiua.

Passiua cogitatio illa dicitur, quæ nascitur ac moratur in nobis, sine nobis, *id est*, sine concursu nostræ deliberationis & consensionis: & sic præsens cogitatio secundum nomen suum, est quasi mentis coactio: nam cogito, à quo cogitatio, est frequentatiuum veniens è verbo cogo: cogunt enim quodammodo intellectum diuersa obiecta, per imaginationem ei repræsentata, vt passim huc illuc frequenter vagetur, sine respectu alicuius debiti finis: quapropter huiusmodi cogitatio quamuis in se sit bona aut mala, tamen non habet meritum aut demeritum: quia quousque passiua est, non subijcitur rectæ rationi seu deliberatæ voluntati.

Actiua cogitatio illa est, quæ ipso actu elicitur, vel deliberatè admittitur: & sic huiusmodi cogitatio iuxta nomen suum est quasi cordis agitatio, seu cordis sæpè iterata, frequens, volubilis, instabilis & vagabunda a-

ctio: nam agitatio venit ab agito, quod est iteratiuum seu frequentatiuum ab ago. Vnde est quod sic definiatur. Cogitatio est respectus animi, in res ab imaginatione repræsentatas, ad euagationem pronus. Hæc demum actiua cogitatio, vel est speculatiua, vel practica.

Speculatiua cogitatio dicitur, quæ principaliter assumitur propter obiecti cognitionem, sine aliquo ordine ad praxim. Practica verò est, quæ principaliter assumitur propter delectationem ex obiecto capiendam, ac propter aliquam actionem ad extra imperandam. Et huiusmodi cogitatio habet rationem boni vel mali, meriti vel demeriti, iuxta videlicet principium, à quo oritur; & materiam, circa quam versatur: quia deliberata est, & ad finē certum ac intentum ordinata.

Cogitatio specialis, alias propria ascetarū, dupliciter accipi solet, *largè* nimirum & *strictè*. Largè sumpta, significat omnem intellectûs piam operationem, & quamlibet actualem diuinorum sanctam cognitionem. Strictè verò accepta, solam non nisi designat simplicem apprehensionem, & confusam cognitionem rei. *id est*, termini seu mysterij, de quo instituenda est ascetica meditatio seu contemplatio. Quod autem præsens cogitatio significat simplicem apprehensionem, *Vt est* prima operatio intellectus, & cognitionem confusam, ratio est: *Tum videlicet*, quia intellectus

simpli-

ſimpliciter apprehendens obiectum (*vt eſt* virtus, peccatum, &c.) cognoſcit illud ſub ratione vniuerſali: nam alia obiecta inferiora, quæ ſub illo continentur non cognoſcit ſingulariter ac diſtinctè, niſi confusè. *Tum* quia intellectus ſimpliciter apprehendens obiectũ (*vt eſt* hiſtoria alicuius diuini myſterij ad meditandum aſſumpti) non cognoſcit illud diſtinctè, ſecundum videlicet omnem ſui latitudinem & longitudinem, ſublimitatem & profunditatem: ſeu, non cognoſcit illud ſecundum ſuas omnes rationes, modos, qualitates, partes & diuiſiones, niſi confusè ac ſuperficialiter.

ARTICVLVS II.

De conſideratione.

DIcendum eſt primò, quod conſideratio, quæ oritur ex cogitatione, & deſinit in meditationem, iuxta ſui nominis etymologiam, eſt quaſi contuitio ſiderum. Vnde ſicut Aſtronomus dicitur conſiderare, quando ipſo actu contuetur ſidera cæleſtia, vt eorum naturam, motus, effectus, influentias, ac cæteras huiuſmodi qualitates intelligat: ſic & aſceta, dum ſtudiosè inquirit vias (obſeruantiæ nimirum legis æternæ, cognitionis ſui ac Dei, & imitationis Chriſti) quibus venitur ad cæleſtem gloriam, iuxta illud *Pſ.* 118. In mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas. Et *D. Aug.* Scientiam terreſtrium & cæleſtium

rerum, magni æstimare solet genus humanū: in quo profectò meliores sunt, qui huic scientiæ præponunt nôsse semetipsos, laudabiliorque est animus cui nota est infirmitas sua, quam qui ea non perspecta, vias siderum scrutatur. *Item*. Qui crescit in scientia & non in bona vita, elongatur à Deo: tu ergo si sapiens esse desideras, discas in terris, quorum scientia perseueret in cælis. Infelix homo qui scit omnia alia, te autem Domine IESV nescit: beatus verò qui scit, etiamsi alia nesciat. Si autem te, & alia nouit: non propter ea beatior, sed propter te solum beatus.

Porrò consideratio secundum nomen suū, est quasi considens ratio: quod ipsum significat stabilitatem rationis, cunctanter nimirum ac studiosè procedentis per sui iudicij operationem, ex confusa in distinctam obiecti cognitionem. Procedit autem ratio operatione sui iudicij, *vel* componendo, *vel* diuidendo, *vel* conferendo. *Primo* modo procedit per compositionem; componendo nimirum cum subiecto prædicatum; seu prædicando, iudicando ac affirmando de obiecto simpliciter apprehenso, secundum quod conuenit illi. *Vt*, virtuti conuenit amor. Peccato conuenit odium. *Vel*, Virtus est amabilis. Peccatum odibile. *Hinc* procedens ratio vlterius, & causam ac rationem huius rei inquirens, non aliā inuenit ac iudicat esse, quàm, quod virtus honesta sit, vtilis & delectabilis: peccatum verò

igno-

ignominiosum, damnosum & amarum. *Secundo* modo procedit ratio per diuisionem: *Vel* nimirum negando de obiecto, quod disconuenit ipsi. *Vt*, Virtus, ob laboris difficultatem, non debet esse odibilis: quia magni est meriti. Peccatum ob delectationis voluptatem, non debet esse amabile: quia magnæ subiacet pœnæ. *Vel* diuidendo obiectum in partes diuersas. *Vt*, Virtus, alia est Theologica, alia Moralis. Item Theologica, &c. *Vel* quoq; diuidendo aliquod mysterium fidei, in plures considerationes. *Vt sunt illæ.* Quis, Quæ, A quo, Pro quo, Quomodo, Quam ob causam. *Tertio* modo procedit ratio operatione sui iudicij per collationem: conferendo scilicet quod est minus notum, cum magis noto. *Vt* est spirituale & materiale: vt ita deueniat in cognitionem eius explicitam & distinctam, cuius non nisi implicitam & confusam habuit notitiam. *Et* sic est deuenire in cognitionem SS. Trinitatis, ex cognitione animæ rationalis, solis, ignis, &c. Et in cognitionem virtutis, ex cognitione proprietatum palmæ, floris, fructus, &c. Et in cognitionem Christi virtutum ac perfectionũ, ex cognitione qualitatum Agni, petræ, lapidis angularis, &c.

Dicendum secundò, quòd consideratio *largè* sumpta, significat omnem operationem & cognitionem intellectus: *strictè* autem accepta, solam notat secundam intellectûs operationem, & distinctam cognitionem: ac idem

est quod processus rationis, tendentis videlicet ex terminis aut propositionibus fidei simpliciter aprehensis & confusè cognitis, in cognitionem diuinorum distinctam. *Hinc nota* duplicem esse processum rationis: *alter* est, quo procedit ratio ex confusa cognitione (vt dictum est) in distinctam: & talis processus præsentem constituit considerationem strictè sumptam. *Alter verò* est, quo procedit ratio ex cognitione distincta in euidentem: & talis processus dicitur discursus illationis, qui aliàs intellectuali meditationi deseruit.

ARTICVLVS III.

De meditatione.

DIcendum est primò, quòd meditatio diuinorum *alia* est intellectualis, *alia* affectualis. Intellectualis *largè* sumpta, significat omnem operationem & cognitionem intellectus: *strictè verò* accepta, solum significat discursum & euidentem diuinorum cognitioné. *Et* hæc meditatio, idem est, quod processus rationis (per discursum videlicet illationis, non autem collationis) de notis ad ignota, seu de magis notis ad minùs nota. *Vel* idem est, quod studiosa & efficax inquisitio veritatis, per discursum rationis. Hæc *deinde* intellectualis meditatio diuinorum, *vel* est scholastica Classicorum, quæ inquirit veritaté propter scire ac errores confutare: *vel* est scripturalis Ecclesiasticorum, ac verbi Dei præ-
dica-

dicatorum, quæ inquirit veritatem diuinorum propter fideles docendos, credenda nimirum, ſperanda atque agenda: *Vel* eſt aſcetica ſpiritualium, quæ inquirit cognitionem diuinarum veritatum propter ipſum proficere, in fuga ſcilicet malorum, in patratione bonorũ, & in perpeſſione aduerſitatum, ob Dei præceptionem ac eius Chriſti imitationem. *Hinc* patet præſentem meditationem propriè eſſe practicam, ſed non niſi inchoatè ſecundum aſcetas: *tum* quia intentione ſua ſtudioſâ occultam ac ignotam diuinorum cognitionem inquirit, obſcuram elucidat, perplexam euoluit, dubiam decernit, confuſam diſtinguit, & inuentam recolit; vt eam intimo affectui excipiendam ac ſancta operatione adimplendam offerat: *tum* quia aſſiduâ ſuâ attentione tam inter legendum, pſallendum, & vocaliter orandum, quàm inter quidpiam aliud agendũ, excitare ac promouere nititur erga Deum pium affectum, & ad omnia diuina exequenda promptum reddere conatur animum. De hac meditatione illud eſt *Pſal.* 118. Niſi quod lex tua meditatio mea eſt, tunc fortè perijſſem in humilitate mea. *Item.* Super omnes docentes me intellexi: quia teſtimonia tua meditatio mea eſt. *Item.* Concupiui ſalutare tuum Domine, & lex tua meditatio mea eſt.

Dicendũ ſecundò, quòd aſcetica meditatio intellectualis triplex eſt. *Prima* dicitur, Meditatio vt meditatio: & hæc illa eſt, quæ per

discursum rationis, ex præmissâ vnâ aut alterâ propositione notâ, in cognitionem ignotæ conclusionis deuenire solet. *Vt*, Christus Dominus in suâ passione fuit patiens & humilis: *Hæc* propositio nota est omnibus Christianis bonis & malis. *Igitur* ad imitationem Domini ac Magistri mei IESV Christi, necesse est me esse patientem & humilem, in hâc meâ aduersitate. *Hæc* autem conclusio minùs est nota: imo ipsis superbis & passionatis hominibus, nimis est occulta, & valdè ignota.

Secunda dicitur, meditatio vt consideratio: & hæc illa est, quæ rem meditatur per eius circumstantias, similitudines, dissimilitudines, & ponderationes. Per eas quidem circumstantias *primò*, quæ rem comitantur: *secundò*, per eas quæ rem præcedunt: *tertio*, per eas quæ rem subsequuntur. *Vt*, Peccatum comitatur obcæcatio mentis, remorsus conscientiæ, inquietudo animi, priuatio gratiæ Dei. *Igitur* mihi detestandum est. *Item*, Peccatum præcedit callida suggestio ac incitatio diabolica, concupiscentiæ titillatio, mentis perturbatio. *Igitur* abominandum est. *Item*, Peccatum sequuntur miseriæ huius vitæ, ac ipsa reprobatio æterna. *Igitur* fugiendum est. *Per* similitudinem verò rem meditatur, quando deuenire conatur in cognitionem explicitam ac euidentem rei alicuius minùs notæ, ex similitudinibus, seu qualitatibus ac proprietatibus alterius rei magis notæ: *Vel* quando

ex figu-

ex figuris veteris testamenti, aut ex parabolis Euangelicis tendit in cognitionem figuratæ alicuius veritatis diuinæ. *Per* dissimilitudinem rem meditatur hoc modo, iuxta *D. Aug.* dicentem. Sicut nullum gaudium rerum temporalium ex aliqua parte simile potest inueniri gaudio vitæ æternæ, quam sancti accepturi sunt: ita nullus cruciatus pœnarum temporalium, potest sempiternis iniquorum cruciatibus comparari. Quia *scilicet*, oppositorum eadem est ratio. *Igitur* &c. *Per* ponderationem rem meditandi, habetur exemplum Susannæ sic secum meditantis, & ad senes illos sceleratissimos aientis *Daniel.* 13. Angustiæ sunt mihi vndique: si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi incidere in manus hominum, quàm peccare in conspectu Domini. Quia *scilicet*, potentior est Deus ad saluandum me, quàm homines ad perdendum: & quia homines nequeunt occidere nisi corpus; Deus autem & corpus & animam perdere ac in æternum condemnare potest *Item* S. Pauli ad *Philip.* 3. Omnia arbitratus sum vt stercora, vt Christum lucrifaciam. Et *Rom.* 8. Existimo quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Quia *scilicet*, præsentes passiones transitoriæ sunt; gloria verò futura, æterna est. *Igitur* &c.

Tertia intellectualis meditatio asceta, dicitur

tur meditatio vt speculatio: & hæc illa est, quæ ré meditatur per aliquid, quod est eius effect⁹: Res enim causans, vel alias, causa ipsa, relucet ac repræsentatur in suo causato, seu, effectu, tanquam in quodam speculo. *Vt*, in amaritudine mortis, relucent peccati qualitates: quia mors, est effectus peccati. Et *vt* in creatura, relucent perfectiones Creatoris. *Vnde* speculatio, vel aliàs meditatio vt speculatio non aliud est, quàm inuestigatio & visio causæ per effectum. Modus igitur meditandi Deum in speculo creaturarũ, triplex habetur, *alius nimirum* per affirmationem, *alius* per excessum, & *alius* per negationem. *Modus per* affirmationem meditandi Deum talis est. Si creatura est. Ergo Deum creatorem esse necesse est. *Item*, Si Deus est, omnino necesse est eum esse omnipotentem, summè sapientem, summè bonum: alias si talis non esset: non posset, non sciret, & non vellet producere huiusmodi creturam. *Item*, Si itaque Deus est omnipotens, summè sapiens, & summè bonus. Ergo summè omnino est timendus, imitandus & amandus.

Modus per excessum meditandi Deum talis est. Si Deus est creator mundi, & causa in eo tantarum perfectionum, quas quilibet spectare potest in creaturis. Ergo necesse est Deũ perfectione suâ, excedere ac superare perfectiones creaturarum, modis videlicet decenis, centenis, millenis & infinitis, tanquam

suarum

ſuarum perfectionum participationes. Quia cauſa prima ac vniuerſaliſſima, neceſſe eſt, vt ſit his modis nobilior & perfectior ſuis effectibus. Vnde conſequenter, ſupra modum, ac ſupra omnia creaturarum eſt diligendus.

Modus per negationem meditandi Deum talis eſt. Illa cauſa eſt infinita, quæ totam ſimul habet virtutem producendi reſpectu effectuum infinitorũ ſpecie diſtinctorum, quorum quilibet requirit ſpecialem perfectionẽ in cauſâ. Sed Deus habet huiuſmodi virtutem reſpectu infinitorum effectuum, quorum eſt cauſa prima & vniuerſaliſſima. Ergo eſt infinitus: *id eſt*, infinitè perfectus. Vnde conſequenter eſt infinitè amandus, quamuis non ſecundum intenſionem, ſed tantùm ſecundũ appretiationem & durationem. *Item*. Si Deus eſt finis creaturæ rationalis: quia in eo ſolo quieſcit. Ergo eſt infinitus; alias creatura rationalis de perfectiori cogitaret. *Item*. Si Deus eſt infinitus. Ergo eſt immenſus & æternus: quia infinitas radicalis dicit negationem termini perfectionis, & circumſcriptionis in loco.

Dicendum tertiò, quòd aſcetica meditatio affectualis ſeu affectiua, idem eſt quod inquiſitio amationis ſummi boni, ac diuinorum, per pia deſideria, ſtudio ac vſu meditationis intellectualis excitata. De hâc meditatione illud eſt *Pſal.* 18. Meditatio cordis (*id eſt*, affectus) mei, in conſpectu tuo ſemper. Et

Cant. 3.

Cant. 3. In lectulo meo per noctem quæsiui quem diligit anima mea. *Dicitur autem* meditatio præsens, affectualis: non quod, non indigeat aliquo intellectus obsequio; indiget enim inuentionibus & conceptibus eius, *id est* actibus; sed non inquisitionibus seu operationibus: nec quod, non erudiat ac illuminet intellectum; erudit enim & illuminat magis quàm intellectualis meditatio; sed quòd ex affectu charitatis consurgat, & in eundem affectum desinat, ac per eundem affectum dirigatur, promoueatur, dilatetur, eleuetur, & perficiatur. *Vnde* huiusmodi affectiua meditatio, vtpote in esse acquisito, non autem in acquirendo, iam idem est, quod ipsa ordinaria contemplatio. *Dicitur quoque* præsens meditatio, amationis summi boni inquisitio, *vtpote* ordinaria: nam aliàs inquisitio & inuentio seu acquisitio duplex est intellectualis nimirum & affectualis: quorum vtraque, *alia* dicitur ordinaria, & *alia* extraordinaria.

Inquisitio ordinaria intellectualis fit per discursum collationis & illationis (*id est*, per primum & alterum processum rationis: *vel*, quod idem est, per secundam & tertiam operationem intellectus) quæ non sufficit ad salutem, iuxta illud *Ioan* 8. Quæritis me & in peccato vestro moriemini. Inquisitio affectualis ordinaria, fit per efficaces electiones mediorum ad vltimum finem consequendum, ac per pia desideria magis ac magis amandi Deũ:

&hæc

& hæc sufficit ad salutem, iuxta illud *Ps.* 118. Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Vtraque huiusmodi inquisitione Deum inquirebat Propheta, cùm diceret *Ps.* 76. In die tribulationis meæ, Deum exquisiui manibus (*intellectus nimirum ac voluntatis*) meis,

Inuentio seu acquisitio intellectualis ordinaria, est, *tum* quando veritas aspicitur seu cognoscitur per aliud: vt fit in meditatione, in qua non habetur cognitio rei, nisi per discursum collationis aut illationis. *Tum* quando veritatem simpliciter intuemur: vt fit in ordinaria contemplatione, cui nullus miscetur discursus. Inuentio seu acquisitio affectualis ordinaria, est, quando mens, feruidâ sui extensione, ad sobriam cum Deo vnionem, peruenit celebrandam, vt iam dicat illud *Cant.* 3. Inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.

Inquisitio extraordinaria, tam intellectualis quàm affectualis, fit, quando mens ex contemplatione negationis, actibus ecstaticis, in Deum consurgit, ad eius intimam adspirans vnionem. Inuentio extraordinaria, tam intellectualis, quàm affectualis, in intima cum Deo mentis vnione consistit, ac per eam constituitur.

Dicendum quartò, quòd ascetica meditatio secundum propriam sui nominis etymologiam, multipliciter definiri potest. *Primò.* Medi-

Meditatio, est quasi medij animi (*id est*, omnium virium internarum animæ rationalis) actio. *Secundò*. Meditatio, est quasi mediorũ (ad finem scilicet vltimum consequendum necessariorum) inquisitio & electio. *Vnde* notare est, hoc ipso differre meditationem à contemplatione: quod meditatio occupatũr circa inquisitionem & electionem mediorum ad finem; contemplatio verò iam præhabitis medijs, rectè ac simpliciter tendit in finem,& in ipso sistit ac quiescit. *Tertiò*. Meditatio, est quasi in mentem diuina itio. Dicitur autẽ Deus ire in mentem, cùm eam pulsat,excitat, illuminat, & alloquitur suâ præuenienti gratiâ,vt meditationi diuinorũ diligenter ac feruenter insistat. Vnde D. Bonau. *itin.* 2.*dist*.5. sic ait. Allocutio diuina præcedit ac inchoat meditationem humanam, dicit enim Apostolus 2. *Cor.* 3. Quòd non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis. Quantò minùs sufficientes sumus meditari ex nobis tanquam ex nobis, cùm meditatio perfectior sit cogitatione. *Quartò*. Meditatio,est quasi mentis in sui medium (seu intimum ac profundum) itio. Dicitur autem mens ire in sui intimum,quando inspiratione diuinâ præuenientis gratiæ susceptâ , & cooperante sibi adiuuante gratiâ Dei, cum ipso Deo in profundo sui deambulat, tractans de correctione suorum defectuum, de profectu spirituali, & similibus, iuxta illud *Psal.* 76. Cogitaui dies anti-

antiquos, & annos æternos in mente habui: & meditatus ſum cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum. *Quintò.* Meditatio, eſt quaſi mentis in Deum itio. Dicitur verò mens ire in Deum, quando ſeipſam omnino deſpiciens, ſoli Deo ſuâ conceptione & affectione perpetuò inhærere contendit, tanquam fini vltimo. *Sextò,* Meditatio, eſt quaſi mentis ditatio. Sicut enim prudens ac diligens mercator, multum diteſcit, de ciuitate ad ciuitatem, ac de nundinis ad nundinas diſcurrendo, & vbique lucrando: ita mens deuota, meditando ac remeditando fidei myſteria, magnum ſenſim theſaurum cæleſtis ſapientiæ, non tam nimirum intellectiuæ ac verboſæ, quàm affectiuæ ac practicæ, ſibi coacervat; vt iam piè gloriari poſſit, dicens cum Regio propheta illud *Pſ.* 118. Super omnes (*vtpotè, ſcholaſticos & ſcripturales*) docentes me intellexi: quia teſtimonia tua meditatio mea eſt. Super ſenes (*hoc ſcilicet ſtudium aſcetica meditationis minùs æſtimantes ac negligentes*) intellexi: quia mandata tua quæſiui.

ARTICVLVS IV.

De Speculatione.

DIcendum eſt primò, quod ſpeculatio diuinorum, *alia* dicitur ſpeculatio vt ſpeculatio: & hæc ſcholaſticorum eſt, ac omnem ſignificat rationalem à longinquo veritatis inueſtigationem, propter ſcire, abſque vllo ordine

ordine ad praxim. *Alia* dicitur, speculatio vt speculatiuo practica; & hæc spiritualium est, ac notat quandam inquisitionem & intuitionem Dei in speculo suorum effectuum, causantem ac efficientem in anima rationali, maiorem ac maiorem cognitionem Dei, timoré & amorem, feruentioremque ac diligentiõrem eius imitationem. De hâc speculatione illud est 1. *Corint.* 13. Videmus nunc (*Deū*) per speculum (*creaturarum*) & in ænigmate. *id est*, in obscuritate fidei, & in abstractis perfectionibus mundanorum. Speculatio enim huius loci venit à speculo, non quidem ab artificiali ac propriè sumpto, quod est instrumentum ex vitro & stanno argentoue elaboratum, speciem ac similitudinem cuiuscunque rei in se recipiens & repræsentans; sed à metaphorico, quod idem est ac effectus causæ: nam effectus sunt quasi quoddam speculum, in quo causa eorum cernitur.

Dicendum secundò, quòd speculatio spiritualium, *alia* est ascetica, *alia* mystica. Speculatio ascetica, *Corporè*, incipientium propria, idem est cum meditatione: quia discursibus vtitur. Vnde dicimur speculari Deum, hâc nimirum speculatione; quando ex creaturis inuestigamus eum per discursum rationis, ac in euidentem eius veritatum deuenimus cognitionem. Ascetica speculatio, propria videlicet proficientium & perfectorum, iam idem est quod contemplatio ordinaria: quia dis-
cursi-

curſibus caret: & hæc non ſolum venit à ſpeculo, verùm etiam & à ſpecula ſpeculatoris. Nam ſicut ſpeculator ſeu ſtationarius aſcendens ſuam ſpeculam, ac in eà vigilias agens, ſubitò ſui aſpectus eleuatione, palàm videt videnda omnia; ita aſceta pius, in hanc ſpeculationem ordinariæ contemplationis eleuatus, veritatem ſuo aſpectui interno obiectam, illicò ſimpliciter comprehendit ſeu contuetur. Myſtica ſpeculatio, idem eſt, quod aliqua extraordinaria contemplatio, vel actus illius, iuxta D Bonauenturam, *de ſeptem gradibus contemplationis extraordinariæ*, quem ibi conſulere licet.

ARTICVLVS V.
De Contemplatione.

DIcendum eſt primò, quòd contemplatio, accipitur aliquando *largè*, aliquando *ſtrictè*. Largè ſumpta, dicit omnem operationem intellectus & cognitionem: quamobrem non tantum comprehendit viſionem veritatis aut intuitionem, ſed etiam conſiderationem, meditationem, & quamcunque inquiſitionem, quæ ad cognitionem veritatis tendit, atque in illa ſiſtit. Strictè ſumpta contemplatio, dicit meditationis & cuiuſcunque inueſtigationis terminationem: nec non veritatis quæſitæ & inuentæ viſionem ſeu intuitionē. Eſt enim contemplatio ſecundum ſui nominis etymologicam definitionem, quaſi contuitio

in templo, seu contuitio de templo. Ita namque contemplatiuus insistens contemplationi suæ, mentis oculo veritatem simpliciter & perspicaciter contuetur: sicut etiam auditor sacrorum, oculo carnis apertè & expressè in templo perlucido, nullis videlicet columnis & anfractibus obscurato, sacerdotem diuinis intentum aspicit: *Vel* sicut speculator apertè & expressè, de templo excelso, cuneos inimicorum venientium animaduertit.

Dicendum secundò, quòd contemplatio strictè sumpta, *alia* est Philosophica, *alia* Theologica. Philosophica secundum D. Ber. *lib. 2. de consid. cap. 2.* Est verus certusque intuitus animi de quacunque re. Siue, Apprehensio veri non dubia. Theologica contemplatio, secundum D. Thomam. 2. 2. *q.* 118. *art.* 1. & 3. idem est, quod Diuinæ veritatis simplex intuitus. Porro contemplatio Theologica, *alia* est scholasticorum, *alia* spiritualium. Scolasticorum non alia est, quàm simplex & perspicax Dei ac diuinorum intuitio, sine proximo respectu ad praxim. Spiritualium verò contemplatio, non aliud est, quàm mentis in Deum suspensa (*id est*, nimis attenta) eleuatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans. ita D. Bern. *de scala claustrali*. Diuus autem Bonau. Contemplatio (*inquit*) est clara (*claritate scilicet Via*) & libera perspicacia, ad cognoscendum diuinam sapientiam; & propriam, ac naturalem possibilitatem.

tem. *Item.* Contemplatio est actus intellectus non impediti, gratiâ sanati, in æterna spectacula directi, cum admiratione suspensi. *Tandem,* contemplatio spiritualium est simplex apprehensio Dei & diuinorum, ac notitia practica. *id est,* amatiua. *Hinc nota,* quòd quatuor sunt, quæ mentem impediunt, ne possit liberè contemplari: culpa nimirum mordens, cura pungens, sensus egens, & phantasmata irruentia. Culpa mordens, significat peccatū, quod conscientiam arguit, tam videlicet illud, quod ex anima per contritionem non est deletum, quàm quod post veram pœnitentiam importunè ingerit se menti, conscientiām tristitiâ, timore, scrupulis & plurimis perturbationibus afficiens. Cura pungens, significat nimiam animi solicitudinem, de possibilibus bonis acquirendis, quæ amantur; & malis cauendis, quæ timentur. Sensus egens, significat indigentiam corporalem cibi, potus, calefactionis, refrigerationis, requietionis, & sanationis. Phantasmata irruentia, significant repræsentationem imaginariam, eorum quæ amamus, desideramus, speramus, vidimus, audiuimus, imo & quæ meditati ac contemplati sumus ordinario modo *Nota deinde,* quod simplex apprehensio diuinorum triplex est. *Prima* illa dicitur, quæ est inchoatiua rationis vlterioris processus, vocaturque initiū operationis seu prima operatio intellectus. *Secunda* simplex apprehensio diuinorum, illa

est, quæ habetur post omnem discursum, processum & inquisitionem rationis: & hæc propriè dicitur actus contemplationis, seu ipsa actualis contemplatio, habens finem, intimũ Dei amorem, ac specialem cum illo vnionem. *Tertia* simplex diuinorum apprehensio, illa est, quæ dicitur notitia experimentalis, seu cognitio practica ac sapida: quam apprehendit & concipit intellectus; ex perceptione diuinorum, per spiritualem odoratum, gustum & tactum: vel alias, quæ venit intellectui ab experientia affectiua, perfecti amoris, imitationis ac timoris Dei.

Dicendum tertiò, quod contemplatio spiritualium, duplex est, *ascetica* nimirum & *mystica*. Ascetica contemplatio, *id est*, ascetis vsitata, alias vocari solet ordinaria, simplex, acquisita, rationalis & affectuosa. Ordinaria quidem *dicitur*, tum scilicet, quia habet suum ordinem & modum, ab humana industria excogitatum ac præscriptum: tum quia Deus, in hâc contemplatione, à simplici intelligentiâ, modo hominibus ordinario seu vsitato & connaturali, cernitur & conspicitur. Simplex *dicitur*: quia huic contemplationi nullus miscetur discursus; sicut alias miscetur contemplationi compositæ, quæ veritatem minùs notam, aspicit per aliam veritatem magis notã: quo pacto, non differt à meditatione. Acquisita *dicitur*: quia labore ac studio humano, & industriâ, cum ordinario auxilio diuino acquiri-

quiritur. Rationalis seu ratiocinatiua *dicitur*, eò quòd à ratione, ac studio illius, veniat simplici intelligentiæ; & non rarò in eandem rationem descendat. Quamobrem D. Bonau. *in 3. distin.* 3. præsentem contemplationẽ, sub nomine speculationis pertinere docet, partim ad rationem, partim ad simplicem intelligentiam. Affectuosa seu affectiua *dicitur*: quia ab affectu contemplandi Deum incipit, & in affectum amoris Diuini desinit. Amor enim contemplaturum incitat, & in amorem terminatur contemplatio: atque in ea magis, quàm in meditatione exardescit ignis. Nam cum quis, quem amat, viderit (*inquit S. Gregorius*) in amorem ipsius amplius ignescit. Verùm contemplatio mysticorum, adhuc potiori iure dicitur affectuosa: quia magis ibi in Deum agitur affectus quàm intellectus.

Mystica contemplatio, *id est*, mysticis vsitata, alias vocari solet extraordinaria, superrationalis ac superintellectualis, infusa, passiua, & saporosa. Mystica quidem contemplatio *dicitur* (accepta videlicet genericè: nam sub illa, tres aliæ huiusmodi contemplationis collocantur species, sicuti etiam sub contemplatione ascetica) quia mens ad illam extraordinariè inuitata seu permota, modo consurgit mystico, seu occulto & ignito, vtpotè, absque conceptu humano: ac in Deum (humanæ scilicet industriæ) ignotum, impetu fertur inexplicabili, eique arctissimo amo-

ris vnitiui nexu feliciter copulatur: vbi absconditis cælestibus reuelationibus in tantũ recreatur, ac ineffabilibus supermundanis voluptatibus potatur; vt cæteri spirituales perfecti, ad huiusmodi scilicet participationem non admissi, idipsum esse possibile difficulter credant, imperfecti vero impossibilè arbitrentur. Extraordinaria *dicitur:* tum quia præsens contemplatio est vltra omnem ordinem, caretque omni modo, & nullis indiget humanæ industriæ regulis: cum alias solo magisterio ac tractu diuino regatur & gubernetur: quâ de causâ quoque dici solet Modinescia, & Modiexpers. *Tum* quia omnẽ conceptum de Deo homini vsitatum & connaturalem transcendit. *Tum* quia, mens in hac contemplatione non constituitur, nisi auxilio cælesti extraordinario adiuta & eleuata, peculiarique gratiâ Dei sursum acta & erecta. Superrationalis & superintellectualis *dicitur:* quia ad hanc contemplationem intellectus noster nullatenus venire potest; neque per suam ratiocinationem, neque per simplicem intuitionem: cum alias, semper sit ratione & simplici intelligentia superior. Infusa *dicitur* & immediata: quia proximè ab ipso Deo promanat, à donoque illius supercælesti, ad hoc scilicet animæ infuso, vt eam extraordinariè illuminet, instruat, permoueat, eleuet, & inflammet. *Hinc nota,* aliam esse contemplationem infusam secundum quid, aliam simpliciter.

ter. Contemplatio infusa secundum quid, vel alias mediata, illa est: quæ à Deo venit humanæ industriæ, actiuitati, labori & exercitationi diuturnæ, medijs scilicet donis Spiritus sancti ordinariè infusis: ac ideo huiusmodi contemplatio, non differt ab ordinaria & acquisita. Contemplatio infusa simpliciter: vel est infusa simpliciter per accidens, quæ scilicet gratiosè ac præmaturè à Deo datur alicui verè conuerso, nondum in studio meditationis satis exercitato: sed nihilominùs ordinarium modum cognoscendi obiectum non excedit, nec in aliquo superat contemplationem acquisitam. Vel est infusa simpliciter per se: quæ scilicet nullo vnquam studio, labore & conatu humano comparari potest; sed immediatè à solo Deo procedit, modo hominibus ignoto & inusitato: & omnino modum ordinarium, cognoscendi & amandi Deum transcendit. Passiua *dicitur:* quia sicut se habet anima rationalis actiuè ac operatiuè in Deũ, dum insistit ordinariæ contemplationi: tenente manus eius (intellectus nimirum & voluntatis) ac ducente cælesti Numine, per gratiam suam cooperantem. Ita se habet passiuè, respectu scilicet inactionum diuinarum, dum huic vacat contemplationi: quoniam ipsis iam excipitur, rapitur & portatur diuinis manibus, gratiarum videlicet extraordinariarum. Quod quidem fit, non absque eius consensu & cooperationis vitalis concursu. Ve

est, manuum suarum internarum ecstaticas actiones extendere; vel alias desiderare, gaudere, iubilare, &c. *Et inde est*, quod anima rationalis, dicatur aliquando pati diuina, cælestium scilicet irradiationum, inflammationum, experientiarum, ac aliarum gratiarum huiusmodi extraordinariarum infusionem. Saporosa *dicitur*: quia experimentatiua est, seu experientiam habet saporis diuinorum. *Hinc nota*, quod sapor internus, *alius* est scholasticorum seu speculatiuorum, qui nascitur gustui spirituali ex ingeniosa & subtili cuiuscunque veritatis conceptione. *Alius* est spiritualium, qui nascitur ex intima summi boni amatione, & vtili diuinorum practica intellectione: & hic sapor, dicitur condimentum contemplationis. Porro sapor spiritualium, *alius* est, quem percipit ac gustat anima rationalis, ordinariæ intenta contemplationi, dum scilicet actiua vnione spiritui diuino sobriè coniungitur: *alius* verò, quem pura mens (*id est*, à vitijs expurgata, à passionibus defæcata & à phantasmatibus alienata) extraordinariæ contemplationi addicta, Deoque passiuâ vnione copulata, modo admirabili & ineffabili experiri solet.

Dicendum quartò, quod contemplatio, *tam scilicet* ascetica, *quàm* mystica, triplex habetur. *Prima* quidem ascetica contemplatio, dicitur affirmationis seu positionis: *secunda*, dicitur excessionis: *tertia*, negationis.

nis. Contemplatio affirmationis seu positionis illa est, quæ dum simpliciter Deum apprehendit ac intuetur, modo videlicet homini vsitato & connaturali, *Sponte*, per species perfectionum à creaturis abstractas : eo ipso, easdem creaturarum perfectiones, per modũ positionis seu affirmationis, ipsi Deo attribuit; quas nouit perfectionum eius diuinarum esse participationes. *Vnde* secundum huius contemplationis modum, dicitur Deus in scriptura sacra, omnipotens, sapiens, iustus, bonus, misericors, Dominus, Rex, Iudex, Saluator, *Item*, via, veritas, vita, charitas &c.

Contemplatio excessionis, seu contemplatio per excessum ac præstantiam, illa est, quæ dum simpliciter Deum apprehendit ac intuetur, sensim excedit seu superat contemplationem affirmationis, donec plenè ab ea elongata & alienata, in contemplationem negationis desinat. Vnde secundum huius contemplationis modum, dicitur Deus in palæstra mysticorum, superomnipotens, supersapiens, superbonus, supersubstantia, &c.

Contemplatio negationis seu ablationis, illa est, quæ Deum simpliciter apprehendens, post omnem scilicet discursum, omnes quas illi priùs quocunque modo tribuebat creaturarum perfectiones, ab illo remouet, tanquã imperfectè & impurè diuinitatem illius repræsentantes. Vnde secundum huius contemplationis modum, dicitur Deus, Increatus, incor-

incorporeus, incogitabilis, inimaginabilis, inconceptibilis, inuisibilis, incomprehensibilis, ineffabilis, infinitus, immensus, immutabilis, &c. Atque inde est, quòd à mysticis dicatur DEVS, OMNIA & NIHIL creaturarum. Omnia quidem creaturarum est: quia omnia in ipso per vnam simplicissimam rationem Deitatis continentur: quo fit, vt sit omnia, vel formaliter, vel eminenter. Nihil verò creaturarum est: quia vltra est omnia. Pari ratione, dicitur etiam à mysticis Deus, Omninomius & Innominabilis, Omninomius quidem est: quia nulla res tot nominibus nominatur, exprimitur, & describitur, vt Deus: nec aliqua res, ex tot repræsentatiuis similitudinibus, effectibus & exemplis; ex tot rationibus, argumentis & medijs; ex tot vestigijs & doctrinis agnoscitur, vt ipse. Innominabilis autem est Deus: quia nulla est vox, nullum vocabulum, nulla denominatio, quæ illum satis exprimere possit.

Nota *primò*, hoc esse discrimen inter quamlibet præsentem asceticam contemplationem & meditationem: quòd mens meditationi vacans, procedat ratiocinatione ac discursu, nunc vnam perfectionem limitatam, nunc alteram, tandemque omnes, aut scilicet attribuendo Deo, aut ab eo remouendo ac seiungendo. Contemplationi vero insistens, non tam curat, vt quidquid est rerum perfectionis, quæ sub sensum cadunt ac intelligi possunt,

possunt, humano more, aut attribuat Deo affirmando, aut à Deo segreget negando; quàm vt Deum simpliciter apprehensum post omnem rationis discursum, magis ac magis cognoscat timeat, imitetur & diligat.

Nota *secundò*, quòd nullus (iuxta communem sensum spiritualium) ad perfectam vitæ spiritualis normam pertingere valet, absque continuo vsu contemplationis: & nullus (secluso Dei miraculo) ad vsum contemplationis peruenire potest, absque studio meditationis. Per miraculum autem intelligunt spirituales, peculiarem Dei gratiam, & infusionem: omnis enim contemplatio habetur, vel proprio labore ac industriâ humanâ, quæ ratiocinationibus vtitur, vt ad intuitum pertingat; vel afflatu diuini spiritus, & gratiosa infusione.

Contemplatio quoque mystica *primi* status, dicitur pura: *secundi*, dicitur caliginosa: *tertij* supereminens. Contemplatio pura, propria *videlicet* incipientium mysticorum, illa est, cuius conceptui diuinali, nulla miscentur phantasmata: *vel alias*, à cuius intuitu excluduntur operationes imaginationis. Sicut etiam exempli gratia, contemplatio simplex, illa est, cui non miscentur discursus: vel alias, à cuius intuitu excluduntur operationes intellectus, seu processus rationis.

Contemplatio diuina in caligine, aut contemplatio Dei caliginosa, propria videlicet

proficientium mysticorum, illa est, quæ quamuis sit pura sicuti & prior, imò priori altior, nobilior, & diuinior, tamen adhuc est obscura, respectu nimirũ contemplationis patriæ: cuius quidem obscuritas ita est clara, vt præsens contemplatio, meritò possit dici claro-obscurior, & è conuerso, obscuroclarior. *Licet enim* caligo apud scripturales, secundum proprium literalem sensum, idem sit, quod obscuritas effecta ex nebulis & nubibus, radios luminosi corporis detinentibus: *Vel alias*, condensatio in aëre exhalationum terræ, cælestis luminis diffusionem impediens: secundum verò improprium literalem sensum non aliud significet, quàm in oculis corporeis aliquem defectum claritatis naturalis: secundũ quoque spiritualem sensum, non aliud denotet, quàm obscuritatem prophetiarum, literam legis non intellectam à Iudæis, ignorationem diuinorum, profunditatem mysteriorũ Dei. *Tamen* apud mysticos occultiori sensu, idem est caligo, quod lumen quoddam spirituale, mirabiliter & ineffabiliter mentem illustrans, & super omnem humanæ eleuationis modum sursum erigens. *Vnde* S. Dionysius *epist.* 5. *ad Doroth.* inquit. Diuina caligo, est lux, ad quam aditus non patet, in qua Deus (1. *Tim.* 6.) habitare dicitur: quæ quidem nec cerni potest præ excellenti claritate, nec adiri eadem, propter singularem diuini luminis effusionem, *id est*, Caligo diuina, sensu

mysti-

mysticorum, est lux spiritualis, quâ Deus circumuelatur: *seu*, lumen intellectuale extraordinarium, actum cognitionis Dei efficiens in mente supernaturalem, quem alias ipsa mens, suâ intentione seu actiuitate vsitata & connaturali, nullatenus elicere potest. Cur autem præsens mystica caligo per lucem definiatur, cum alias in genere qualitatis plurimum differant, ac proinde distinguantur significatione naturali? Ratio est: *tum videlicet*, quia sicut sol oriens, potiùs splendore suo sidera cælestia obscurat, quàm illustrat: nam in ortu eius, luna & stellæ lucere desinunt. Ita præsens lux spiritualis, dum puram mentem sua claritate supernaturali extraordinaria format ac illustrat, omnem aliam lucem cognitionis eius, tam scilicet naturalis, quàm supernaturalis vsitatæ ac ordinariæ superat, obumbrat, obscurat, obnubilat, & ineffabiliter excellit. *Tum* quia ex vna parte præsens lux caliginosa, seu è conuerso caligo lucida, sic illuminat mentem, ac in diuinis mysterijs facit certam, firmam, securam, eruditam, claram, sapientem, & quietam, vt totus mundus suis prosperitatibus & aduersitatibus, & totus infernus suis callidis argumentis, astutis persuasionibus, & falsis miraculis, ad eam seducendam non sufficiat. Ex altera parte, sic eam reddit obscuram, vt sublimitatem & profunditatem, latitudinem & longitudinem veritatis mysteriorum Dei non comprehendat. Cu-

ius rei habetur exemplum in mari, quod se simpliciter visui offert, & tamen secundum suum ambitum videri non potest; tam videlicet propter sui latitudinem, quàm propter nostri visus ad tantā superficiē improportionabilitatem. Quod quidem sancti admirantes, exclamant vocibus suis, vtpotè *Psal.* 17. Posuit tenebras latibulum suum. Et *Ps.* 96. Nubes & caligo in circuitu eius. Et *Ps.* 103. Abyssus sicut vestimentum amictus eius. *Item Cant.* 3. In lectulo meo per noctes quæsiui quē diligit anima mea. *Item, Rom.* 11. O altitudo diuitiarū sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Et 1. *Tim.* 6. Qui lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominū vidit, sed nec videre potest: cui honor & imperium sempiternum. *Item, Ps.* 102. Confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento. Per quas voces intelligere est, tum scilicet diuinam incomprehensibilitatem, tum nostri visus imbecillitatem.

Contemplatio diuina supereminens, *aliàs* eminentissima & altissima, propria videlicet perfectorum mysticorum, illa dicitur, quæ eminentior & altior est, non solum asceticâ contemplatione, in Deum cum conuersione ad phantasmata sursum agente: *Vt est* contemplatio positionis, excessionis & ablationis. Verum etiam, quæ supereminet & ipsi mysticæ contemplationi (qualis est pura, & caligi-

nosa)

nosa) cooperationem imaginationis repudianti: *tum videlicet* in ratione maioris inflammationis affectus, *tum* in ratione maioris illustrationis intellectus. *Vel item*, in ratione nobilioris ac altioris gradus intimæ vnionis, humanum spiritum, tam videlicet secundum puram intelligentiam, quàm secundum principalem affectionem, cum spiritu diuino feliciter ac ineffabiliter vnientis. *Vel item* in ratione huiusmodi, quòd videlicet contemplatio pura (*vtpote* sumpta specificè) dicit mentis ingressum in diuinam caliginem: & quod est de ratione doni actualis. Et contemplatio caliginosa, etiam specificè sumpta, dicit mentis habitationem in caligine diuina: & quod est de ratione doni habitualis. Contemplatio verò supereminens, specificè etiam sumpta, dicit mentis raptum ad interiora seu intima diuinæ caliginis: & quod est de ratione doni excedentis: quia videlicet, excedit ac superat dona præcedentia, veluti quodammodo dispositionem & habitum, excessus virtutis. *Vel item* in ratione hac, quòd nimirum in contemplatione pura, vulnere amoris violenti, sauciatur anima: & in caliginosa, ligari dicitur, vinculis scilicet eiusdem amoris; & præ illius magnitudine languere, suspirare, diffluere, vnumque exposcere, quo suum sedetur flagrans desiderium, vniri scilicet amato supereminenter: in contemplatione verò supereminenti, amore amoris amati moritur anima

& exspirat, ita vt in suum modo exeffabili deficiat amatum.

Nota autem quòd præsentes contemplationes mysticæ, aliquando sumuntur *genericè*: vt quælibet illarum sine discretione dici possit pura, caliginosa, & supereminens: quia etiã quælibet illarum, omnem repudiat phantasmatum impuritatem; quælibet intuetur Deum caligine mysticâ circumuelatum; & quælibet alteri contemplationi, gradus videlicet aut status inferioris, supereminet. Aliquando sumuntur *specificè* seu magis contractè, vt sint velut diuersi gradus ac status, & distinctæ species.

Nota etiam, diuersa esse mysticis, consurgere ignotè, ingredi diuinam caliginem, manere in diuina caligine, & rapi ad interiora diuinæ caliginis. Consurgit enim mens *ignotè*: vel aliàs, extendit se ad radium lucis caliginosæ: vel item, vertit se ad radium diuinarum tenebrarum: quando per multa perfectarum virtutum exercitia, passionibus iam domitis ac tranquillatis; & per contemplationem negationis, vel aliàs per vsum illius continuum, phantasmatibus iam sopitis, ac modo sibi possibili ablegatis: quietè, & quasi iam purè, sub quadam videlicet generali confusaque incomprehensibilitatis ratione, seu, sub quodam conceptu defæcatissimo ac ab omni affirmatione & negatione abstractissimo, simplici Deum spectat intuitu, adspirans ad

eminen-

eminentem illius ac intimam vnionem; cui aliàs vnione sobriâ sentit se iam ac experitur esse vnitam.

Ingreditur mens in diuinam caliginem, quando in hac sui consurrectione ignota, vel aliàs, conuersione ac extensione ad radium lucis caliginosæ, infunditur sibi in partem intellectiuam, species quædam, obiecti diuinorum ac ipsius Dei vicem gerens, ita perfecta & spiritualis, vt nullam dicat dependentiam à similitudinibus mundanorum, quâ ad eliciendum diuinalem conceptum vtatur independenter à cooperatione imaginationis: in partem verò affectiuam, infunditur sibi quidam amor vnitiuus, vtpotè, ineffabilis delectationis ac suauitatis spiritualis, quâ mens delibuta iucundè conquiescit in suo amato, cui inchoatâ eminenti vnione, vnitam se esse experitur.

Habitat mens in diuina caligine, quando specie illâ infusâ, quasi iam in perpetuum diuinitus videtur esse depictâ; & gratiâ illâ amoris vnitiui ac dulcis, quasi iam semper manet perfusa: ita, vt eius intentio ac defixio in Deum sic sibi repræsentatum & reuelatum, habitualis & quodammodo permanens sit, quæ prius non nisi actualis ac pertransiens habebatur.

Rapitur mens ad intima diuinæ caliginis, quando altiùs eleuata, & ante ipsum Diuinum conspectum constituta, illuminationibus no-

uis ineffabiliter illustratur, & igne amoris cuiusdam inusitati ac admirabilis illustratur, ita vt ardeat & exæstuet intimo amore amati sui, cum quo perfecta vnione eminenti, vnita est.

Nota denique, quòd præsentes gradus mysticæ caliginis figurantur *Exod. cap.* 20. & 24. Vbi Moyses dicitur ascendisse in montem, quo significatur contemplatio negationis perfecta: per quam conuertitur mens ad radium lucis caliginosæ: *Postea* dicitur intrâsse caliginem, quo significatur contemplatio pura: per quam ingreditur mens in caliginem diuinam. *Deinde* dicitur locutus fuisse cum Deo in ipsa nebula, & gloriam diuinam vidisse; quo notatur contemplatio caliginosa: per quam habitat mens in diuina caligine. *Tandem* dicitur Moyses fuisse vocatus à Deo, ad accessum viciniorem in ipsa caligine, in signũ scilicet admissionis ad maiorem familiaritatem, quo notatur contemplatio huius viæ altissima: per quam gignitur in mente supereminens quædam & clarissima notitia Dei ac diuinorum, & affectio principalis arctissimè & perfectissimè Deo coniungitur, ac in Deum transformatur.

Dicendum quintò, quòd sicut in contemplatione ascetica intuetur mens Deũ, secundum modum sibi connaturalem, vsitatum & ordinarium, per species consideratione à creaturis abstractas, seu cum conuersione sui ad phantasmata. Ita in contemplatione mystica,

intuetur mens Deum modo ſupernaturali, extraordinario ac inuſitato, *vt potè*, abſq; imaginationis cooperatione, per ſolas duntaxat ſpecies infuſas ac purè ſpirituales: *vel aliàs*, per ſimilitudines deiformes, quæ nullam habent à formis creaturarum dependentiã, aut cum ſimilitudinibus earum connexionem. *Vnde*, mens addicta contemplationi affirmationis, intuetur ſimpliciter ac videt Deum, omnia eſſe creaturarum eminenter: contemplationi verò exceſſûs intenta, ſimpliciter intuetur (iam nimirum cum debiliori cooperatione imaginationis, quàm priùs) ac videt Deum, ſupra omnia eſſe creaturarum: contemplationi tandem negationis aſſiſtens, ſimpliciter intuetur (cum conuerſione adhuc ad phantaſmata, ſed non niſi tenuiſſima) ac videt Deum, nihil eſſe creaturarum. *Verùm* in puram, caliginoſam & ſupereminentem contemplationem diuinitùs mens eleuata, videt Deum purè iam & intuitiuè: purè quidem, quia ſine vlla conuerſione ſui ad impuritatẽ phantaſmatum: intuitiuè autem, quia facie ad faciem, iuxta illud *Gen.* 32. Vidi Dominũ facie ad faciem. *Sed nota*, quòd videre Deum facie ad faciem, multipliciter intelligi poteſt.

Primò, viſio faciei Domini, ſeu, viſio Dei facialis, illa eſt, quæ propriè loquendo, dicit intuitionem Dei claram & diſtinctam, in ſuo eſſe eſſentiali, reali, & naturali: qualem credimus eſſe in patria cæleſtis gloriæ. *Secundò*, illa

illa est, quæ similiter dicit claram & distinctam intuitionem Dei, sed non nisi transitoriam, non verò permanentem: qualẽ S Paulus habuisse fertur, dum fuisset raptus ad cælum tertium. *Tertiò*, Visio Dei facialis illa est, quæ dicit intuitionem seu cognitionem Dei, per formatas cælitus & obiectas aliquas figuras, vel nimirum sensibiles vel imaginarias; secundum aliquam similitudinem mundanam, diuinum aliquod repræsentantes: quo scilicet modo, dicit se Iacob Deum vidisse facie ad faciem, non in essentia eius Diuina, sed solùm in figura, in qua repræsentabatur Deus: quod ipsum ad quandam prophetiæ eminentiam pertinet, vt videatur persona Dei loquentis, vel Deus ipse loquens, licet per imaginariam visionem. *Quartò*, Visio faciei Domini illa est, quæ dicit eminentiam quandam actualis cognitionis Dei, supra communem statum: per quam designatur mysticorum, tam intuitio intellectualis, quàm notitia affectiua & experimentalis.

Vnde est, quòd duo habentur genera cognitionis seu visionis mysticæ, quæ aliàs distinguuntur in suas species, secundum differentiã trium statuum seu graduum, aut specierum, mysticæ contemplationis. *Primi* generis cognitio Dei, dicitur visio in caligine: *secundi* verò, dicitur visio sine visione: quæ quidem visiones, licet non raro apud mysticos confundantur, ac pro eodem accipi videantur; tamen sic distingui possunt.

Visio

Visio enim in caligine illa est, in qua datur videri Deus per similitudinem deiformem, vtpotè, speciei spiritualis diuinitùs immissæ: quæ sicut per sensuum portas non ingreditur, ita nec è rebus sensibilibus educitur; nec ex formis imaginatis resultat; nec ex formis præhabitis, intellectui connaturalibus componitur, sed cælitùs infunditur: vt Deum perfectè, clarè, & accuratè repræsentet, non quidem *Quid est*, nam hic modus videndi seu cognoscendi Deum, alienus est à viatoribus; sed *Quia est*, per appropinquitatem grandem ad notitiam quidditatis, quæ est in patria. *Vnde*, intuitio seu cognitio aut visio Dei ac diuinorum mystica, propriè loquendo, non potest dici clara & intuitiua: si nimirum per intuitiuam & claram intelligatur, quâ Deus in suo esse reali ac essentiali cognoscitur: nisi aliàs clara ac intuitiua cognitio laxiùs sumatur, pro ea scilicet, quâ obiectiuè supra communem statum Deus cognoscitur, quo ad essentialia seu propria sibi, quamuis non distinctè, secundum quod in se ipso est: hoc iam modo, cognitio ac visio mystica, dicitur clara ac intuitiua.

Visio sine visione illa est, in quâ Deus præsentiam suam sic menti contemplatiuæ exhibet, vt faciem suam minime ostendat: dulcorem suum infundit, sed decorem suum abscondit: immittit suauitatem, sed non manifestat claritatem: suauitatem sui facit sentiri, sed speciem

speciem sui non dat intueri: quia adhuc nubes & caligo in circuitu eius: & thronus eius adhuc in columna nubis. Vnde habetur præsens visio Dei, quando nimirum vis intellectiua, supra modum ordinarium eleuata, ex affectu præcedente cognoscit, & non è conuerso: *vel alias*, ex mysticâ diuinorum prægustatione, iuxta illud *Psal.* 33. Gustate & videte: quoniam suauis est Dominus.

Dicendum sextò, quod sicut ignem accensum tria promouent, quæ insunt ei naturaliter, *vtporè*, lux, ardor, & flamma: ignis enim in subiectam agens materiam, quo magis ardorem suum diffundit, eo magis lucet, ac magis in flammâ erigitur; & quo magis lucem suam spargit, eo magis ardet, ac sursum per flammam ascendit; & quo magis in flamma eleuatur, eo magis ardet ac lucet. Ita contemplationem spiritualium nascentem tria perficiunt, magisque ac magis eleuant & purificant, vtpotè, lux cognitionis, seu visionis ac intuitionis diuinorum; ardor intensæ amationis; & flamma suspensæ admirationis: mens enim contemplatiua, quo magis amore diuino incalescit ac inardescit, eo simplicius (*vt* fit in contemplatione ordinaria) vel purius (*vt* fit in contemplatione extraordinaria) Deum ac diuina cognoscit & intuetur; & quo simpliciùs aut puriùs cognoscit ac intuetur, eo magis admiratur; & quo magis admiratur, eo reuerentiùs & vehementiùs amat, cum gau-
dio

dio scilicet maiori & exultatione. *Nota*, quod præsens suspensa admiratio, per quam etiam suo loco definita est contemplatio, non aliud significat, quàm vehementem ad diuina attentionem, perfecto reuerentiali timore instructam: vt enim flamma, nunc se extra se, vel se supra se iactat; nunc deinde se intra se colligit: sic mens admiratione suspensa, nunc se supra se leuat diuinis intendens; nunc iterum coram Deo se in se colligit, sua scilicet ac seipsam contemnens & despiciens.

Dicendum septimò, quod etiam inuenire est quandam contemplationem pseudomysticam, quæ sicut habet fundamentum amorem proprium, & consequenter ignorationem sui ac diuinorum: quia proprius amor, excæcat mentem falsum lumen ei exhibendo, ac subtituendo, principiorum videlicet sapientiæ carnis ac mundi. Ita etiam per eundem proprium amorem, suique ac diuinorum ignorationem promouetur· & in eundem amorem eandemque ignorationem terminatur, donec hominem sibi addictum faciat alta sapere, inspirationibus humilitatis dissentire; in suis iniurijs impatientem esse; multum de quâdam suâ scientiâ & pietate gloriari; præsumptuosè alios iudicare, condemnare, ac despicere, propter eorum aliquos defectus; sequi non ipsam virtutem, sed illius vmbram; honores ambire ac venari, ac tandem in aperta grauia peccata ruere. Hoc genus contempla-

templationis detestatus est aliquando Thomas à Kempis dicens *lib. 2. de imit. Christi. cap.* 10. Nolo consolationem, quæ mihi aufert compunctionem; nec affecto contemplationem, quæ ducit in elationem: non enim omne altum, sanctum; nec omne desiderium, purum; nec omne dulce, bonum; nec omne charum, Deo gratum. Libenter accepto gratiam, vnde humilior & timoratior inueniar, atque ad relinquendum me paratior fiam.

Hinc nota duplicem esse ignorationem sui, ac Dei & diuinorum: *aliam videlicet* communem, quæ est secundum priuationem cognitionis; *aliam* mysticam, quæ est secundum superlationem. Ignoratio mystica, propria est spiritualium, qui Deum non ignorando ignorant, cognoscendo non cognoscunt, videndo non vident. Nam spirituales, eo maiorem se dicunt habere ignorationem sui ac diuinorum, quò ad maiorem eleuantur cognitionem: quia scilicet, non percipiunt ibi Deum & semetipsos tantopere, vt iam omnino conquiescant: *vel* quia, sicut ibi Deum intelligunt, cognoscunt, ac vident, omnino esse infinitum & incomprehensibilem, ratione suarum perfectionum; ita etiam secundū proprias imperfectiones, animaduertunt se esse infinitos & incomprehensibiles. Ignoratio verò, quæ est secundum priuationem cognitionis, propria est pseudomysticorum, hypocritarum & similium, qui semetipsos, Deū

ac

ac diuina ignorando, putant se non ignorare, & nesciendo dicunt se scire, & non intelligendo iactant se intelligere: quia nimirum latet eos quod omni intelligentiâ spirituali, si quã aliquando habuerant, sese priuauerint, *tum* puta per actionis bonæ omissionem, *tum* per contrariã intellectioni rectæ operationẽ, *tum denique* per fallaci spiritui assensionem.

DISTINCTIO II.

De notitijs virium appetitiuarum.

ARTICVLVS I.

De amore in communi.

DIcendum est primò, quòd amor in palæstra ascetarum sumitur *tripliciter*, strictè nimirum, latè. & latissimè. Amor *latissimè* ac largissimè acceptus, significat omnem passionem & affectionem, tam scilicet, quâ voluntas afficitur ad bonum & ad malum; quàm quâ commouetur contra bonum & contra malum. Vnde S. Aug. *lib.* 14. *de Ciuit. Dei. cap.* 7. Recta voluntas, est bonus amor: & voluntas peruersa, malus amor. Amor ergo inhians habere, cupiditas est: idem autem habens, eoque fruens, lætitia est: fugiens quod ei aduersatur, timor est: idque si acciderit sentienti, tristitia est. Proinde mala sunt ista, si malus est amor: bona, si bonus. Idem *lib.* 14. *de Trinit.* Rectus amor, omnes affectiones animæ rectas habet: metuit enim peccare, cupit perseuerare, dolet in peccatis, gaudet in ope-

operibus bonis. *In hoc sensu*, ipse Dominus, Mariæ Magdalenæ detestationem peccatorũ, dolorem & contritionem, vocauit amorem, dicens *Luc.* 7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Amor latè ac *largè* sumptus, vel alias genericè acceptus, significat omnem affectionem boni: quæ sicut in amore includitur, ita etiam ex eo proficiscitur. Vt est, spes futuri boni, desiderium absentis boni, gaudium ac delectatio in præsenti bono. Amor strictè ac *specifice* sumptus, est actus voluntatis, quo amans vult alicui bonũ absolutè æstimatum, *id est*, consideratum secundum se, non attentâ ratione futuri & præsentis: atque ita amor distinguitur à spe, desiderio, & gaudio.

Dicendum secundò, quòd amor, dilectio & charitas, *aliquando* diuersa sunt, *aliquando* eadem. Diuersa significant hoc modo: nam amor, est affectio naturalis; animalibus, hominibus & Angelis communis: dilectio verò, est affectio, non nisi hominibus & Angelis vsitata: quia dilectio, quasi ex diuersis electionem notat, *id est*, actum deliberatæ voluntatis, qui solis competit rationalibus ac intellectualibus creaturis, tam scilicet iustis quam iniustis: charitas autem solis conuenit iustis, quibus nimirum carissimus ac pretiosissimus est Deus. *Vnde*, secundum præscripta, idem est charitas, quod amor & dilectio: sed non idem amor & dilectio, quod charitas. Eadem

dem-

deinde ſignificant, quia in ſacris literis pro eodem ſumuntur. Vt patet *Eccl.* 13. Omne animal diligit ſimile ſibi. Et *Ioan.* 15. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Et, 16. Ipſe Pater amat vos, quia vos me amâſtis. Et 1. *Petr.* 1. Animas veſtras iuſtificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, ſimplici ex corde inuicem diligite.

Hoc ipſum etiam patet ex eorum definitionibus ethymologicis: Amor enim, eſt quaſi vinculum animorum, nam diuerſi animi vnũ fiunt per amorem: Dilectio, eſt quaſi duorum ligatio, ſociat enim dilectio vnum cum altero, vt mutuo ſe diligant. Et charitas, eſt quaſi chara (amantis videlicet cum amato) vnitas. *Hinc eſt*, quòd myſtici in ſuis ſermonibus, ſine aliquo diſcrimine his vocabulis vti ſolent: imò ſi aliquando vehementiam affectionis exprimere volunt, citiùs vtuntur vocabulo amoris, quàm charitatis aut dilectionis.

ARTICVLVS II.

De amore Dei, appetitus infimi ſeu ſenſitiui.

AMor infimi appetitus, quo Deus diligitur ab anima rationali non ſicut ſufficit, *vel alias*, non vt oportet, ſequitur apprehenſionem ſenſuum inferiorum, & iudicium inferioris rationis; qui iuxta ſuum triplex obiectum, quod in Deo reperit (*vt eſt*, bonum in præſenti vtile, delectabile, & honorabile) tripliciter diuiditur: in amorem *ſcilicet* natura-

turalem, animalem & rationalem. Amor naturalis dupliciter consideratur, *genericè* nimirum & *specificè*. Acceptus *genericè*, omnem significat amorem Dei, quem vis elicit naturalis, solo scilicet generali auxilio suffulta: quo pacto, præsens amor est superius quid, amori animali & rationali huius loci, tanquam genus suis speciebus. Acceptus verò *specificè* amor naturalis, significat vnum quid è tribus membris sub eodem genere: atque ille est, quo Deus ab anima rationali diligitur, causâ propriæ vtilitatis: tria enim sunt in infimâ portione animæ rationalis, sensualitas videlicet, natura, & ratio inferior, quorum singula, respiciunt propria sua obiecta: *sensualitas* quidem quærit in Deo, bonum delectabile; *natura*, bonum vtile; *ratio inferior*, bonum honorabile.

Porro, amor naturalis secundo modo consideratus, diuiditur in amorem amicitiæ & concupiscentiæ. *Vnde* secundum amicitiam amore naturali, diligitur Deus ab hominibus, propter se, vt nimirum est principium & finis naturalis; & supra omnia; *id est*, magis ac priùs quàm cætera, quæ reputantur esse minoris dignitatis, valoris, necessitatis & vtilitatis: sicuti videlicet, magis etiam & priùs diligitur caput, quàm cætera membra eiusdem corporis, quæ non rarò pro capite exponuntur: aut sicuti magis & priùs diligitur Princeps, Rex, Dux, ita vt pro illo non pauci milites

lites mortis se periculo tradant. Imò *quoque*, hoc amore potest diligi Deus, propter se & supra omnia, tanquam principium & finis supernaturalis, sed non sicut sufficit, ob defectum *videlicet*, aut fidei, aut iustitiæ. Secundum verò concupiscentiam hoc amore diligitur Deus propter bona temporalia, aut iam accepta, aut accipienda: imo & propter supernaturalia, sed etiam non sicut sufficit, ob eundem defectum, aut nimirum fidei aut iustitiæ.

Amore animali vel aliàs sensuali & carnali Deum diligere perhibentur, qui nimirum suã quærunt in eo principaliter delectationem, ab experientiâ sensibilis deuotionis venientem, *vtpotè*, in partem eorum animalem, quam solam afficit & exhilârat. De hac specie amoris sic ait Richardus *in Cant. cap. 6.* Dulcis in Deum affectus, quodammodo carnalis & fallax est, & humanitatis interdum potiùs quam gratiæ, cordis quàm spiritus, sensualitatis quàm rationis: ita vt magis accendat aliquando ad minus bonum, & minùs ad maius; & ad aliquid quod sapit ampliùs, quàm quòd expedit. Hoc affectu errabant discipuli, & carnaliter Dominum diligebant, cuius præsentia carere nolebant: vnde etiam non diligere arguebantur, qui quod delectaret magis, quàm quod expediret, amplectebantur. Sic affectuosè interdum carnalis aliquis & imperfectus ad Deum afficitur, non quòd valde

diligat, sed quod dulcedinem gratiæ deguftet, quæ quantum durat, tantùm iuuat; quamdiu durat dulcedo, durat & dilectio: sed non agnoscitur in bonis amicus, in die namque ista Dominus quidem misericordiam mandat, sed in nocte tentationum & laborum, in præceptis declarat, quantum quisq; diligat. *hac ille.*

Amor rationalis huius infimi appetitus, ille est, quo diligitur Deus, maximè propter bonum honorabile, seu propter honestum, quod ex obsequio huiusmodi nasci concipitur. Verùm hic modus amandi Deum non sufficit etiam ad salutem: tum quia amans in hoc amore proprium honorem, diuino præfert honori, vel saltim æquè suum ac ipsius Dei facit honorem; quod si pluris æstimat diuinum aliquando, sed non stabiliter: *tum* quia de Deo ac diuinis, humanè ac mundanè sentit & iudicat, ita vt etiam eius leges æternas, non nisi secundum regulas & principia iuris legum humanarum ac mundanarum, & secundum instinctum proprij spiritus ac iudicij moduletur. Amore tamen isto concitatus homo, summo semper affectu, sed non nisi naturali (*id est*, solis naturæ viribus elicito) veneratur Deum, sicuti etiam Principem ac Regem suum. *Item*, ex eodem affectu, fugit quæuis grauia & publica peccata, quibus Deus offenditur & proximus scandalizatur, quemadmodum etiam fugit palàm peccare in Principem ac in eius intimos. *Item*, crimina

sua

sua detestatur ac deflet, quibus scit se Deum offendisse; sicut etiam detestaretur ac defleret offensam patris, principis, &c. *Item*, ex eodẽ affectu plurima operatur bona, *vtpotè*, exstruit templa, cœnobia, altaria, hospitalia, & multas largitur eleemosynas: sicut etiam aliquando plurimos sumptus expendere paratus est, causâ amici, principis, & honoris sui promouendi aut defendendi. *Item*, ex isto affectu, multa præcepta Dei seruat, quamuis non omnia, Ecclesiæ obedit, cultum Dei & pietatem in alijs promouet, Deum feruenter orat, gaudet de ipsius gloria & perfectionibus: quemadmodum etiam gaudere solet de bonis amici sui, Principis, patris, & similium. *Tandem* homo motus isto affectu, ob defensionem fidei orthodoxæ, non solùm bona sua, verùm etiam vitam ipsam exponere paratus est: sicuti etiam idipsum faceret ob defensionem Reipublicæ, ac patriæ. Hæc omnia passim fieri ab hæreticis & quibusuis infidelibus, frigidisque Catholicis, quis non videat? *Hinc* patet, quòd quilibet amor præsentis infimi appetitus, quamuis moraliter sit bonus, & aliquâ temporali remuneratione dignus; non est tamen gratuitus seu gratiosus, *idest*, Deò gratus, hominique ad vitam æternam meritorius: quia non prouenit ex charitate. Vnde S. Paulus 1. *Cor*. 13. sic ait. Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut

cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiã, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

Articvlvs III.

De amore Dei appetitus medij seu rationalis.

DIcendum est primò, quòd amor, quo Deus diligitur sicut sufficit, seu vt oportet, gratuitus est, aut gratiosus ac supernaturalis: *tum* quia sequitur apprehensionem seu cognitionem rationis superioris, cuius natura est, negotiari ac meditari in lege Diuina, supernaturaliter (*id est*, per cælestem reuelationem) accepta; & gubernare ac ordinare secundum illius præscriptum actiones & operationes humanas: *tum* quia pro obiecto ac termino habet Deum, vt est creaturæ rationalis principium & finis supernaturalis: *tum* quia hoc amore diligitur Deus à suis fidelibus supernaturaliter. *id est*, supra omnia bona naturalia. *Vtpote*, supra propriam excellentiam, possessionem & voluptatem, ac etiam supra propriam voluntatem & vitam: *tum* quia præsens amor, idem est quod charitas supernaturaliter data. *id est*, cælitùs infusa. Vt autem amor iste supernaturalis pugnans est, ad

præsen-

præsentem pertinet appetitum rationalem: vt verò quiescens, ad appetitum superrationalem spectat. Amor supernaturalis, aliàs gratuitus (*id est*, Deo gratus ac homini meritorius) dicitur *pugnans*, dum adhuc bellum gerit cum tentationibus Diaboli, mundi & carnis; profectumque continuum facit in virtutibus asceticis, quibus cuncta expugnat vitia: *quiescens* verò dicitur, quando iam non nisi seipsum exercens, quietus ac immotus viuit in Deo; & omnes virtutes, quas in esse acquisito habet, solo cælesti pabulo quo ipse alitur in Deo, pascit ac nutrit perpetuò.

Dicendum secundò, quòd amor Dei supernaturalis, vt pugnans, diuiditur in amorem concupiscentiæ & amicitiæ. Amor *concupiscentia*, est actus, quo diligitur Deus propter bona æterna, seu propter æternam remunerationem, iuxta illud *Ps.* 118. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem. Et *Matt.* 19. Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te: quid ergo erit nobis? Hic autem amor concupiscentiæ, *vel* est absolutus, *vel* conditinatus. Absolutus ille est, quo quis diligendo Deum propter æternam remunerationem, nullum alium supponit actum in sua voluntate, volendi aut nolendi: quo scilicet existente, diligeret Deum; & non existente, non diligeret. Talis amor, est gratuitus cum sacramento fidei, & post sacramentum; sed

non ante sacramentum, sicut & attritio. Conditionatus talis est, quo quis diligit Deum propter bona æterna, quem alias diligere nollet, si sciret se ab eo illa non recepturum. Talis amor nunquam est gratuitus, vel aliàs gratiosus, tanquam sine concursu gratiæ specialis elicitus: verùm gratuitus esset, adhuc ante susceptionem sacramenti, sicut & contritio, si quis diligeret Deum propter eadem bona æterna, quem aliàs diligere vellet, tanquam summum bonum, quamuis sciret se ab eo illa non recepturum: quia iam diceretur initialis (*id est*, amoris amicitiæ initium) duas habens intentiones, *unam* maioris intensionis, quâ tendat in Deum propter bona æterna; *alteram* maioris appretiationis, quâ tendat in Deum propter ipsum Deum.

Amor amicitiæ, est actus, quo diligitur Deus propter seipsum, absq; relatione ac respectu ad æternam remunerationem. Vnde S. Bern. *supra illa verba* 1. *Cor.* 13. Charitas non quærit quæ sua sunt. *tract. de dilig. Deo*, sic ait. Non sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmij intuitu diligendus sit: vacua namque charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est, quippe non quærit quæ sua sunt: affectus est non contractus: verus amor præmium non requirit, sed meretur. Item in illud *Ps.* 117. Confitemini Domino, quoniam bonus, *inquit*, Qui Domino confitetur: non quia sibi bonus est, sed quia bonus est, diligit

ligit Deum propter Deum, & non propter seipsum.

Dicendum tertiò, quòd amor amicitiæ, diuiditur in amorem afficientem & efficientem. Amor *afficiens*, vel aliàs amor affectus, quo erga Deum beneuoli reddimur, seu benè afficimur, bonoq; sumus affectu, tres habet gradus prosecutionis seu extensionis, quantum ad actus; & alios tres intensionis, quantum ad habitum. *Primus* gradus amoris afficientis secundum prosecutionem habetur, quando quis affectu eleuato ac intenso vult Deo bonum conueniens, vt absolutè & in communi apprehensum. *id est*, consideratum sine limitatione ad hoc vel illud, ad præsens vel futurum, ad habitum vel non habitum, ad essentiale vel accidentale. Per bonum autem Dei essentiale vel aliàs intrinsecum, intelligitur eius incomprehensibilitas, immensitas, infinitas, immutabilitas, simplicitas, bonitas, &c. Per bonum verò Dei accidentale seu extrinsecum, intelliguntur quæuis iustificationes sanctorum militantis ac triumphantis Ecclesiæ. *Vt sunt* orationes, obeditiones, humiliationes, mortificationes, gratiarum actiones, oblationes, adorationes, benedictiones, &c. *Secundus* gradus est, quando quis affectu eleuato ac intenso vult Deo bonum essentiale & accidentale, vt absens apprehensum. Non potest autem aliquis velle Deo bonum essentiale vt absens apprehensum, nisi per quandam

suppositionem. *Vt, exempli causâ*, cùm in oratione mentali intimo affectu erga Deum concitatus, vellet ac cuperet illi dare omnes quas habet intrinsecas perfectiones, si aliàs. quod est impossibile non haberet illas, & illæ in manu sua positæ essent. Sed bonum accidentale vt absens consideratum, possumus Deo velle absolutè. Volumus autem, quando intimo affectu desideramus, vt ipsi ab omnibus hominibus perfectè seruiatur; & ea omnia quæ illi à peccatoribus & quibusuis infidelibus debentur, fideliter rependantur. *Tertius* gradus est, quando quis intimo affectu vult Deo bonum intrinsecum & extrinsecum, vt præsens apprehensum. Hoc autem fit, cùm de bonis illius, tam essentialibus quàm accidentalibus, quæ habet lætamur, gaudemus, iubilamus & exultamus: ac inde profundâ reuerentia eum adoramus, laudamus, benedicimus, &c. iuxta illud *Apoc* 5. Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Cumque omnem creaturam, ad laudandum eum, adorandum, & benedicendum intimo affectu inuitamus, iuxta illud *Dan.* 3. Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula, &c. Et *Ps.* 148. Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis, &c. Cùm denique nobisipsis gratulamur, quòd tam incomprehensibilis & amabilis

Domi-

Domini beneplacito conformemur: & consimilibus in Deo delectamur affectibus, qui plerumq; in aliquam arcanam vnionem cum Deo desinere solent.

Deinde, primus gradus amoris affectus seu amoris afficientis secundum habitûs intensionem in aliquo probatur esse: si nimirum in feruore eiusdem amoris affectus tempore cuiuscunque tentationis & probationis, prosperitatis & aduersitatis, consolationis & desolationis, non tepescit: nec tempore extrouersionis asceticæ ad aliqua exercitia vitæ actiuæ, in eo spiritus deuotionis extinguitur aut minuitur. *Secundus*, si eodem tempore, magis ac magis proficit, tam in feruore eiusdé amoris affectus, quàm in spiritu deuotionis ac in studio mentalis orationis. *Tertius* gradus amoris afficientis secundum sui habitus intensionem, iam ad superrationalem appetitum spectat: quia compositis ac pacificatis omnibus animæ rationalis viribus, & in vnitate spiritus constitutis, ac eidem spiritui vnitis, nec non quibuscunque in se consumptis sui dissimilitudinibus; totaliter se suo feruore in ipsum transfert Deum, in quo quietus & immotus viuat ac nutriatur.

Amor efficiens, vel alias amor effectus, qui animam rationalem reddit Deo fidelem, & impellit ad omne beneplacitum eius efficaciter & constanter exequendum, quæcunque contra ingruat tentatio, tres etiam habet gra-

dus prosecutionis seu extensionis suorum actuum, & alios tres intensionis sui habitus. *Primus* gradus amoris efficientis secundum prosecutionem est, quando quis omne malum spirituale ac Deo abominabile, æternâ voluntate fugit ac detestatur propter ipsum Deum, iuxta illud *Psal* 96. Qui diligitis Deum, odite malum. Et *Psal.* 118. Iniquitatem odio habui & abominatus sum, legem autem tuam dilexi. *Secundus* est, quando quis toto corde bonum operatur propter solum Deum, iuxta eius legis, præcepti, & consilij præscriptum. Vnde est illud *Ioan.* 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: qui non diligit me, sermones meos non seruat. Et 1. *Ioan.* 2. Qui dicit se nôsse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est: qui autem seruat verbum eius, in hoc charitas perfecta est. *Tertius* est, quando quis omnia aduersa, quæ in hâc occurrunt vitâ, æquo tolerat animo, propter Deum & Christi Domini imitationem, iuxta illud *Psal.* 16. Propter verba labiorum tuorum, ego custodiui vias duras. Et 1. *Corin.* 13. Charitas patiens est. Charitas omnia suffert, omnia sustinet.

Item, *Primus* gradus amoris efficientis secundum sui habitus intensionem est, quando quis tres illius modò primum positos prosecutionis gradus, habet in efficaci electione (iuxta illud *Psal.* 118. Viam veritatis elegi: iudicia tua non sum oblitus,) per quam om-

nis

nis labor, difficultas, tentatio, & quodcunq; aduersatur vitæ spirituali, frangitur & superatur. *Hic amor*, proprius est incipientium vitam spirituale: vnde etiam secundũ spiritualium denominationem, dicitur incipiens, nascens, puerilis ac debilis; non quod faciliter in tentatione deficiat, sed quod non nisi cum graui labore & magna difficultate peccata mortalia caueat, bona operetur & aduersa patiatur, ob vehementes motus sensualitatis crebrò insurgentes ac legi mentis contradicentes. *Secundus* est, quando quis eosdem gradus prosecutionis habet in effectu. *id est*, in facili executione, iuxta illud *D. Bernardi*. Subitò procedenti de vmbra ad solem, de otio ad laborem, graue cernitur omne quod incipit: sed cùm his desuescere, & ad illa se paulisper assuescere cœperit: vsus tollit difficultatem, inuenitque facile esse, quod difficile ante putauit. Vnde *S. Hieronimus*. Nihil amantibus durum, nullus difficilis labor: amemus & nos Christum, & facile videbitur, omne difficile. *Hic amor*, proprius est proficientium in vita spirituali: vnde etiam secundũ spiritualium denominationẽ, dici solet proficiens, adolescens & roboratus, eo quod facilè vincat singula peccata mortalia, quamuis venialia non item, ob aliquam in præsentibus complacentiam; & quòd facile bonum operetur, & aduersum patiatur propter Christi imitationem. *Tertius est*, quando quis e-

osdem gradus prosecutionis habet in affectu: habet autem, si labor ille, qui prius fuit alicui grauis & difficilis in vincendis peccatis, in bonis faciendis, & in aduersis tolerandis; & posterius fuit leuis & facilis; modò iam efficitur illi suauis ac delectabilis, iuxta illud *Psal.* 118. In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs. Et *D. Bern.* Onus meum vix est vnius horæ; & si plùs, non sentio præ amore. *Hic amor*, proprius est perfectorum: vnde etiam dicitur perfectus, virilis, adultus, ac sedatus: sed iam ad superrationalem appetitum spectat, tanquam in solo Deo quiescens ac viuens.

Hinc nota, quod aliquis incipiens, potest nonnunquam habere actualem charitatem magis intensam quàm perfectus, qui tamen non censetur habitualiter esse perfectus. Et quòd (vt ait D. Bonau. *lib.* 2. *de prof. relig. cap.* 22.) nemo in hac vita, vel perfectè apicem charitatis, aut cuiusuis alterius virtutis apprehendere valet; vel stabiliter in summo gradu semper manere: sed pro modo vitæ perfectus quis dicitur respectu inferiorum. Et quod, sicut perfecti (iuxta effatum commune spiritualium) non raro participant de imperfectionibus incipientium, ex corruptione naturæ ac Diuina permissione, vt habeant vnde humilienter: ita etiam incipientes ex peculiari dono Dei, aliquos perfectorum eliciunt actus, & nonnullas experiuntur delicias, vt eo

ipso

ipſo permoueantur ad maiorem Dei dilectionem.

Dicendum quartò, quod in palæſtra ſpiritualium, amor afficiens, idem eſt quod amor fruitiuus; & amor efficiens, idem quod practicus: quorum alter intuetur Amatum, & ei adſtringit amantem; alter intuetur voluntatem Amati, & ei conformat voluntatem amantis. *Vnde* talis quodammodo differentia inter amorem practicum & fruitiuum dari poteſt, qualis eſt inter vti & frui, inter operationem & actionem, inter intellectionem abſtractiuam & intellectionem intuitiuam. *Primò*, Vti, iuxta communem acceptionem non aliud eſt, quàm vſum habere alicuius rei, ob neceſſitatem propriam: Frui verò, eſt ex re quâ vtimur delectationem capere. Vnde fieri poteſt, vt eâdem re vnus vtatur, & alter fruatur. *Vt*, ſi tempore caloris æſtiui, duo frigidâ aquâ manus lauent, alter vt abluat ſordes, alter vt frigiditate oblectetur. Sed iuxta acceptionem Theologorum, *Frui*, eſt alicui rei amore inhærere propter ſeipſam, cum voluptate. *Vel alias*, eſt rem aliquam propter ipſammet diligere, ac de eâ gaudere, in eâque conquieſcere ſeu quietari. *Vti verò* eſt id, quod in vſum venerit, referre ad obtinendum illud, quo fruendum eſt. *Vel item*, eſt rem aliquam diligere, & complacere ſibi in eâ relatiuè propter aliquid aliud ab eâ diuerſum. Res autem quibus eſt fruendum, puta eſſe De-

um vnum essentialiter, ac Trinum personaliter, & Christi eius felicitatem: res verò quibus est vtendum, puta esse præcepta ac voluntatem Dei; passionem, consilia, & doctrinam Christi; sacramenta fidei, ac tandem quæuis bona præsentis sæculi. Iam igitur fruimur Deo, quando inhæremus ei amore nostrò propter ipsummet, cum voluptate gaudioque spirituali. *Vel alias*, quando diligimus eum propter seipsum, ac in eo quiescimus seu quietamur. *Item*, fruimur Christo Deo, quando ex amore erga ipsum concepto, gaudemus de ipsius perfectionibus, gloria & felicitate, ac si nihil aliud esset de quo gauderemus. Vtimur verò præceptis Dei, quando illa obseruamus: vtimur voluntate Dei, quando illi voluntatē nostram conformamus: vtimur passione Christi, quando illam meditamur ad reamandum & imitandum ipsum Christum, nec non ad compatiendum & gratias illi agendum: vtimur consilijs Christi, quando illis obtemperamus; doctrinâ verò, quando secundum illam viuimus: vtimur sacramentis fidei, quando illa humiliter & deuotè suscipimus: denique vtimur bonis huius mundi, quando illis semper præponimus bona cælestia, ac per illa hæc nobis comparamus. *Ex his* iam inferendum est, quòd amor *fruitiuus* non aliud significat, quàm dilectionem, quâ spiritus noster inhæret Deo propter ipsummet, quamque comitatur spiritualis voluptas & quietatio,

Vel,

Vel, quæ eſt, ipſa ſpiritualis voluptas & quietatio. Amor verò *practicus* idem eſt, quod dilectio Dei, quâ ſpiritus noſter impellitur ad omne, quod Deo placitũ eſſe poteſt, vt fruatur ipſo Deo, Chriſtique eius felicitate.

Secundò, operatio ſpiritus idem eſt, quod extenſio ac tentio ſpiritualium potentiarum in obiectum, ac in ipſius obiecti cognitionem & amationem. Actio verò ſeu Actus idem eſt, quod ipſa obiecti cognitio & amatio, quietans potentiam ſpiritualem à qua elicitur. *Vnde eſt*, quod amor *practicus* ille dicitur, qui ſuâ operatione tendit per media & intermedia in Deum tanquam in vltimum finem, vt illo fruatur. Amor verò *fruitiuus* ille eſt, qui ſuperatis iam huiuſmodi medijs & intermedijs, actualiter inhæret Deo, in ipſoque ſuauiter conquieſcit.

Media autem huiuſmodi puta eſſe, æternã peccatorum abrenunciationem, reſiſtentiam tentationum perſeuerantem, mortificationẽ carnis cum eius vitijs & concupiſcentijs ſtabilem, abnegationem ſui (*id eſt*, proprij amoris, proprij iudicij & propriæ voluntatis) perpetuam, continuum virtutum exercitium, ſincerum moriendi omni inordinationi deſiderium, & compunctionis ac deuotionis ſenſionẽ. Intermedia *verò* puta eſſe, naturalem quamdam affectus charitatis, compunctionis ac deuotionis refrigerationem: erga Deum intimæ confidentiæ remiſſionem, ſpiritus aridita-

tem

tem aliquomodo culpabilem, mentis inutilem aliquam extrouersionem, conscientiæ vitio scrupulorum vanam perturbationem, & claritatis ac securitatis spiritualis aliquibus perplexitatibus importunis obscurationem & inquietationem.

Tertiò, Intellectio diuinorum abstractiua, eo modo differt ab intellectione diuinorum intuitiua, quo etiam in parte sensitiua actus imaginationis differt ab actu visus. Intellectione *abstractiuâ*, intelliguntur absentia: intellectione verò *intuitiuâ*, præsentia. *Hinc est*, quod intellectioni diuinorum abstractiuæ, correspondet amor practicus, per quem voluntas exquisitionibus suis aut operationibus (quas puta esse, illius electiones, desiderationes, sperationes, &c.) versus Deum tanquã sibi absentem sese extendit, iuxta illud *Ps.* 76. In die tribulationis meæ, Deum exquisiui, manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus. Intellectioni verò intuitiuæ, quæ alias visio intellectualis dicitur, correspondet amor fruitiuus, per quem voluntas in Deum extenditur tanquam sibi præsentem, ac ex illius præsentia mirificè delectatur.

ARTICVLVS IV.

De amore Dei, appetitus supremi seu superrationalis.

DIcendum est primò, quòd amor amicitiæ vt quiescens, habitualiter nimirum & actua-

ctualiter, ad hunc superrationalem spectans appetitum (nam idem amor vt pugnans, appetitus rationalis proprius, est etiam aliquando quiescens, sed non nisi actualiter ac transeunter) iterum dicitur practicus & fruitiuus, comparatione videlicet ad officia diuersa, quæ exercet. Contemplatiuus enim verus, qui Deum amat perfecto, solido, ac feruenti amore amicitiæ, plurimis nimirum tentationibus, vexationibus, aduersitatibus & prosperitatibus probato, ac multarum exercitatione virtutum confirmato: is erga Deum continuo gerit cor suauiter affectum, & validâ conuersione seu adhæsione illi adglutinatũ & coadunatum: ac inde paratum se sentit, vt voluntatem eius Diuinam semper in omnibus faciat ac patiatur. *Vnde* præsens amor, fruitiuus dicitur, respectu prioris officij, secundum quod intuetur Deum, animumque illi potenter ac firmiter vnit, & suauiter inhærere facit: practicus verò appellatur, respectu officij posterioris, secundum quod intuetur voluntatem Diuinam, quam in omnibus ac supra omnia sibi proponit adimplendam; & ipsa etiam intermedia, per quæ tendit in Deũ, vt eo fruatur. *Ac inde est*, quod amor *practicus*, dicitur alias negotiatio (quasi, nec, *aut*, non otiatio) seu actiuitas spiritualis. Amor vero *fruitiuus*, dicitur otium spirituale: quod significat suspensionem omnium actionũ multiplicium, quæ necessariæ non sunt, ad solum

Deum

Deum per intimam dilectionem amplexandum: aut, cessationem à quolibet negotio forensi & exercitio spirituali, quietem suauissimæ contemplationis, ac ipsum exercitium iucundissimi amoris perturbante.

Porro istæ duæ appellationes aut denominationes extrinsecæ amoris amicitiæ, non solum significant duo officia, duas habitudines, ac duos respectus vnius eiusdemque amoris: verùm etiam duos amores partiales, vnum velut compositum (moraliter loquendo) amorem Mysticum integrantes. Docent enim spirituales magistri, amores istos in comtemplatiuo perfecto, ita esse connexos & inseparabiles, vt alter absque altero non habeatur, nec alter absque altero exerceatur. Potest quippè aliquis perfectus ad illam peruenire huius amoris firmitatem, vt ingrediendo Deũ, sit egrediens à Deo; & egrediens à Deo, sit ingrediens Deum: operando, sit non operans; & non operando, sit operans: otiando, sit non otians; & non otiando, sit otians: quia dum exteriùs facit ac patitur ea, quæ sunt Diuinæ voluntatis, interiùs ipso fruitur Deo; & dum fruitur Deo, voluntati eius Diuinæ in omnibus & per omnia conformatur.

Dicendum secundò, quòd sicut secundum verticem intellectus, duplex habetur cognitio seu contemplatio Dei, *simplex* nimirum & *pura*: ita etiam secundum apicem voluntatis, amor Dei præsens, duplicis est status, *sobrij* vide-

videlicet ac *ecstatici*. Sobrius amor dicitur, quem contemplatiua mens, cum conuersione ad phantasmata, de Deo cui actiuè vnita est concipit. Ecstaticus dicitur, per quem contemplatiua mens, supra vires suas naturales euehitur, atque ad intimam cum Deo vnionem pertingit, excedens in ipsum Deum. Cuiusuis autem præsentis status, amor Dei, similes habet apud Mysticos denominationes, annexa, epitheta, qualitates ac proprietates, contemplationi vtriusque conditionis: quarum aliquæ exprimuntur ac explicantur in præsenti tractatu *dist.* 1. *art.* 5. aliquæ verò, *in pactis* testamenti animæ.

DISTINCTIO III.

De oratione Dei.

ARTICVLVS I.

De oratione in communi.

DIcendum est primò, quòd oratio Dei tripliciter accipi solet, strictè videlicet, largè, & largissimè. *Strictè*, pressè, ac præcisè accepta, significat ipsam petitionem, postulationem, & obsecrationem, præuia tantùm apprehensione rei à Deo petendæ. Quamuis autem petitio, postulatio, & obsecratio vsu communi idem significare videantur: sensu tamen spiritualium distincta sunt. Petere enim dicitur aliquis, quando mala sua deprecatur, ac bona sibi poscit cælitus donari: postulare verò, quando pro amicis, fratribus, &

pro-

proximis suis apud Deum intercedit: sed obsecrare dicitur, *tum* quando in graui periculo, vel in magna & vrgenti necessitate, auxilium Diuinum sibi alijsque implorat: *tum* quando Deum sibi iratum humili oratione placat: *tum* quando obnixè & affectuosè pro suis inimicis supplicat: *tum* quando pro quacunque re per merita Christi Deum Patrem feruenter ac perseueranter exorat. Hanc ipse Dominus Saluator noster exercuit orationē, cùm sæpissimè tam pro seipso, quàm pro suis amicis & inimicis, Patris sui cælestis viscera misericordiæ, obnixâ pulsaret supplicatione: quam nobis etiam commendauit dicens *Mat.* 5. Orate pro persequentibus & calumniantibus vos. *Et* 26. Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.

Largè ac *late* sumpta oratio, multiplices designat intellectus & voluntatis intentiones, in Deum directas ac extensas. *Vt est* actualis diuinorum cogitatio, consideratio, meditatio, speculatio & contemplatio: *nec non*, gratiarū actio, petitio, oblatio, laudatio, adoratio, amatio, &c. Hanc etiam orationem Christus Dominus studiosissimè coluit, ac eandem nos edocere voluit sancto suo exemplo. *Vt patet Luc.* 6 Erat pernoctans in oratione Dei. *i. e.* in contemplatione, in gratiarum actione, laudatione, amatione, ac similibus. *Largissimè* sumpta oratio, significat omne opus indifferens ac virtuosū, ex habitu charitatis imperatum,

ratum, ac in Deum ipsiusq; gloriam directum. *Vnde* glossa (in illud *Luc.* 18. Oportet semper orare & non deficere.) sic dicit. Semper orat, qui semper benè agit.

Dicendum secundò, quòd oratio iuxta suũ nomen, est quasi *oris* in Deum *actio*. Duplex autem est os huiusmodi: *alterum* externum, quo quis sursum se habet in Deum, quando publicè in Ecclesia Diuinum decantat officiũ, sacra celebrat, publicas precationes pro populo facit, aut priuatim vocaliter orat: *alterum* internum, de quo est illud *Psal.* 36. Os iusti, meditabitur sapientiam. Et *Psal.* 118. Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine. Vtroque ore S. Paulus Deum orare ac laudare proponebat, cùm diceret 1. *Corin.* 14. Orabo spiritu (*oris exterioris*) orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente. Et *S. Dauid*, cùm diceret, *Psal.* 110. Psallam & intelligam. Nam alias oratio externi tantùm oris, quæ non habet connexionem cum oratione oris interni, non placet Deo, iuxta illud *Isai.* 29. Populus iste, ore suo & labijs glorificat me, cor autem eius longè est à me. Et *Mat.* 6. Orantes autem nolite multum loqui (*absq; nimirũ internâ deuotione*) sicut ethnici faciunt: putant enim quod in multiloquio suo (*non autem in multâ deuotione, ac plenâ conformitate voluntatis suæ beneplacito Diuino*) exaudiantur. Vnde S. Isid. *lib* 3. *de summo bono* ait, Melius est cum silentio orare corde,

de, sine sono vocis; quàm solis verbis, sine intuitu mentis. *Idem.* Quid prodest strepitus labiorum, vbi est cor mutum: sicut enim vox sine modulatione, est quasi vox porcorum; sic oratio sine deuotione, est quasi mugitus boum.

Porrò, oratio est quasi *rationalis* desiderij sursum *actio*. Rationabiliter enim & rationabilia à Deo petenda sunt: prius videlicet ac magis bona spiritualia & æterna, quàm temporalia: potiùs secundum eius beneplacitum, quàm secundum nostrum appetitum: non vt nos cupimus, sed vt ipse vult: & quid ipse scit, quantum, quando, & quomodò nobis esse expediens. Vnde ait Dominus *Matth. 6.* Scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequàm petatis eum. Et *Iacob. 3.* Petetis, & non accipitis, eo quòd malè petatis, vt in concupiscentijs vestris insumatis. Et *S. Aug.* Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus huius vitæ, misericorditer non auditur: quid enim infirmo vtile sit, magis nouit medicus quàm ægrotus: si enim id postulat, quod Deus præcipit & promittit, fiet omnino quod poscit, *hæc ille.* Ac inde patet, quod Christianos non decet bona temporalia à Deo Patre postulare, quæ Christus Dominus, filius eius spreuit ac reprobauit, nisi inquantum ipse nouit, illa eis esse necessaria ad vitam æternam promerendam.

Tandem oratio Dei, est quasi *ornatio* seu orna-

ornamentum: quia plùs cæteris spiritualibus exercitijs ornat mentem, pretiosissimo charitatis ac virtutum sanctarum vestimento, iuxta illud *Psal.* 44. Astitit regina à dextris tuis (per eleuationem sui) in vestitu (auro charitatis) deaurato, circumdata (virtutum) varietate.

Dicendum tertiò, quòd secundum rem ipsam, oratio Dei, est eleuatio ac ascensio mentis in Deum, per quam, vel mala deprecamur, vel bona nobis alijsque petimus, vel Deum honoramus, benedicimus, laudamus, &c. *Nota*, quòd eleuatio mentis, hoc loco, significat motum, quo mens deserit inferiora ac ipsam animam: ascensio verò alium significat motum, quo mens sursum se habet ac proficit in Deum. Vt autem natura motus istius quo mens tendit in Deum, meliùs nobis innotescat, necesse est mentis alios motus diuersos enumerare Deum respicientes: quorũ *primus est*. A Deo, quo mens mouetur seu recedit à Deo per peccatum. *Secundus est*, Ad Deum: quo motu mouetur mens, quando per veram pœnitentiam Deum sibi conciliat iratum. *Tertius* est, Extra Deum: quo mouetur, quotiescunque facit aliquod opus bonũ extra gratiam Dei: vel absque debita intentione Deo placendi, ac maiorem illius gloriã quærendi. *Quartus* est, Coram Deo: hoc motu mouetur mens, quandocunque ipso actu implet aliquod præceptum seu consilium Diuinum

uinum ex impulsu charitatis, iuxta illud *Gen.* 17. Ambula coram me, & esto perfectus. *Quintus* est, Circa Deum: hoc motu mens nostra mouetur, quotiescunque de Deo aliquid legimus, audimus, loquimur, cogitamus, &c. *Sextus* est, Pro Deo: vel, Propter Deum: hoc motu mouetur mens nostra, quandocunque aliquid boni operamur, vel mali patimur propter Deum. *Septimus* est, Post Deum: hoc motu mouetur mens nostra, quando actualiter imitamur Christum Dei filium, in abnegatione propriæ voluntatis, in obedientia, paupertate, castitate, ac similibus. *Octauus* est, In Deum: hoc motu mouetur mens nostra, quotiescunque in eleuatione sui, humiliter manifestat Deo suum conceptum & affectum, iuxta illam phrasim *Zach.* 1. Dixi ad Angelum, qui loquebatur in me. *id est*, qui in mentem meam suum agebat conceptum. Et quotiescunq; contendit in sua oratione, Deo inhærere per fidem, spem, & charitatem, tanquam fini vltimo.

Dicendum quartò, quòd oratio Dei triplex habetur, quarum *prima* dicitur vocalis, *secunda* mentalis, *tertia* mixta.

ARTICVLVS II.
De vocali oratione.

DIcendum est primò, quòd vocalis oratio, est eleuatio ac ascensio mentis in Deum, per quam cum strepitu labiorum, vel mala depre-

precamur, vel bona nobis alijsque petimus, vel Deo gratias agimus, laudes offerimus, &c. quotiescunque tam publicè, quàm priuatim officium Diuinum persoluimus, sacrosanctum corporis ac sanguinis Dominici sacrificium Deo Patri offerimus; ac Litanias, Psalmos, Hymnos, Rosaria, & quascunque alias preces deuotè recitamus. Vt autem oratio præsens debitè peragatur, tria concurrere necesse est. *Primum*, vt in præparatione illius, intentio habeatur, obligationi scilicet satisfaciendi, Deum honorandi, & fructum orationis percipiendi, formata illis verbis, ore prolatis, aut solâ mente elicitis. Volo *soluere, honorare, & impetrare.* Alterum, vt in processu ipsius orationis, debita seruetur attentio. *Tertium*, vt pro conclusione in fine orationis, coram Deo humillimè recognoscatur culpa distractionum admissarum.

Dicendum secundò, quòd præsens intentio, vt est actus rationalis voluntatis, triplex habetur. *Prima* dicitur formalis: quâ quis actualiter intendit officium Diuinum debitè ac deuotè persoluere, *Secunda* dicitur virtualis: quam quis habet, quando illam formalem seu actualem intentionem persoluendi officium Diuinum, non nisi in aliquo opere inchoato, ad complementum eiusdem rei pertinente, retinet virtualiter. *Tertia* dicitur confusa, interpretatiua, ac tacita; quam docent habere illum, qui more solito, absque a-

liquo intentionis actu elicito, breuiarium accipiens, recitat coram Deo aduertenter ac deuotè horas canonicas.

Dicendum tertiò, quòd etiam attentio intellectus triplex est. *Prima* dicitur materialis seu superficialis: quâ attendimus coram Deo constituti, ad verba orationis, ne aliqua istorum prætermittamus. *Altera* dicitur spiritualis: quâ attendimus ad sensum verborum literalem ac mysticum. *Tertia* dicitur finalis: quâ attendimus ad finem orationis. *id est*, ad Deum quem oramus: & ad rem, pro quâ oramus. Attentio autem ad mysteria Dominicæ passionis, à plerisq; sub tempus Diuini officij obseruata, non est actus intellectus, sed memoriæ.

Dicendum quartò, quòd fructus orationis præsentis, triplex etiam habetur. *Primus* est, ipsum meritum, pro labore corporis ac spiritus, voluntariè ad honorem Dei suscepto. *Secundus* est, impetratio illius quod postulamus: quod quidem consideratur dupliciter, in genere scilicet & in particulari. Postulatũ primo modo consideratum, est omne illud bonum tam corporale, quàm spirituale, quod Deus ab æterno mediante nostrâ oratione, nobis conferre disposuit. Postulatum secundo modo consideratum, est quodlibet bonum determinatum, quod distinctè ac explicitè à Deo poscimus nobis donari. *Tertius* orationis fructus, est ipsa spiritualis refectio: per

quam

quam intelligitur, gratia ſenſibilis, compunctio, deuotio, illuminatio, &c.

Dicendum quintò, quòd vocalis oratio, illis valde vtilis eſt, qui ſcilicet, vel nondum oleo compunctionis ac deuotionis peruncti ſunt, vel poſtmodum in ariditate ſpiritus conſtitutos ſe inueniunt: illis autem qui iam ſunt mente inflammati & ab exterioribus auocati, magis obeſſe quàm prodeſſe dicitur. *Vnde* ſpirituales magiſtri conſulunt, aliquando relinquendam eſſe aut interrumpendam vocalem orationem, ne videlicet per eam internũ impediatur exercitium, ipſaque compunctio ac deuotio inchoata extinguatur: quod quidem intelligendum eſt de oratione vocali ad libitum, nam aliàs obligatoria, nunquam prætermitti debet, niſi aliquando in aliud tempus differri. Anima enim (vt ait Pater *Saluthius Barth.* in horto orationis) quæ ſolâ vocis oratione delectatur, nunquam ad eum amoris gradum peruenire poteſt, ad quem ij, qui meditationi ſtudent, pertingunt: ſic enim ait Propheta *Pſ.* 38. In meditatione mea exardeſcet ignis.

ARTICVLVS III.

De oratione mentali.

ORatio mentalis, idem eſt, quod eleuatio & aſcenſio mentis in Deum, per quam ſine ſtrepitu verborum, vel mala deprecamur, vel bona nobis alijſque poſcimus, vel Deum lau-

laudamus, honoramus, benedicimus, vel Deo gratias agimus, dilectionem noſtram pandimus, &c. Hanc autem orationem ſpirituales duplicem eſſe volunt, *alteram* ſcilicet ordinariam, *alteram* extraordinariam. Ordinaria illa eſt, quæ habet ſuum ordinem, qui certis poteſt comprehendi præceptionibus, atq; ab aliquo ſpirituali magiſtro tradi ac doceri: in qua mens conſtituta, ſurſum ſe habens in Deum, modo ſibi connaturali ac vſitato operatur, Deo non niſi illam excitante, ac illi cooperante. *Vel* in qua mens conſtituta, non ſolùm in ipſo Deo defigitur; ſed etiam ad ordinem ac modum diligenter attendit, quem in orando ſeruare conſueuit: ne ab eo deuians facillimè diſtrahatur, & conſequenter in affectu erga Deum concepto tepeſcat.

Porro ordinaria oratio, alias dici ſolet intellectiua, acquiſita, & aſcetica. *Intellectiua* quidem, quia mens huiuſmodi orationi actualiter inſiſtens, priùs ſe in Deum extendit actibus intellectûs, quàm voluntatis: *Vel*, quia in hac oratione, expectat voluntas noſtra, cognitione aliqua intellectui vſitata ac ordinaria commoueri, ad eliciendos & concipiendos erga Deũ pios ac amoroſos affectus. *Acquiſita* dicitur, quia per humanam induſtriam & exercitationem comparari ſolet: & ſic præſens oratio, *Vel* eſt in acquirendo, *Vel* in eſſe acquiſito, non ſolum quo ad modum ac ordinem, verùm & quo ad ipſum habitum.

Aſce-

Ascetica denique vocatur, quia, vt plurimum, in asceterijs seu claustris ac domibus religiosorum, à magistris peritis docetur: & studiosius ab ascetis exercetur.

Extraordinaria oratio illa est, quæ non habet certum ordinem ac modum, ab humana industria ac inuentione prouenientem: vnde etiam Modinescia seu Modiexpers dici solet: in quâ mens à solo cælesti magistro Spiritu sancto constituta, sursum se habens in Deũ, quidquam non operatur, modo videlicet sibi vsitato & connaturali; sed solum cooperatur illius Diuinæ tractioni ac inactioni, quâ sursum agitur & impellitur.

Rursus, extraordinaria oratio alias dici solet affectiua, infusa, & mystica. *Affectiua* quidem vocatur, non quod in illa sola affectuosè ac intensè Deus exoretur & ametur, hoc enim & in intellectiua non raró contingit: sed quòd mens illi addicta, in sui versus Deum actibus ecstaticis consurrectione, totum intellectûs studium, commutet in ardentissimum & purissimum amoris exercitium. *Infusa* dicitur, quia ad huiusmodi orationem, mens nostra, propriâ suâ industriâ nullatenus venire potest: sed à sola Spiritûs sancti inactione modo ineffabili eam accipit. *Mystica* appellatur, quia non nisi purissimæ menti, à Deo per occultam inspirationem donatur; dum scilicet sursum se ignotè extendit, summoperè cupiens ipsius frui vnionis intimo amplexu.

Insuper, oratio affectiua, infusa, & mystica, dupliciter consideratur. *Affectiua* quidē, *tum* vt est affectionis sobriæ, *tum* vt ecstaticæ. *Infusa* verò, tam scilicet absolutè per accidens, quàm per se absolutè. *Mystica* deniq;, *vel* inchoatè, *vel* completè. *Primi statûs* oratio affectiua, infusa, & mystica, illa est, cuius affectum tantæ suauitatis, feruoris ac intensionis Deus menti infundit, quòd subitò ab inferioribus alienata & soli Deo infixa, non aduertat modum, quem in orando tenet, nec se reflectat super suos actus Diuini amoris, quos ipsa elicit, & quibus Deo cohæret ac intendit. *Secundi status* oratio affectiua, infusa, & mystica, illa est, cuius actum ipse Deus format in mente depuratissima, non absque mentis cooperatione, ita inflammatum, sursum ductiuum, acutum, & penetratiuum, vt mens virtute illius excitata, & sursum acta ac tracta, ad immediatam & intimam cum Deo vnionē celebrandam, quodam ineffabili modo felicissimè perueniat.

ARTICVLVS IV.

De Oratione mixta.

ORatio mixta seu composita, *alia* est, quæ componitur ex mentali oratione acquisita, & infusa primi statûs: quam aliquando experiri solent, qui communiter exercitio sobriæ vnionis insistunt; vbi orationi eorum acquisitæ, vel commiscetur oratio iufusa pri-

mi

mi ſtatûs: vel ipſa eorum oratio acquiſita, deſinit in eandem orationem infuſam. *Alia* eſt, quæ ex oratione mentali & vocali componitur: & hæc, aut eſt *ordinaria*, aut *extraordinaria*. Ordinariam orationem mixtam exercet aliquis, quando paucis aliquibus verbis, intimum animi ſui concitati ac inflammati deſiderium, coram Deo ſibi præſentiſſimo manifeſtat. Ad hunc orandi modum reducuntur quæuis orationes iaculatoriæ, ac ipſa etiã pacta noſtri teſtamenti animæ. In hoc autem præſens oratio mixta differt ab oratione vocali: quia mixta, omnem animi requirit attentionem actualem, vocalis verò non item. Extraordinariam orationem mixtam ſic deſcribit P. Bart. à Saluthio *in Horto orationis*, dicens: Mixta oratio eſt, quando mens eleuata, & diuino amore inebriata, extrinſecùs in voces amoris, laudis, oblationis, petitionis, & gratiarum actionis, cum ardentibus & ignitis ſuſpirijs erumpit: dulciſſimumq́ue amorem ſuum inclamat, qui cor eius ſuauibus flammis adurit & conſumit: ac viſcera ſua dilatat, quo quantum fieri poteſt abſorbeat infinitam & immenſam abyſſum ſummi Dei, quẽ ſummoperè diligit, & ad quem cum incenſo & inſatiabili deſiderio continenter anhelat, dicens cum Propheta illud *Pſal.* 40. Quemadmodum deſiderat ceruus, &c. Actus huius orationis vocatur Ructus myſticus: qui eſt ſpiritualis ebrietatis effectus. *Vel alias* vocatur

eructatio intimæ affectionis, de quâ est illud. *Psal.* 44. Eructauit cor meum verbum bonum. Et *Psal.* 118. Eructabunt labia mea hymnum.

TRACTATVS III.

De via purgationis, illuminationis & vnionis, quâ ad veram Dei venitur sapientiam,

INTRODVCTIO.

FIli mi, ne declines ad dexteram neque ad sinistram (ait Spiritus sanctus *Prouerb.* 4.) auerte pedem tuum à malo. Vias enim quæ à dexteris sunt, nouit Dominus: peruersæ verò sunt, quæ à sinistris sunt. Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet.

Viæ, quibus ambulant animæ rationales suis intentionibus ac desiderijs, triplices in præsenti nobis proponuntur. Illæ quæ à sinistris habentur, malæ sunt: quia apertè ducunt ad interitum: de quibus illud est *Ps.* 118. Ab omni viâ malâ prohibui pedes meos: vt custodiam verba tua. *Item.* A mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis. His incedunt vijs omnes carnales, mundi huius amatores, superbi, ambitiosi, & alij similes illis, heu aliquando dicturi illud *Sap.* 5. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis: & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.

Illæ verò viæ, quæ ſunt à dexteris, ſuſpectæ etiam ac fraudulentæ habentur: quia ad eundem occultè tendunt interitum, iuxta illud *Prou.* 16. Eſt via quæ videtur homini recta, & nouiſſima eius ducunt ad mortem. Item *cap.* 22. Via ſtulti, recta eſt in oculis eius; qui autem ſapiens eſt, audit conſilia. Item *cap.* 21. Omnis via viri recta ſibi videtur: appendit autem corda Dominus. His verò incedunt vijs, *tum* illi homines ſpirituali vitæ addicti, qui ſcilicet à Satana transfigurante ſe in Angelum lucis, aut à dæmonio meridiano, ſub ſpecie boni ſeu melioris decepti, ſuo nimis innituntur ſenſui ac iudicio, propriâque gubernantur voluntate. *Tum* hypocritæ, qui palam honeſtis inſiſtunt ſtudijs, ſed clam vanitati ſeruiunt & viliter agunt. *Tum* omnes huius mundi ſapientes, qui aut vanis ac inutilibus vacant ſcientijs: aut non niſi in ſolis intellectualibus diuinorum proficiunt diſciplinis: in quibus ſic abſorbentur Diabolo inſtigante, & ſic totaliter poſſidentur, vt vera ſapientia locum in mente eorum non inueniat. Quid autem de huiuſmodi ſapientibus dicat Dominus, audiamus S. Paulum narrantē. 1. *Cor.* 1. Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiā prudentium reprobabo. Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi conquiſitor huius ſæculi? Nonne ſtultā fecit Deus ſapientiā huius mundi? &c. Mediæ autem viæ ſpirituales, ſunt viæ rectæ, bonæ, & ſecuræ: quia ducunt iuſtos ac ele-

ctos Dei ad acquirendum cælestis sapientiæ thesaurum, & ad vitæ æternæ possessionem, iuxta illud *Sap.* 10. Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam Sanctorum. Quæ quidem viæ in duplici sunt differentia. *Altera* quibus itur in voluntatem Dei, practicâ nimirum fide, spe, & charitate: *Vel altas*, desiderijs semper obseruandi diuina, *tum* quæ sunt de lege præcepti, *tum* quæ sunt de lege consilij. His iugiter vijs cupiebat assistere Dauid cùm diceret *Psal.* 24. Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Et *Psal.* 118. Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui. *Item.* Viam iustificationum tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis. Sunt igitur huiusmodi viæ, idē quod studium mandatorum Dei & consiliorum Christi. *Altera* sunt viæ Domini, in prioribus nimirum fundatæ, ac illis connexæ, quibus itur in ipsum Deum tanquam in finem vltimum, anagogicâ scilicet fide, spe, & charitate: *Vel altas* desiderijs sursum actiuis, secundum illud Dauidicum *Ps.* 41. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Huiusmodi autem vias secundum Mysticos puta esse tres, purgationis videlicet, illuminationis, & vnionis.

Verùm sicut in via propriè sumpta potest

se habere viator, vel actiuè vel passiuè: *actiuè* quidem, pedester incedendo: *passiuè* autem, equo seu currui insedendo. Ita viator spiritualis, *aliquando* actiuè se habet, dum proprij sui intellectus & voluntatis actiuitate, seu elicitâ suâ cognitione ac amatione, cælesti auxilio sibi cooperante, in Deum se extendit: *aliquando* passiuè, dum illo quem ignorat modo, per ipsius Dei operationem & sui cooperationem, easdem purgationis, illuminationis & vnionis felicissimè superat vias. Quæ quidem viæ spirituales, aliàs viæ Sion, semper modernis temporibus lugent, (vt habetur *Thren.* 1.) eò quòd non sint qui veniant ad solemnitatem. Sicut enim Ieremias verba ista, captiuitatem populi sui deplorans, dixit, cùm cerneret viduas deplorabiliter germinantes vias, quibus populus Israëliticus festiuis diebus conueniebat in templum in monte Sion ædificatum, ad adorandum Deum: ita etiam eadem verba dicere potest quilibet alius, intelligens tantam animarum captiuitatem, tantam viarum spiritualium desolationem, tantam veræ sapientiæ Dei neglectionem & incuriam, ac tantam spiritualium hominum à semitis diuinarum iustificationum deuiationem, exclamans. Viæ Sion lugent, eò quòd non sint qui veniant ad solemnitatem, vbi Deus verâ sapientiâ à suis amatoribus colitur & adoratur. Quòd autem lugeant viæ Sion, & quòd plerique spiritualium ac Religiosorum non

veniant ad eiusmodi solemnitatem, ratio est: *Vel* quia in vijs obseruantiæ mandatorum & consiliorum Dei minimè proficiunt, eò quòd sæpè declinent ad dexteram aut ad sinistram, per recidiuationem in grauia peccata, cùm aliàs non veniatur ad purgationis, illuminationis, & vnionis viam, nisi per viam obseruationis mandatorum Dei & consiliorum Christi. Non enim (vt ait Psaltes) qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt. *Vel* quia minimè vacant asceticis exercitijs ac studijs, præsertim verò studio mentalis orationis, sine quo (iuxta spiritualium commune effatum) nemo assistere potest præsentibus vijs. *Vel* quia in vanum & vacuum (vt habetur 2. *Cor.* 6.) gratiam Dei recipiunt: cùm aliàs in quibus gratia Dei (secundum verba D. Pauli 2. *Cor.* 15.) vacua non est, his communiter ambulent vijs. Nam illo se modo habet Deus spiritualiter gratiâ suâ ad animam rationalem, quam ingreditur & inhabitat; quo modo se habet corporaliter sol suâ luce ad aërem huic oriens mundo. Sicut enim sol aërem suâ luce purgat, nubeculas ac vapores eius dissoluendo: illuminat, tenebras eius fugando: transmutat in sui qualitates, eum calefaciendo. Ita Deus Optimus gratiâ suâ gratum faciente animam rationalem purgat, vindicando eam à contaminationibus mundanorum: illuminat, ignorationes spiritualium ab ea repellendo: transformat in suum esse actuale,

ale, vinculo charitatis ac perpetuæ dilectionis eam sibi vniendo. *Vnde* est, quòd qui gratiam Dei non in vacuum recipiunt, illi in ea iugiter ac perpetuò per obseruantiam mandatorũ Dei & consiliorum Christi proficere conantur: & quò magis in ea proficiunt, eò etiam magis per illam medijs asceticis exercitijs ac sursum ductiuis actionibus purgantur, illuminantur, & spiritui diuino vniuntur.

Iam igitur in prima distinctione præsentis tractatus dicendum nobis venit, de spirituali, *tum* actiuâ *tum* passiuâ purgatione: In secunda verò, de illuminatione, actiuâ etiam & passiuâ: In tertia tandem, de vnione, tam similiter actiuâ quàm passiuâ.

DISTINCTIO I.

De spirituali purgatione, actiuâ nimirum & passiuâ.

ARTICVLVS I.

De tribus gradibus actiuæ purgationis.

DIcendum est primò, quòd sicut qui curari vult, ac ex infirmitate sua corporali conualescere cupit; debet *inprimis* corpus suum congruis expurgare medicamentis: *deinde*, curationis ac purgationis tempore, debitam sibi adhibere custodiam: *ac tandem*, certum aliquem viuendi modum, licet sibi alias ingratum tenere præscriptum. Ita, qui ad spiritualem venire desiderat sanitatẽ, debet etiam *inprimis* suum purgare spiritum: *postea* cer-

tas custodire ac obseruare cautellas: *denique*, modum viuendi tenere spiritualibus vsitatũ.

Verùm, sicut triplex habetur gradus, ordo, ac respectus corporalis purgationis: quorum *primus* est, quando quis purgatur à noxijs & corruptis humoribus, ratione sanitatis recuperandæ. *Secundus*, quando non nisi à superfluitate humorum purgatur, *vel nimirum*, vt præferuetur ab aliqua possibili ægritudine; *vel* ne in morbum recidat pristinum. *Tertius* est, quando purgatur aliquis de sola alui repletione ac obstructione: *tum videlicet*, ne inde illi humores superflui, crassi, ac noxij generentur: *tum* vt hoc ipso in valetudine recuperata confirmetur, roboretur, ac solidetur. Ita quoque triplex est gradus, ordo, ac respectus spiritualis actiuæ purgationis.

Primus est, quando aliquis incipiens de duplici mortifera infirmitate, peccatorum videlicet actorum & contractorum ascetice purgatur, in ordine ad consequendam spirituale conualescentiam. *Acta* peccata illa habentur, quæ actu ipso deliberatæ voluntatis perpetrãtur. *Contracta verò* illa dicuntur, quæ per conuersationem mundanam & nimium amorem temporalium, ac per ipsos actus mortaliũ peccatorum sæpius iteratos, acquiruntur & contrahuntur. *Et sunt* principia politica, & habitus praui acquisiti.

Secundus gradus actiuæ purgationis est, quando quis asceta proficiens, ab omni vitio-

rum

rum inordinatâ motione spiritualiter depuratur, ne videlicet in pristinam recidat mortaliũ peccatorum ægritudinem. Sunt autem vitia huius loci, *alia* acta, & *alia* contracta. Vitia *acta*, seu vitia actu commissa, puta esse motus immoderatos ac infirmos naturalium affectiõnum: qui sunt non nisi peccata primi & secundi status venialia, ex deliberata voluntate perpetrata: quæ *vel* ob leuitatem materiæ, *vel* ex genere suo non possunt esse mortalia. Vitia *contracta* illa huius loci esse scias, quæ à primis parentibus vnà cum peccato originali contraximus. *Vt sunt* intentiones naturæ infectæ, seu innatæ pronitates, propensiones ac inclinationes ad malum: quæ *alias* innati habitus praui dicuntur.

Tertius gradus est, quando aliquis asceta perfectioni spirituali vacans, ab ipsis non nisi suis purgatur ac depuratur imperfectionibus, vt nimirum in recuperata iam spirituali sanitate meliùs ac meliùs confirmetur & roboretur. Imperfectiones verò huius loci, puta esse *tum* peccata tertij status venialia, quibus peccatur ex indeliberatione: *tum* scrupulos ac vanos timores conscientiæ: *tum* ipsas mentis distractiones in orando; ac tepiditates & ariditates naturales, quibus remittitur seu refrigeratur deuotionis affectus.

Dicendũ secundò. quòd principia politica seu principia sapientiæ mundanæ, versantur circa regulas sui iuris: sicut enim tres haben-

tur

tur regulæ sui iuris, quarum *prima est*. Bonũ videlicet sibi proportionatum velle (*Vtpotè* honorabile, vtile, & delectabile) congruis, debitis, ac licitis medijs. *Altera* est. Defendere se modis honestis, dum sibi aut bonum aufertur: aut malum (*Vtpotè* infamiæ, damni, & afflictionis) infertur. *Tertia est*. Vindicare publicâ authoritate iniuriam sibi factam, secundum regulas iuris ciuilis. Ita tria potissimum sunt principia prauæ politicæ *Primum est*. Velle sibi bonum conueniens ac suis meritis commensuratum, medijs nimirum illicitis, vbi aliter haberi non potest. *Alterum*. Habere paratum animum defendendi se à malis modo illicito, vbi modus deest alius. *Tertium est*. Vindicare velle suam iniuriam priuatâ authoritate, ac alijs indebitis modis: cum alias facile non potest haberi satisfactio, ac rei seu nocentis digna punitio.

Dicendũ tertiò, quòd habitus praui, idem sunt ac vitia, seu infirmitates, & infectiones affectus naturalis permanentes, quæ alias occasione mali ventitante, facile se suis actibus improbis exteriùs manifestant. *Vt est* superbia, auaritia, luxuria, inuidia, gula, ira, & acedia. Est autem differentia inter habitus prauos acquisitos & innatos talis: *tum* scilicet, quia illi sunt radices actualium peccatorum; isti verò, non nisi originalis culpæ: *tum* quia illorum motus, primis arcentur virtutum actibus; istorum autem secundis: *tum* quia illo-

illorum motus seu actus falsum lumen principiorum prauæ politicæ sequuntur; istorum autem lumen rationis naturalis, *vel aliud* lumen principiorum sui iuris.

ARTICVLVS II.

De tribus gradibus passiuæ purgationis.

DIcendum est primò, quòd in primo gradu passiuæ purgationis constituitur aliquis, quando pro suis peccatis iustè à Deo punitus, mediatè scilicet vel immediatè, directè vel indirectè, positiuè vel negatiuè, satis humiliter, patienter, & gratanter Domini sui ac Patris clementissimi acceptat correptionem, iuxta illud *Hebr.* 12. Fili mi noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris: quem enim Dominus diligit, castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. *Et infra.* Quis enim Filius quem non corripit Pater? quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: Ergo adulteri & non filij estis. Vnde S. August. Intelligat homo medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad condemnationem: sub medicamento positus vreris, secaris, clamas; non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem.

Immediatè castigamur, quando à solo Deo pro peccatis nostris, maxime verò occultis, aliquo modo illi placito punimur & affligimur. *Mediatè* autem, quando per Dei antistites corri-

corripimur & probamur. *Directè* etiam puniimur, quando iam pro peccatis notis, pœna proportionata expresſè nobis infligitur. *Indirectè* quoque, quando occaſio puniendi ac mortificandi nos aliundè ſumitur. *Poſitiuè* deinde caſtigamur, dum pœna aliqua determinata nobis imponitur. *Negatiuè* tandem, dum licita nobis ac debita denegantur, vel iam conceſſa ſubtrahuntur.

Dicendum ſecundò, quòd ſecundus gradus paſſiuæ purgationis habetur, *tum*, quando aliquis pius ac innoxius Deo permittente, multa mala à dyſcolis ac paſſionatis hominibus ſuſtinet humiliter ac patienter, ob Christi imitationem: qui etiam innocenter multa mala pro nobis pati, ac inter ſceleratos reputari voluit, quique cùm malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur. Et hoc ſecundum illud quod dicitur, *Tim.* 3. Omnes qui piè volunt viuere in Christo I e s v perſecutionem patientur. Vnde *S. Gregorius*. Deus in hâc vitâ electis ſuis non promiſit gaudia delectationis, ſed amaritudines tribulationis: vt medicinæ more per amarum poculum ad dulcedinem æternæ ſalutis redeant. *Tum*, quando aliquis iuſtus non ſolùm à filijs hominum, qui ſuis hinc inde aguntur indomitis affectionibus, malè tractatur, ac multis afficitur iniurijs: quos ipſe nihilominus tam coram Deo, quàm coram hominibus excuſat, & bene iudicat. iuxta illud 1.

Cor.

Cor. 2. Spiritualis autem (*benè*) iudicat omnia: & ipse à nemine (*benè*) iudicatur. Verùm etiam dum adhuc à suis in Christo charissimis amicis ac sanctis viris omninò deseritur, & tanquam reus incusatur, & nulla compassione dignus reputatur, ex occasione videlicet aliquorũ defectuũ, à quib⁹ in hâc vitâ iusti immunes esse non possunt: in quorũ persona S. Paulus sic dicit *Rom.* 7. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. *quasi dicat.* Dum facio bonum, sæpe contingit malè me illud peragere, aut aliquem admittere defectum, quem odi ac detestor. *Tum* quando iam destitutus iucundâ in Christo IESV familiaritate & conuersatione suorum amicorum, adhuc Deo permittente varijs & horrendis acerrimè oppugnatur diabolicis tentationibus, *&c. porè,* execrabili spiritu luxuriæ, blasphemiæ, diffidentiæ, hæsitationis, desperationis, perplexitatis, & similibus: quas omnes per Dei gratiam & mortificationis exercitium iam anteà felicissimè superauerat. *Tum,* quando ipse Deus supra omnia benedictus, animæ iusti sic iam vsquequaque tribulatæ, suam adhuc iucundissimam abscondit præsentiam, seu spiritualem consolationem, ita vt inde misercula ineffabili repleta amaritudine internâ, languescat ineffabiliter.

Dicendum tertiò, quòd anima rationalis in tertio gradu passiuæ purgationis constituitur,

tur, quando ipso actu transcurrit ac superat omne irretentibile, & absolutum mysticorũ. Est autem irretentibile aut quasi indetentibile, illud, quo nimirum sic detinetur inferiùs ac irretitur principalis affectio seu synteresis, vt non possit consurgere ac se eleuare actibus puri amoris in Deum Huiusmodi autem irretentibile, *primò* puta esse, ipsum amorem boni sui ac suorum, non certe iam vitiosum, sed purè naturalem & rationalẽ: quod quidem bonum, *vel* ipsi sanitati, *vel* naturæ, *vel* personæ, *vel* conditioni suæ aut suorum, iuxta dictamen rectæ rationis conueniens est, ac in Deum referribile. *Secundò*, puta esse quemuis etiam exilem motum affectionum ex huiusmodi amoris radicula consurgentem: *vt est* motus spei humanæ, ac timoris, doloris & gaudij, *Tertiò*, Quandam propriam ac humanam complacentiam ex eodem amore proficiscentem, *vtpotè*, in donis siue naturalibus siue supernaturalibus, *tum* videlicet ad propriam, *tum* ad alienam in profectu spirituali vtilitatem à Deo venientibus.

Absolutum apud Mysticos illud est, quod operatione animæ rationalis formatum, ac à creatura abstractum habetur, per quod Deus ac diuina in meditatione ascetica & contemplatione ordinariâ conspicitur, Vnde huiusmodi absoluta, quæ Mysticis in anagogica conuersione ad Deum constitutis, per actus ecstaticos transcurrenda sunt, alia imaginatio-

nis,

nis, alia rationis, alia simplicis intelligentiæ esse dicuntur: de quibus S. Dionysius Areopagita ad S. Timotheum *de mystica Theologia cap.* 1. Tu autem Timothee amice, circa mysticas visiones (*nota autem*, quod S. Dionysius per eiusmodi visiones, intelligit cognitiones seu notitias Dei ac diuinorum transcendentes omnes entis considerationes: quas intelligentia pura ex ipso gustu præcedentis affectus concipit,) forti concertatione sensus derelinque, & intellectuales operationes, & omnia existentia & non existentia: & sicut possibile est ignotè consurge, &c. Quæ verba in Mysticâ Theologia apud Diuum Bonauenturam *cap.* 3. *particula* 4. satis explicata habentur.

ARTICVLVS III.

De remedijs spiritualibus purgatiuis.

DIcendum est primò, quòd primum spirituale remedium purgatiuum, est plena conuersio spiritualis: quæ *alia est* practica, *alia* anagogica. Conuersio practica duplex est, *necessitatis* nimirum & *supererogationis*. Conuersionem necessitatis, quâ purgantur incipientes, constituunt tria. *Primum*, Nolle peccâsse ac Deum offendisse. *Secundum*. Nolle peccare ac Deum offendere. *Tertium*. Ipsum non peccare ac Deum non offendere; præceptaque legis æternæ stabiliter continuò ac perpetuò seruare. *Vnde* illa conuersio, cui ho-

rũ aliquid deest, plena ac vera dici non potest.

Conuersionem supererogationis, quâ purgantur proficientes, tria etiam constituunt. *Primum est*, Velle efficaciter imitari Christũ per adimpletionem eius consiliorum. *Secundum*, Vacare mortificationi vitiorum. *Tertiũ*, Assumere studium virtutum asceticarum.

Conuersio anagogica, quâ purgantur perfecti, vel est *actiua* ascetarum, vel *passiua* mysticorum. Actiua deinde, *alia est*, quâ conuertimur ad Deum, per sursum nostri Spiritus extensionem ac eleuationem: *alia est*, quâ conuertimur ac transformamur in Deum, per sobriam vnionem. Conuersio passiua, *altera etiam est*, quæ significat mentis ignotam ad Deum consurrectionem, actibus nimirum ecstaticis: *altera est*, quæ significat ipsam transformationem mentis in Deum, per mysticam ac ebriam vnionem.

Dicendum secundò, quòd alterum spirituale remedium purgatiuum, est abnegatio principiorum prauæ politicæ, & principiorum sui iuris.

Quantum ad primam abnegationem spectat, sciendum est, quòd, qui in suâ ad Deum necessitatis conuersione, sola non nisi abnegat peccata acta per pœnitentiam sacramentalem, minimè securus est à frequenti lapsu, & ab ipsâ recidiuatione in eadem peccata grauia, multo magis peiora prioribus, tanquam laqueis diaboli irretitus: nisi etiã abnegauerit

princi-

principia politica, per studium virtutum necessitatis; ac superauerit habitus prauos suorum vitiorum acquisitorum, per exercitium mortificationis. Huiusmodi enim principia politica & vitia acquisita, laquei sunt diaboli, quibus anima ligata detinetur & in abyssum recidiuationis trahitur à diabolo, ad instar passerculi, qui dimissus de manu pueri, filo nimirum ad pedem ligatus, dum tentat fugã, sperans se commodè ac liberè auolare posse; en miserculus protinus ab eodem præpeditur puero, nimiâque cum exultatione ad illudendum sibi detinetur. *Ac inde* est, quòd nonnulli Religiosorum minimè in vijs iustitiæ proficiant, quamuis per vsum Sacramentorum, & per aliqua asceтica exercitia contendant; eò, quòd his principiorum politicorũ & habituum prauorũ filis compediti, sæpiùs ab huiusmodi profectu præpediantur: & quod deterius est, in ipsam peccatorum mortalium recidiuationẽ non raro pertrahantur.

Quantum ad secundam abnegationem spectat, sciendum est, quòd sicut incipientes non possunt expurgari de suis prauis habitibus acquisitis, nisi priùs abnegauerint principia prauæ politicæ, quorum aliàs falsum lumen, vitia eorum sequuntur: ita proficientes non possunt depurari à suis natiuis habitibus prauis, nisi priùs abnegauerint principia sui iuris: *Vel aliàs,* nisi cesserint iuri suo, quod inchoationem virtutum asceticarum impedit,

& ipsa vitia innata suo lumine format, instruit, excitat, & in aliquod peccatum frequenter desinere facit, iuxta illud 1. *Cor.* 5. Iam omnino delictum est in vobis, quòd iudicia habetis inter vos, quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? *Vnde etiam* ad huiusmodi hortamur abnegationem 1. *Ioan.* 2. Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Item *Rom.* 12. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos: nulli malũ pro malo (*siue nimirum priuatâ siue publicâ authoritate*) reddentes. Non vosmetipsos defendite charissimi (*siue scilicet in causa ciuili, siue criminali*) sed date locum iræ. *id est*, cedite irato homini: *Vel*, propter Christi imitationem patienter alterius iram, contumeliam & calumniam sufferte. Item *Matt.* 5. Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram (*hoc est*, paratus sis in altera percussionem sustinere patienter.) & ei, qui vult tecum in iudicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei (*hoc est*, sis paratus dimittere) & pallium.

Dicendum tertiò, quòd tertium spirituale remedium purgatiuum, est mortificatio externa & interna; vel aliàs, mortificatio virium animæ rationalis corporalium & spiritualiũ. Vires *corporales*, sunt sensus externi & interni inferiores, cum appetitu sensitiuo concupiscibili & irascibili. Vires *spirituales* seu potentiæ incorporeæ sunt. Memoria, intelle-

ctus, & voluntas: quæ omnes necessariò purgari ac mortificari debent, tanquam instrumenta & officinæ vitiorum: Corporales quidem seu organicæ, inquantum ipso terrenorum vsu indiscreto multipliciter inquinantur: Spirituales verò, inquantum viribus corporalibus suo fauore ac assensu culpabili nimis conniuentes, ita deorsum sese inclinant, vt & ipsæ impressionibus concupiscentiarum carnalium ac mundanarum infectæ & commaculatæ permaneant: cùm aliàs vires inferiores, tanquam suas subditas ac subiectas sibi, secum sursum trahere teneantur,

Primò igitur ascetæ sensus sui corporis optimæ purificant, frenant, ac mortificant, quando illis licitarum voluptatum denegant vsum, ne ex fragilitate ac vitio sese extendant ad fruendum delectationibus illicitis per abusum. Nam ait *S. Greg.* Quòd solus ille in illicita non cadit, qui se à licitis cautè restringit. Illæ autem sunt sensitiuæ aut carnales voluptates illicitæ, quarum vsus vel aliquis earum vtendi modus, æternæ legi non est conformis: licitæ verò voluptates sensitiuæ idem sunt, quod delectationes naturales: quæ dum se ascetis offerunt, *vel nimirum* in auditu alicuius melodiæ, *vel* in visu alicuius rei pulchræ, *vel* in gustu alicuius cibi aut potûs delicati, statim sunt eis, siue ex studio mortificationis respuendæ & contemnendæ; siue ex charitate in Deum referendæ, à quo creatæ

habentur: & hoc propter Christi imitationẽ, qui non nisi vnicum semper cupiuit delectamentum, sui scilicet Patris implendi præceptum: vnde etiam voluntatem illius (*Ioan.* 4.) suum appellabat cibum.

Secundò, optimè quoque reformant ac mortificant ascetæ, appetitum concupiscibilem & irascibilem; quando in hoc mundo nihil horum amare volunt, quæ Christus spreuit & reprobauit: & nihil timere, quæ Christus elegit, ac passus est. Vnde *S. Aug.* Nullum peccatum committi potest, nisi cum appetuntur ea, quæ Christus contempsit; aut fugiuntur quæ ipse sustinuit. *Vel deinde,* satis bellè reformant ac depurant ascetæ huiusmodi sensibilem appetitum, tam concupiscibilem, quàm irascibilem, quando affectiones illius, siue nimirum ex impulsu vitij, siue ex impulsu naturæ sese in creaturam extendentes, prudenter auertunt, & ad ipsum Deum conuertunt ac eleuant. Vnde *S. Bern. in illud Ioelis.* Conuertimini ad me in toto corde vestro. Conuertatur *inquit* amor tuus: vt omninò nihil diligas nisi Deum, aut certe propter ipsum. Conuertatur etiam ad ipsum timor tuus: quia peruersus est timor omnis, quo metuis aliquid præter eum, aut non propter eum. Sic & gaudium tuum, & tristitia, æquè conuertantur ad ipsum: hoc autem fiet, si non nisi secundum eum doleas, aut læteris. Et *Auctor de spiritu & anima sic ait.* Affectus qua-

quadripartitus eſſe dignoſcitur, dum de eo quod amamus iam gaudemus, vel gaudendum ſperamus, & de eo quod odimus, iam dolemus, vel dolendum metuimus. Et ab hac concupiſcibilitate, gaudium & ſpes; de iraſcibilitate, dolor & metus, oriuntur: qui quidem affectus quatuor animæ, omnium ſunt vitiorum, atque virtutum, quaſi quædam principia & communis materia. Hinc *Boetius*. Viuere ſi vis tramite recto, gaudia pelle, pelle timorem, ſpemque fugato, nec dolor adſit.

Tertiò, Sufficienter etiam memoriā ſuam aſcetæ purgant, quando ab ea repellunt non ſolùm omnem occurſum irreuerentium imaginationum, & turbulentarum ac malignarū cogitationum; verùm etiam, dum eam vindicant, à quibuſuis importunis euagationibus ac volubilibus cogitationibus, ne aliquando in apprehenſione præſentiæ Dei ac diuinorū diſtrahantur: *nec non*, dum ei nullatenus concedunt admittere quaſcunque importunè ſe offerentes peregrinas rerum corporearum formas; ita vt omnium tam bonorum quàm malorum huius mundi, quodammodo obliuiſcens, non niſi ſecum ipſa in profundo ſui, & cum ſolo Deo iugiter deambulet.

Quartò. Intellectus, vt eſt ratio ſuperior, ſufficienter purgatus eſſe probatur, dum non ſolùm pertinaciam proprij iudicij, & quemuis diſcurſum rationis inferioris turbulentū repudiat: verùm etiam dum inquiſitionem

seu meditationem diuinorum abnegat, quæ nimirum potius curiositati, vanæ gloriationi, propriæ ostentationi & mundanæ vtilitati deseruit, quàm profectui spirituali; ipsumque non nisi acuit intellectum, & non commouet nec inflammat affectum. *Demum* intellectus, vt est simplex intelligentia optimè depuratur, quando illud, quod per studium asceticæ meditationis inuenit, aut per discursum rationis superioris inuestigauit, ac de Deo concepit, iam post omnem discursum simpliciter intuetur: *seu* dum omnibus quæ sunt huius mundi, comparatione diuinorum despectis, ipsa sola diuina, ac si iam nihil aliud sit, iugiter cogitat, & ad contemplationem reducere studet.

Quintò, Voluntas etiam optimè purificatur, dum fugit & abnegat omnem sui proprietatem, tepiditatem, & obliquitatem. Est autem *primus* gradus proprietatis in voluntate: *seu* ipsa propria voluntas *prima* illa dicitur, iuxta *D. Bern.* quæ non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantùm: quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad vtilitatem fratrum; sed propter nos ipsos facimus: non intendentes placere Deo, & prodesse fratribus, sed satisfacere proprijs motibus animorum. *Item.* Voluntas propria, vellet Deum omninò peccata sua, aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo non esse Deum: quæ quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut iniustum esse, aut insi-

insipientem. *Item.* Quid odit aut punit Deus, præter voluntatem propriam? cesset voluntas propria, & infernus non erit. Ipsa est quæ paradisum spoliat, infernum ditat, sanguinem Christi euacuat, & ditioni diaboli subiugat. *Secunda* propria voluntas illa est, quæ superatâ iam omni peccati mortalis inordinatione; omnia etiam transcendere, ac vincere cupit acquisita & innata vitia: sed cuncta media efficacia, quæ mortificationi eorum deseruiunt, adhuc fastidit ac horret, quamobrem executionem illorum suspendit, ac de die in diem differt, donec hora mortis veniat. *Tertia* propria voluntas est, quæ cupiens omnia superare vitia, iam ad hoc apta media, & satis ardua ac difficilia eligit & apprehendit, aliquibus non nisi exceptis ac neglectis, *vt sunt* velle subdere se cuilibet superiori propter Christi imitationem ac amorem, modo non huic. Velle omnem sufferre humiliationem & pati aduersitatem seu iniuriam, modo non hanc. Velle omnes sibi aduersantes tolerare, modo non hunc. Velle ab omnibus contemni, modò non ab hoc. Velle omnem infamiam sustinere pro fide aut iustitia, modò non ad longum tempus, seu non ad mortem. De hac voluntate *Harphius* ait. Voluntas propria si non sit tracta aut transfusa in Dei beneplacitum, est sicut columna sustentans omnes muros inordinationis, & quando ista columna tollitur, tunc corruunt omnes muri Iericho.

Porro voluntas tepida redditur respectu diuinorum, dum aliquod inferius amat, seu in aliqua creatura nimis sibi complacet: nam quantò quis in inferioribus delectatur, tantò ad superiora minùs afficitur. iuxta illud *D. Greg.* Tantò à diuino amore disiungimur, quantò inferiùs delectamur. Et *S. Aug.* Minùs Domine te amat, qui aliquid tecum amat, quod propter te non amat.

Tandem voluntas incurrit sui obliquitatē, quando suâ intentione curuè tendit in bonū. *id est*, non propter summum bonum; vel si propter summum bonum, sed non sicut sufficit. *Primò* igitur tendit curuiter ac peruersè, dum sola terrena ac transitoria bona quærit ac eligit: nullū habens respectum ad eum, qui illa creauit. *Secundò* tendit curuè, fictè ac hypocriticè in bonum, dum se simulat in aperto mala fugere, & bona operari propter gloriam Dei, ac imitationem Christi; & in occulto viliter agit, aut saltim inde proprium aliquod venatur commodum. *Tertiò*, tendit suâ intentione seruili & mercenariâ curuiter, dum fugit peccare, non nisi gratiâ euadendi pœnam siue temporalem siue æternā: & dum operatur bonum, non nisi propter retributionem in præsenti ac in futuro sæculo obtinendam.

E conuerso autem acquirit voluntas probitatem, bonitatem, integritatem, & rectitudinem, quando intentione suâ tendit in bo-

num,

num, propter ſummum bonum ſicut ſufficit; quæ quidem intentio dicitur filialis: & eſt triplex. *Prima* vocari ſolet recta, eò quòd omne opus bonum actiuæ vitæ externæ, directè in Deum refert, non diſtrahendo ſe diuerſis finibus aut reſpectibus. *Altera* dicitur ſimplex, eò quod non multiplicatur diuerſis actionibus ſicut prima, ſed ſoli diuinorum aſſiſtit contemplationi. *Tertia* filialis intentio, vocatur Deiformis: eò, quòd dum vitæ actiuæ & contemplatiuæ incumbit, nullâ frangitur aut incuruatur proſperitate & aduerſitate; ſed vbique magis ac magis ſemper diuinæ voluntati conformatur, per plenam ſui transfuſionem in Dei beneplacitum.

ARTICVLVS IV.

De cuſtodiâ ſeu cautellis purgandorum.

SPirituales, dum ſuæ inſiſtunt purgationi, bonumque illius cupiunt experiri effectũ, neceſſariò debent ſibi cauere, ac ſe cuſtodire ab operibus, verbis, & cogitationibus illicitis, indecentibus, & inexpedientibus, iuxta illud *Diui Bernardi*. Spiritualis homo, omne opus ſuum ternâ quâdam conſideratione preueniet: priùs quidem an liceat, deinde an deceat, poſtremò an expediat. Eſt *igitur* illa operatio actionis, locutionis & cogitationis illicita religioſo, quæ nimirum legi diuinæ & præceptis Eccleſiæ ac regulæ ſuæ aduerſatur. Indecens *verò* illa eſt, quæ ſecundum ſtatum agen-

cis, loquentis, & cogitantis inhonesta, seu inconueniens esse à prudentibus iudicatur. *Vel quoque* indecens est omne illud, quod redundat in scandalum pusillorum : tale autem est, quod præfert speciem peccati, seu quod formam habet illiciti, etiamsi rem ipsam non habeat. Vnde Apost. 1. *Cor.* 10. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Inexpediens *denique* actio, locutio, & cogitatio illa est, quæ caret vtilitate aut necessitate, siue spirituali siue corporali ; & hoc, vel propriâ vel alienâ. *Vnde* loco citato. D. Paulus ait. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.

ARTICVLVS V.

De modo viuendi: seu, de Regulis purgandorũ.

SPiritualibus studio suæ purgationis incumbentibus, huiusmodi obseruandæ sunt regulæ. *Prima est*, vt dum operantur, loquuntur, & cogitant aliquid vtilis aut necessarij, hoc faciant deliberatè, studiosè, & diligenter, ex charitate ad maiorem Dei gloriam, iuxta illud 1. *Cor.* 10. Omnia in gloriam Dei facite.

Secunda regula est, vt dum insistunt spiritualibus exercitijs internis, externa non negligant : nihilominùs tamen pluris æstimare debent interna exercitia, quàm externa : quia hæc propter illa coluntur, non è contra. Externa enim sunt sicut folia, quæ arborem ornant : interna verò sicut fructus, qui eam vtilem esse ostendunt. Vnde 1. *Tim.* 4. Corpo-

ralis exercitatio ad modicum vtilis eſt: pietas autem (*largè nimirum ſumpta, per quam quæuis exercitatio ſpiritualis ſeu interna ſignificatur*) ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ. Interna quidem exercitia, puta eſſe ſtudium virtutum, dilectionem ac meditationem diuinorum, mortificationem vitiorum & paſſionum, mentalem orationem, &c. Externa verò ſunt, labor videlicet manualis, mortificatio corporis, ieiunium, obſequia alijs exhibita, compoſitio membrorum religioſa, cuſtodia oculorum, &c.

Tertia regula eſt, vt ſemper in mente habeant propoſita prima, cum quibus ad Religionem venerunt, & ſecundum illa mores ſuos componere ſtudeant, ne dicatur illorum alicui illud *Apoc.* 2. Habeo aduerſus te pauca, quòd charitatem primam (*id eſt, primum feruorem ac prima propoſita*) reliquiſti.

Quarta regula eſt, vt in communitate diſcant ex improborum malis exemplis, quid fugere debeant: & ex moribus proborum bonis, quid agere propter Chriſti imitationem illos oporteat: hâc in parte imitantes, non araneas venena quærentes, ſed apes argumentoſas vbique mella colligentes: diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonũ.

Quinta regula eſt, vt defectus paruos diligenter nolle vitare, putent ſibi eſſe magnum vitium: quia defectus parui, dum à iuuenibus vilipenduntur & tempeſtiuè non corri-

guntur; sensim in magnos excrescunt. Vnde *Eccl. 9.* Qui spernit modica, paulatim decidit.

Sexta regula est, vt supra omnia spiritum compunctionis & deuotionis iugiter conseruare studeant. Spiritus autem compunctionis & deuotionis notat, *tum* habitualem compunctionem & deuotionem: nam habitus huiusmodi dicuntur spiritus in anima rationali permanentes, iuxta illud 2. *Tim.* 1. Non dedit vobis Deus spiritum timoris (mundani scilicet) sed virtutis & dilectionis. *Tum* actualem compunctionem & deuotionem feruidam: vel quoque ipsum significat feruorem compunctionis ac deuotionis, quo anima rationalis sursum erigitur.

Est autem compunctio duplex, *afflictiua* nimirum, & *consolatiua.* Afflictiua dicitur, quia causam sui inchoatiuam, habet timorem iustitiæ Dei: vnde etiam iuxta sui nominis translatiuam significationem non aliud est, quàm cordis punctio. Consolatiua dicitur, quia causam sui consummatiuam habet spem Dei in charitate fundatam. Et hæc compunctio idem est, quod contritio: quæ alias duplex habetur, *prima* nimirum & *secunda.* Contritio prima, est actus à voluntate hominis peccatoris, auxilio speciali adiuta elicitus, quo quis detestatur acta sua peccata, supra omnia detestabilia, propter solam Dei, summo semper honore & amore digni, offensam: cum firmo ac serio proposito amplius ea non

com-

committendi. Contritio ſecunda, eſt idem a-ctus à voluntate hominis iuſtificati, vel ex habituali contritione elicitus, vel ex habituali charitate imperatus.

Deuotio venit à deuoueo, quod eſt, quaſi Deo voueo: vel meipſum ac mea Deo liberaliter trado, addico, dedico, conſecro. *Vnde* deuotus idem eſt, quod Deo votus, datus, addictus, conſecratus: Et deuotio idem eſt, ac ipſa Deo ſui votio, datio, dedicatio, addictio, conſecratio. Eſt *igitur* deuotio vſu ſcholaſticorum, virtus, quâ voluntas facilis ac prompta redditur, ad ea fideliter & diligenter exſoluenda, quæ pertinent ad cultum & famulatum diuinum. *Verùm* iuxta ſpirituales, deuotio ſignificat quamlibet piam ac feruentem affectionem in Deum extenſam, vtpotè per meditationem ſeu contemplationem diuinorum, & charitatiuam dilectionem Dei procreatam & excitatam: ac deinde in eandem maioris iam charitatis ac intenſionis meditationem & dilectionem cæleſtium deſinentem. *Vel quoque* ſignificat facilitatem & promptitudinem animi, ad mentaliter orandum & quibuſuis ſpiritualibus exercitijs inſiſtēdum, cum ſenſione quâdam ſeu experientia ac perceptione cæleſtis ſuauitatis: vel cum quâdam teneritudine colliqueſcentis voluntatis.

Iiſdem autem ſpiritualibus præſens deuotio eſt duplex. *Prima* dicitur ſubſtantialis, fundamentalis & rationalis, quâ quis omne

illud quod Deo displicere nouit, vigenti animo abhorret, fugit, & execratur: ac omne illud, quod Deo placere cognoscit, strenuè amplectitur, & promptâ sincerâq; voluntate diligenter peragere studet; quamuis repugnante sibi suâ sensualitate & infirmitate carnis obsistente. Huic deuotioni opponitur ipsa indeuotio, quam constituit quædam deiectio animi, negligentia & tædium in rebus spiritualibus, maximè verò in ipsâ oratione.

Secunda deuotio dicitur accidentalis, & sensibilis, quæ est illa ipsa substantialis, fundamentalis, ac rationalis, quatenus coniunctam sibi habet voluptatem cælestem, diuinitus in affectum fundamentaliter deuoti hominis instillatum. Hâc D. Aug. initio suæ conuersionis, cùm in templo diuina audiret suauissimè afficiebatur, sicut *lib. 4. Confess. cap. 6.* ait. Voces influebant auribus meis, & eliquebatur veritas tua in cor meum: & ex eâ exæstuabat inde affectus pietatis, fluebant lachrymæ & benè mihi erat cum eis. Huic deuotioni, vel alias feruori deuotionis, seu teneritudini affectus, opponitur ipsa ariditas mentis: quæ idē est, quod subtractio suauitatis spiritualis.

Septima regula est, vt silentium asceticum, tam externum, quàm internum, diligenter obseruent. Silentium externum, seu oris, in hoc consistit, vt statutis temporibus quæuis vitentur colloquia, ne videlicet deuotio aut compunctio cordis in oratione mentali ac-

qui-

quisita, facilè tepescat, tanquam calor alicuius hypocausis apertis ianuis. *Vel quoque*, vt eadem compunctio ac deuotio remissa ac refrigerata, facilè denuò inflammetur ac renouetur: nam homo, dum tacet, habet locum & tempus deambulandi cum Deo; & cogitandi in profundo sui eius magnalia, & suos multiplices defectus examinandi, ex quo surgit vel deuotio vel compunctio cordis, iuxta illud, quod dicitur *Psal.* 38. Obmutui, & silui à bonis: & dolor (compunctionis) meus, renouatus est. *Item*, silentiū oris asceticum, seruat etiam aliquis, dum tempore collationum spiritualium, aut etiam aliorum fraternorum colloquiorum, non loquitur, nisi tardè, & hoc sola necessaria & vtilia, iuxta illud *Eccl.* 32. Adolescens loquere in tuâ causâ vix cùm necesse fuerit. *Vbi addit D. Bonau. inquiens*, Multò magis vix aut nihil loquaris, in non tuâ, vel in non causâ, *id est*, ex leuitate & vanitate. *Item*, seruat prætereà aliquis præsens silentium, quando tempore opportuno, breuiter, circumspectè, & humiliter loquitur: & hoc potiùs interrogatus, quàm importunas multiplicans interrogationes. *Vnde* Spiritus sanctus loco citato ait. Adolescens, si bis interrogatus fueris, habeat caput (*id est*, sit prudens) responsum tuum: in multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quærens. In medio magnatorum loqui non præsumas, & vbi sunt senes, non multùm loquaris.

Silen-

Silentium internum, vel alias silentium cordis ac mentis, egregiè seruatur tribus modis. *Primò*, dum primi motus sensualitatis inordinati, & rationis inferioris turbulenti discursus consurgentes tempore cuiusuis aduersitatis, statim ab initio vincuntur, & silere coguntur. *Secundò*, dum correptiones omnium æquanimiter acceptantur, & iniuriæ illatæ patienter tolerantur. Vnde *Prou.* 15. Qui abijcit disciplinam, despicit animam suam: qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis. *Tertiò*, dum proprij mores ac defectus, & non alieni considerantur, iudicantur, & contemnuntur, iuxta illud D. Francisci *cap.* 2. *in regulâ.* Vnusquisque iudicet & despiciat semetipsum. Et *Rom.* 14. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum: suo Domino stat, & cadit. Et *Matth.* 7. Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?

ARTICVLVS VI.

De spirituali sanitate, per studium purgationis acquirenda.

SAnitas mentis, ad quam per spiritualem purgationem venitur, *alia* est ascetica, *alia* mystica. Asceticam D. Bonu. *lib.* 2. *de prof. relig. cap.* 8. sic describit, inquiens. Sicut sanitas corporis consistit in integritate membrorum & sensuum, ac in ordinatâ qualitate humorum, & vigore spirituum; ita sanitas ani-

animæ consistit in rectâ & circumspectâ actione, in cauta locutionis obseruatione, in rectitudine voluntatis, in ordinatione affectionis, & vtilitate cogitationis.

Mysticam verò vel alias cælicam sanitatem, dicunt mystici habere aliquem, quando Deũ ineffabiliter cum quadam larga, opulenta, ac plenâ actuali gratiâ in sui sentit ac experitur intimo: vbi cælestibus exuperat institutionibus, dum puta secundum vim intellectiuam luminosus ac perspicax efficitur: & secundũ affectiuam, feruidus, gaudens, iubilans, ac omninò ebrius. Huic sanitati, opponitur ille languor, quem mystici vocant tartareum seu infernalem: qui incurritur, quando Deus cum omni suâ gratiâ se menti occultat: vbi mens ineffabilem infirmitatem, obscuritatem, ariditatem, ac miserrimam desolationem, & omnis experientiæ diuinorum carentiam patitur, ac in quandam deuenit desperationem, quasi iam non sit ampliùs receptura pristinã sanitatem, seu huiusmodi extraordinariam mysticorum consolationem.

DISTINCTIO II.

De spirituali illuminatione, actiua & passiua.

ARTICVLVS I.

De tribus gradibus actiuæ illuminationis.

DIcendum est primò, quòd purgationem spiritualem immediatè sequitur visio Dei, iuxta illud *Matth.* 5. Beati mundo corde: quoniam

niam ipsi Deum videbunt. Et visionem Dei, sequitur spiritualis illuminatio: quod figuratum est in Moyse, cuius facies cornuta, (*id est*, radijs cælestibus illustrata ac illuminata) apparuit ex consortio & intuitione Dei. *Vnde* est, quòd sicut solem materialem oculo corporeo tripliciter videre possumus: *Vel nimirum* in aliquo inferiori corpore resplendentē. *puta* in pariete, in turri, in terra, &c. *Vel* in eius radio aëri incorporato, relucentem: *Vel* in ipso corpore propriâque substantiâ, rotâ, ac fonte solari, se suo lumine manifestantem. Ita solem spiritualem, ipsum scilicet Deum benedictum (de quo illud est *Malach.* 4. Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ) tripliciter oculo mentis potest quis videre: *Vel nimirum* in aliquo subiecto inferiùs relucentem: *Vt est*, creatura, scriptura sacra, Christi humanitas, & ipsa anima rationalis seipsam cognoscens: *Vel* in radio eius diuino alicuius similitudinis ac speciei deiformis, intimè se spiritui repræsentantem: *Vel* denique in suâ propriâ substantiâ, seu in suo esse reali ac naturali se clarè reuelantem.

Dicendum secundò, quòd mens, vt actiuâ potiatur illuminatione, in quadruplici subiecto inferiori, Deum, solem videlicet iustitiæ (cuius sol iste materialis obscuram gerit imaginem) videre debet: inquantum enim Deū hoc modo mens intuetur, ac eius diuina cognoscit, intantum ab eo, mediâ suâ actiuitate illu-

illuminationem accipit, iuxta illud *Psal.* 26. Dominus illuminatio mea & salus mea. *Ps.* 88. Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt totâ die.

Primò igitur, actiuè mens illuminanda, Deum ac ipsius veritatis claritatem cernere ac percipere debet in creaturâ, per discursum scilicet speculationis, iuxta illud 1. *Cor.* 13. Videmus nunc per speculum (*creaturarum*) in ænigmate (*id est, in obscuritate fidei: & in obscuritate specierum à creatura abstractarũ*) tunc autem facie ad faciem. Et *Rom.* 1. Inuisibilia enim ipsius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Et *Sap.* 13. A magnitudine speciei creaturæ, cognoscibiliter potest creator videri.

Secundò, mens vt actiuam consequatur illuminationem, videat ac percipiat Deum in sacrâ scripturâ, per studium asceticæ meditationis, necesse est. Vnde *Ps.* 118. dicitur. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. *Item.* Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est.

Tertiò, oportet vt Deum, ac perfectionũ veritatumque eius æternarum claritatem in Christo relucentem conspiciat, per plenam vitæ illius immaculatæ imitationem, ac passionis sacrosanctæ piam recogitationem. Nam vt ipse ait *Ioan.* 10. Ego sum ostium ouium, per me. (*id est, per mei cognitionem ac imitationem*)

tionem) si quis introierit (*ad cognitionem scilicet diuinitatis meæ, quæ essentialiter vna est cum diuinitate Patris*) saluabitur. Item *cap.* 14. Qui videt me, videt & Patrem meum.

Quartò, oportet vt anima rationalis videat Deum claritatemque veritatum eius æternarum in seipsa relucentem, per cognitionem sui, iuxta illud *cuiusdam* effatum. Nosce teipsum, vt noscas Deum. Nemini enim Deus seipsum ac mysteria sapientiæ suæ reuelare dignatur, nisi qui ex cognitione sui (*id est* ex cognitione suæ vilitatis, inutilitatis, miseriæ, ignorantiæ, & iniquitatis) seipsum despicit, ac sibiipsi vilescit, vt patet ex illis verbis ipsius Domini *Matt.* 11. Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ: quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelâsti ea paruulis. *id est*, humilibus ac sese vilificantibus.

Dicendum tertiò, quòd vbi ascetica mens conspexerit ac viderit solem iustitiæ claritatemq; veritatum eius æternarum in subiectis inferioribus: *vel aliàs*, vbi deuenerit, *tum* ex cognitione effectuum seu creaturarum, in cognitioné primæ causæ seu Creatoris: *tum* ex cognitione verborum sacræ scripturæ, in cognitionem ipsius Dei, verba huiusmodi loquentis: *tum* ex cognitione filij, in cognitionem Patris: *tum* ex cognitione imaginis, in cognitionem imaginantis: statim necesse est eam illuminari asceticâ seu actiuâ illuminatione, iuxta illud *Dauidicum*. Accedite ad eum

&

& illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Hæc autem actiua illuminatio, *alia* habetur intellectualis, *alia* affectualis.

Illuminatio *intellectualis*, nihil aliud est, quàm transitio mentis de tenebris ignorantiæ, in claritatem cognitionis diuinarum ac spiritualium veritatum. *Vel quoque* idem est, quod discussio ac expulsio de anima rationali tenebrarum infidelitatis, per lumen fidei sanctæ; & intellectio mysteriorum Dei proprio studio cum cælesti auxilio comparata, rectam homini demonstrans viam, quâ perfectè Deum sequatur ac imitetur. Illuminatio *affectiua* idem est, quod eruditio & inflammatio mentis, quæ spiritualis vitæ disciplinam fouet ac promouet. *Vel* idem est, quod transitio mentis de tenebris vitiorum, per studium asceticæ mortificationis, in claritatem virtutum Christi Domini ac eius imitationis, iuxta illud quod ipse dicit *Ioan.* 8 Qui sequitur me, non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vitæ. *Vel* idem est, quod experimentalis notitia diuinarum veritatum. Pro cuius rei declaratione: nota veritatem huiusmodi, *aliam* esse mentis, quam constituit assensus intellectus: *aliam* oris & auris, quæ in scholis docetur, ac in Ecclesijs prædicatur & auditur: *aliam* moris, quæ consistit in probitate vitæ & adimpletione iustitiæ Christianæ: & hæc veritas dicitur aliàs practica: quæ dum sapit menti, dicitur experimentatiua & affectiua.

Dicen-

Dicendum quartò, quòd ſicut aliquis viator, tunc *primâ* potitur illuminatione, vtpotè ſenſitiua ſeu corporali, quando illi per lucem cæleſtem ſuum hemiſphærium aſcendentem facultas datur, nonniſi diſcernendi viam propriam ab alienâ, ac in eâ quæuis proxima & grauia tantùm conſpiciendi & cauendi præcipitia, ac nocumenta corporalia: ſed *ſecundâ*, quando ſecus viam ſuam homines diſcernit ab animalibus & arboribus, eorumq́; in agris operationes aut exercitia manualia ſatis dignoſcit: tandem *tertiâ* ac perfectâ gaudet illuminatione, dum iam legere poteſt, aut legit ipſam ſcripturam. Ita quoque viator ſpiritualis, *primum* gradum aſceticæ illuminationis habere probatur, dum in facto eſſe viam iniquitatis, à via veritatis ac iuſtitiæ perfectè diſcernit: ita vt illam plenè deſerat, & in æternum deteſtetur; hanc autem ſeriò eligat, efficaciter arripiat, & ſtabiliter ac perſeueranter conſummare nitatur: prudenter nimirum cauendo & ſuperando per continuũ orationis mentalis ſtudium maiora & proximiora pericula ac nocumenta ſpiritualia. *Vt ſunt* principia politica, & habitus praui.

Secundum gradum aſceticæ illuminationis quis habere cenſetur, quando affectiones ſuas animales ac propenſiones immoderatas habens perſpectas, continuo mortificationis vſu prudenter ac perſeueranter animaduertit: operationeſque bonorum ſtudiorum *vtpotè* ſan-

ſanctarum virtutum in agro præſentis Eccleſiæ, à ſanctis hominibus, præſertim verò à Chriſto Domino, ipſo actu confectas, perbellè meditatur, & egregiè imitatur.

Tertium illuminationis gradùm mens aſcetica conſequitur, quando ex continuâ ſacrarum literarum ac ſpiritualium librorum lectione, & quotidiano meditationis ſtudio, iugiq́ue orationis mentalis exercitio, ac perfectâ Chriſti imitatione, in ſobriè experimentalem Dei ac diuinorum deuenit notitiam: faciliq́; modo ex quouis creaturarum obiecto, ſimplici contuitu & ardenti amore in Deum aſcendit. *Vel item*, quando perfectè transformatur in ſanctas myſteriorum fidei vſitatas ſeu ordinarias imagines: in quas tamen non poteſt aſcetica mens transformari, ſeu penitùs illis depingi, niſi priùs abnegauerit ac repudiauerit quaſuis alias imagines contemplationem ordinariam impedientes. *Vtpotè* nociuas, vanas, & impertinentes. Loquimur autem hoc loco ex mente myſticorum, non de imaginibus externis, puta ſculptis aut pictis, quas exterior ſenſus apprehendit; ſed de internis, quas idem eſſe exiſtima, quod formas aut ſpecies interiores, obiecta exteriora intellectui repræſentantes.

Imagines nociuæ, dicuntur illæ ſpecies, quæ mente reuoluuntur, vel cum oblectatione ſenſitiuâ, vel cum alio quouis affectu perturbato. *Vt ſunt* ſpecies bonorum temporalium,

lium, amicorum, parentum, prosperitatum, aduersitatum, iniuriarum, defectuum alienorum, &c.

Imagines vanæ ac inutiles, non aliæ sunt, quàm antecedentes: quæ tamen eò ab eis differunt, quod dum incidunt menti, eam inordinatis non succendunt affectionibus.

Imagines impertinentes habentur, dum aliqua bona ac vtilia cogitantur, quæ nimirum externæ conuersationi ac vitæ actiuæ deseruiunt: necnon, dum se ingerunt menti aliquæ apprehensiones seu cogitationes scrupulosæ, formidolosæ, aliæque huiusmodi: imò etiam, dum veniunt in mentem aliquæ cogitationes seu speculationes mysteriorum, cælestium, quæ scilicet non eleuant ac inflammant affectum.

Imagines verò quibus asceta interius depingi ac penitus in illas per studium contemplationis ordinariæ transformari debet, quasquè prudenter percurrere tenetur, antequàm ad extraordinarias seu infusas proficiat ac eleuetur, *aliæ* in palæstrâ mysticorum dicuntur vtiles, *aliæ* nobiles, *aliæ* mundæ ac puræ.

Vtiles imagines, puta esse species menti infixas mysteriorum fidei, quæ meditari aut ordinariè contemplari solemus: *&c. potè* beneficiorum Dei, in ordine ad æternas Deo nostro gratiarum actiones referendas: peccatorum pristinorum, ad detestandam omnem offensionem diuinam: miseriarum propriarum, ad humi-

humiliandam ac deprimendam nostram elationem: mortis nostræ, ad contemnendas oblectationes carnales: iudicij diuini, ad expurgandam & timore Dei configendam conscientiam: pœnarum infernalium, ad fugiendum mundum cum suis concupiscentijs: gloriæ cælestis, ad erigendam spem in Deum, & excitandum amorem virtutum: vitæ Christi Domini, ac præsertim sacratissimæ passionis eius, ad imitandum, compatiendum & reamandum.

Imaginibus nobilibus depingit mentem ipsa iugis apprehensio mysteriorum fidei: *Vtpote* incomprehensibilis vnionis Verbi diuini cum natura humana, ad laudandum & superexaltandum Deum altissimum: excellentiæ quoque, dignitatis, ac diuitiarum animæ humanæ, quam Deus clementissimus sic adamauit, ad accendendum desiderium vniendi eam spiritui diuino: Sacrosancti Corporis Domini in Eucharistia, ad gustandum quàm suauis sit Dominus.

Imagines mundæ ac puræ, hoc loco illæ dicuntur, quæ à creatura consideratione abstrahi non possunt, tamen propria intellectus actiuitate formantur, non absque imaginationis adminiculo: ac inde ordinariæ dici solent. *Vt puta esse* apprehensionem præsentiæ seu immensæ existentiæ infinitæque potentiæ, & simplicissimæ essentiæ diuinitatis: nec non, in vna essentia trium personarum Sanctissimæ

Trinitatis, æternæque filij ex Patre generationis, ac eiusdem in eodem immansionis: atque etiam processionis ex Patre & Filio Spiritus sancti, ac illius in ijsdem immansionis, ad admirandum videlicet, timendum, honorificandum, & glorificandum altissimum.

ARTICVLVS II.

De tribus gradibus passiuæ illuminationis.

DIcendum est primò, quòd spiritualis aliquis in *primo gradu* passiuæ illuminationis quadrupliciter à Deo constitui solet. *Primò*, quando suauitate cœlesti sic impinguatur ac perungitur, vel *aliàs* abundantiâ gratiæ sensibilis seu inundatione deuotionis accidentalis perfunditur, vt eo ipso secundum vim affectiuam plenè emolliatur, permoueatur ac inflammetur; & secundum intellectiuam erudiatur, illustretur, ac illuminetur, ad inferiora scilicet contemnenda, & superiora amplectenda. *Vnde* hæc suauitas cœlestis, seu gratia sensibilis; aut etiam charitas, dilectio, & amor dulcis, est illa ipsa vnctio spiritus, quâ mediâ fideles in omnibus ad salutem pertinentibus diuinitùs erudiuntur, iuxta illud *Ioan.* 2. Vos vnctionem habetis à sancto, & nôstis omnia. *Et infra.* Vnctio eius docet vos de omnibus.

Secundo, quando idem spiritualis eâdem suauitate cœlesti secundum vim affectiuam penitùs destituitur, & in quadam spirituali aridi-

ridi-

riditate, vel alias in diuina desolatione ac derelictione collocatur: qui in tanta vicissitudine seu alteratione se esse conspiciens, incipit quadam laborare non modicâ suspicione, putans se fortè iam perijsse aut aliquo modo à Deo retrocessisse: vnde nimio affectus tædio, cum magna solicitudine & dolorosa anxietate suique ipsius profunda humiliatione sursum affectuosè in Deum agere non desinit, donec totaliter per recuperationem plenæ cælestis confidentiæ in Deo seipsum inueniat: ac deinde per integram affectuosam suiipsius in Deo submersionem (*id est*, in eius diuino beneplacito, propriæ voluntatis per perfectam resignationem) se amittat ac perdat, iuxta verba æternæ veritatis *Matt.* 16. Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Cum igitur sic spiritus desolatus ac obscuratus ex recessu aut subtractione illius cælestis lucis, seu spiritualis vnctionis, insistit huiusmodi sursum actioni & profundæ immersioni; sensim diuinitùs consolatur, & ignotè ac occultè illuminatur, dum videlicet in cognitione suiipsius, & notitia maiori vitæ spiritualis, ac in studio virtutum promouetur.

Tertio modo aliquis in hoc gradu passiuæ illuminationis constituitur, quando ex diuina speciali prouidentia priuatur quauis prosperitate huius vitæ, & exponitur varijs tentationibus & aduersitatibus præsentis sæculi; ita vt ferè omnibus videatur esse consumptus & à

Deo derelictus, ac à facie illius proiectus. Vnde est *Isa.* 58. Orietur in tenebris lux tua: & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. *quasi dicat.* dum in tenebris plurium tentationum & aduersitatum consumptus & annihilatus iudicaberis, orietur menti tuæ lux cælestis consolationis & eruditionis iucundissima & clarissima, tanquam meridies. Item *Psal.* 113. Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius. *id est.* quantò maiores homo fidelis patitur tenebras calamitatum huius sæculi; tantò magis diuinitùs occultè consolatur ac illustratur.

Quartò, constituitur quis in præsenti gradu illuminationis, quando ex diuina inuestigabili sapientia, aliquando permittitur labi in aliquem defectum infamem, pro quo ille quantò magis ingemiscens seipsum coram Deo diuexat & affligit; tantò per illius gratiam clariùs illuminatur, ita vt post huiusmodi lapsum humilior, deuotior & cautior in vita spirituali reddatur, iuxta illud *Eccl.* 51. In sapientia eius, luxit anima mea, & ignorantias meas illuminauit.

Dicendum secundò, quòd spiritualis in hoc *altero gradu* passiuæ illuminationis non constituitur, nisi solem iustitiæ, mente suâ eleuatâ supra omne absolutum & irretentibile actualiter conspexerit ac viderit in ipso eius radio. *Hinc nota* triplicem esse radium diuinum, sicuti habetur in Mystic. Theol. *cap.* 2. *part.* 1. apud D. Bonauenturam.

Primus

Primus radius est, qui resplendet ac apparet menti (depuratæ scilicet ab omni errore & peruersa affectione) in aliquo subiecto inferiùs illustrato, ac præsertim in sacra Scriptura, in qua sub cortice literæ sensus anagogicus inuenitur, quo mens tanquã per quendam radium multipliciter & mirabiliter illuminata ac erudita, ad amorem sui Creatoris erigitur. De hoc radio S. Dionysius *de diuin. nominibus cap.* 1. sic ait. Indicibilia autem casto silentio venantes, ad illucescentes nobis in sanctis eloquijs splendores exercemur, & ab ipsis illuminamur.

Secundus radius à sole spirituali missus, apparet in seipso menti depuratæ à principijs sui iuris, & ab innatis vitiorum habitibus: quo mens ineffabiliter eleuatur, suspenditur, illustratur ac eruditur, ad contemplandum spectacula supercælestia. *Vt sunt* exemplares æternarum veritatum, ac iudiciorum diuinorum rationes, generatio æterna, nexus Spiritus sancti, & alia huiusmodi. Sicut enim per solares in aëre resplendentes radios, & non per aliquod aliud lumen sensibile, oculus carnis ad intuitionem solis materialis erigitur: ita etiam oculus mentis, per immissos à sole iustitiæ radios, & non per aliquam aliam scientiam, aut alicuius mortalis Doctoris industriam ac eruditionem, ad cognitionem occultorum supercælestium eleuatur. De hoc radio illud est S. Dionysij *apud D. Bonauent.*

loco citato. Verte te ad radium. *id est*, iam tandem post multa exercitia, auerte oculos mentis tuæ, à claritate seu irradiatione solis iustitiæ in subiecto aliquo inferiùs resplendente, ac ab omni lumine humanitùs acquisitæ scientiæ: & conuerte illos per ingressum intra teipsum ad radium tibi desuper venientem; per quem ad contemplationem diuinorum, multò magis quàm antea illuminaberis, & in amore Dei flammigero promoueberis: quia sicut spiritus rationalis seu mens nobilior est cunctis inferioribus ac sensibilibus; ita etiam nobiliùs per immediatum diuinæ bonitatis radium illuminatur & inflammatur, quàm per cætera in quibus resplendet eadem bonitas diuina.

Tertius radius solis iustitiæ (de quo est præsens intentio) apparet etiam in seipso menti depuratæ ab omni absoluto & irretentibili, per sursum sui eleuationem actibus ecstaticis, & alienationem à sensibus inferioribus. De hoc radio S. Dionysius ad Timotheũ sic dicit. Consurge ignotè. (*id est*, *ipso affectu nudo*, *absque scilicet cognitione ordinaria*) ad eius vnitionem, quæ est supra omnem substantiam & cognitionem: etenim excessu (*id est*, *alienatione*) tuiipsius ab omni irretentibili & absoluto, mundè ad supersubstantialem diuinarum tenebrarum radium sursum ageris.

Hinc tria notanda veniunt. *Primum est*: quod S. Dionysius illo verbo *Consurge*, vult signi-

significare, simul ibi operari naturam, & gratiam doni cuiusdam extraordinarij: à qua præsens illuminatio, passiua dicitur. Et illo verbo. *Sursum ageris*. vult significare, quòd non naturâ, sed gratiâ mens ad experimentalem & immediatam cognitionem cælestium eleuatur: quamuis tamen per naturam animus ad huiusmodi gratiam disponatur. *Secundum est*, quòd præsens radius dicatur potiùs *tenebrarum* quàm luminum, vt *nimirum* cognoscatur, quòd mens ad istum gradum illuminationis eleuata, maiorem (*vtpotè* extraordinariam) accipiat illuminationem ac notitiam diuinorum, quàm in prioribus gradibus: quia sicut lucis clarissimæ natura est caliginem seu tenebras creare in oculis corporeis; ita & huius lucidissimi radij solis iustitiæ natura est causare ac efficere in oculis spiritualibus quandam caliginem ac tenebras ignorationis, quæ est secundum superlationem, non autem secundum priuationem cognitionis. Ac inde est, quòd veri Mystici dicantur Deum ac diuina cognoscere per ignorantiā: *tum scilicet*, quia ad hanc cognitionem extraordinariam eleuati, à cognitione ordinaria alienantur: *tum* quia hanc cognitionem adepti, cognoscunt se ignorare: quod ignorare, est quoddam experimentatiuum ac mysticum, non verò speculatiuum, scire, Deum scilicet esse incomprehensibilem, incogitabilem, inimaginabilem, inuestigabilem, inuisibilē,

sed totum desiderabilem, amabilem, honorabilem, &c. *Tertium est*, quòd sicut perfectionem actiuæ illuminationis, constituit transformatio mentis in spirituales diuinas imagines ordinarias, humanâ nimirum actiuitate formatas: ita & perfectionem huius passiuæ illuminationis, constituit transformatio mentis in spirituales diuinas imagines extraordinarias, cælitùs nimirum infusas, per quas repræsentantur mystico purè obiecta supercælestia. *Vnde est*, quòd puræ imagines in duplici differentia habentur: *quædam* enim illarum (de quibus supra) puræ dicuntur, sed non nisi obiectiuè seu ratione obiecti, quod puta esse purissimum, *Vt est* Deus vnus & Trinus: *quædam* puræ dicuntur operatiuè (de quibus intentio præsens) *id est*, tam ratione obiecti, quàm ratione operationis, quæ est diuina, non autem humana sicuti prior.

Dicendum tertiò, quòd spiritualis in tertio gradu passiuæ illuminationis non constituitur, nisi solem iustitiæ in sua propria sphæra conspexerit: *hoc est*, nisi ipsum Deum in suo esse reali seu naturali ac essentiali viderit, iuxta illud *Ps.* 16. Satiabor (*tuâ scilicet illuminatione & amatione*) cùm apparuerit gloria tua. *Hinc notandum est*, quòd sicut munditia cordis seu puritas mentis, quam requirit visio Dei (iuxta illud *Matt.* 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deū videbunt.) *alia* est inchoatiua, *alia* completiua, ita etiam & visio Dei, *alia*

alia est imperfecta, & *alia* perfecta. Puritatem mentis *inchoatiuam*, vel aliàs præambulam ac dispositiuam ad visionem Dei constituit depuratio, *tum scilicet* vis intellectiuæ ab erroribus, vt ea quæ de Deo proponuntur non concipiantur secundum erroneas opiniones: *tum* vis appetitiuæ, ab omni videlicet affectuum inordinatione. Puritatem mentis *completiuā*, respectu nimirum visionis Dei, constituit alia depuratio, *tum* etiam vis intellectiuæ à phantasmatibus ac absolutis, vt nimirum Deus ac diuina non concipiantur per modum corporalium phantasmatum, seu cum conuersione ad phantasmata: *tum quoque* vis appetitiuæ, ab omni scilicet irretentibili.

Visio Dei *imperfecta* illa est, quæ ad intuitum, imaginationis cooperationem ac phantasmatum impuritatem admittit: & hanc visionem asceticæ contemplationis facit donū intellectus inchoatum, secundum quod ordinariè habetur in via. Visio *perfecta* huius viæ, vel aliàs pura, est illa, per quam etsi non videatur Deus omnino clarè, ac sicuti est, videtur tamen purè ac nudè in suo radio, seu in sua quadam similitudine ac imagine Deiformi: & hanc visionem facit donum intellectus mysticæ contemplationi, secundum quod extraordinariè habetur in via.

Visio patriæ illa est, per quam videtur Deus intuitiuè, & clarè in suo scilicet esse reali ac naturali; & hanc visionem facit donum intel-

lectus consummatum, secundum quod erit in patria.

Visio eminentissima propria huius loci illa dicitur, quæ est media inter puram huius viæ, & claram patriæ, de qua *S. Thom. 2. 2. quæst. 80. art. 1.* sic ait. Supremus gradus contemplationis præsentis vitæ, est, qualem habuit Paulus in raptu (vbi eum vidisse diuinam essentiam idem S. Doctor asserit *quæst. 175. art. 3.*) secundum quem fuit medio modo se habens inter statum præsentis vitæ & futuræ. Id ipsum etiam confirmat D. Bonauentura, septimum ac vltimum extraordinariæ contemplationis gradum assignans *Gloriam*, id est, visionem Dei gloriosam, non quidem permanentem, qualis est Beatorũ, sed transeuntem, qualis est specialis diuinæ dispensationis.

DISTINCTIO III.

De spirituali vnione, tum actiua, tum passiua.

ARTICVLVS I.

De actiua mentis cum Deo vnione.

DIcendum est primò, quòd vnio actiua spiritualis à D. Bonauentura de Reductione artium ad Theologiam, prope ipsum finem, sic describitur. Sicut natura corporalis, animæ non potest vniri, nisi mediante humore, mediante spiritu, & mediante calore; quæ tria disponunt carnem, vt vitam suscipiat ab anima. Ita Deus, non præstat vitam animæ, nec ei etiam vnitur, nisi sit humida per gemi-

tum compunctionis & pietatis; & nisi sit spiritualis per contemptum omnis terrenitatis; & nisi sit calida per desiderium ipsius dilecti & patriæ cælestis. *Et infra.* Manifestatur Dei & animæ vnio, cùm vis animæ rationalis assentitur primæ veritati propter se & supra omnia: cum irascibilis innititur summæ largitati: & cum concupiscibilis adhæret summæ bonitati: tunc qui hoc modo adhæret, vnus spiritus est cum Deo. *hæc ille.*

Dicendum secundò, quòd vnio actiua, *alia* est communis, *alia* specialis. Communis illa dicitur, quâ omnes fideles iusti, per actus, vtpotè communis omnium saluandorum, contritionis, fidei, spei, & charitatis, ac vsum sacramentorum, Deo suo stabiliter conformes effecti, coniunguntur. Illa autem contritio, fides, spes, & charitas communis est, quæ hominem facit quidem Deo gratum, ac ab omni peccato liberum, sed nondum à vitijs & passionibus expeditum. Specialis verò, vel alias ascetica vnio illa est, quâ rationalis anima, speciali internæ deuota castitati, per continuum interioris mortificationis exercitium, & assiduum omnium virtutum Christianarum studium, & per frequentissimum ordinariæ contemplationis vsum, plenè Deo conformatur.

Dicendum tertiò, quod sicut castitas corporis duplex est: quarum *altera* (vtpotè coniugalis) consistit in abstinentia, ab illicitâ commixtione corporum; & *altera* (nempe

virginalis & vidualis) in abstinentiâ, etiam ab ipsâ eiusmodi commixtione licitâ & honestâ. Ita quoque castitas seu integritas mentis *duplex* est, communis videlicet & specialis: quarum *primam* constituit abstinentia mentis ab illicitâ coniunctione cum adultero diabolo, per quoduis peccatum mortale: *secundam* verò, abstinentia mentis à licitâ etiam cum creaturis coniunctione, per proprium sui ac suorum amorem, ex quo multiplicia vitia nascuntur, quibus animæ puritas maculatur. *Vnde est*, quod consortes *primæ* spiritualis castitatis, communem sibi cum Deo promerentur vnionem: sed *secundæ* participes mentis integritatis, vnione speciali Deo digni efficiuntur copulari.

Dicendum quartò, quòd vnionis præsentis, vel alias spiritualis copulationis, connubij, ac matrimonij, mentionem facit D. Paulus dicens 2. *Cor.* 11. Despondi enim vos, vni viro virginem castam exhibere Christo. *Vbi nota*, quòd *Despondi* in Græcâ versione, idem etiā significat, quod conciliaui, & connubio iunxi: quia hæc sunt tria officia paranymphi seu pronubi. Sicut enim virgo nubilis, antequàm ad nuptias perueniat, *priùs* conciliatur sponso per sponsorem seu paranymphum; *posteà* ei despondetur; *tandem* desponsata matrimonio iungitur. Ita mens ascetica, antequàm sponso cælesti matrimonio spirituali copuletur, *priùs* illi conciliatur seu beneuola ac amica

ca redditur, videlicet per ingressum religionis, præsertim alicuius reformatæ: *deinde*, despondetur per emissionem votorum solemnium. *tandem*, spirituali iungitur connubio, per plenã specialem suæ voluntatis cum voluntate illius conformitatem, *vtpotè* in volito, in fine, & in modo: de quibus in articulo sequenti singillatim dicendum est.

ARTICVLVS II.

De volito, fine, & modo, in quibus anima rationalis Deo conformis esse debet, anhelans ad plenam eius vnionem.

VOlitum Dei, est id, quod Deus vult, voluntate scilicet beneplaciti. Est enim voluntas Dei duplex *beneplaciti* nimirum & *signi*. Voluntas deinde beneplaciti, *alia* est antecedens, quæ conditionata dicitur, non quidem ex parte sui actus, sed ex parte concausæ liberæ, & ideo sæpe non expletur. De hâc voluntate illud est 1. *Tim.* 2. Hoc enim bonum est & acceptum coram Saluatore nostro Deo: qui (*quantum ex ipso est, modo scilicet secundæ causæ non sint impedimento*) omnes homines vult saluos fieri. Et *Ezech.* 33. Nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat. *Alia* voluntas beneplaciti, dicitur consequens, quæ est absoluta, & ideò nunquam remanet inexpleta. De hâc voluntate illud est *Isaia.* 46. Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Voluntas signi dicitur,

quidquid nimirum declarat voluntatem beneplaciti, *vt sunt* præcepta, monita, consilia, &c. per quæ Deus significat quid à nobis requirat. De hâc voluntate illud est *Matth. 7.* Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Hanc autem diuisionem puta esse, non rei, sed vocis: sicut enim ira potest accipi, *vel* propriè, pro motu iræ; vel metaphoricè, pro signo iræ: ita voluntas Dei sumitur dupliciter, *vel nimirum* propriè, & sic est voluntas beneplaciti; *vel* metaphoricè, & sic est voluntas signi. *Primo* modo dicitur Deus aliquid velle, & hoc velle ipse Deus est. *Secundo* modo dicitur Deus aliquid velle, & hoc velle non est Deus, sed beneplaciti eius signum, declaratio, ac manifestatio. *Hinc est* quod voluntas Dei, per se est recta, efficax & irreprehensibilis: *vnde*, quia est recta, nullus est rectus, nisi per imitationẽ conformetur ei: quia est efficax, nihil sine illa potest effici, & nihil contra illam potest fieri, & per nullum potest impediri: & quia irreprehensibilis est, nihil agit nisi benè, nihil permittit nisi iustè, nihil prohibet nisi malũ, nihil præcipit nisi bonum, nihil consulit nisi maius bonum: & sic diuini beneplaciti sunt quinque volita seu signa, *vtpotè*, prohibitio præceptio, consilium, permissio & impletio: quæ apud *D. Bonau.* illo versiculo comprehen-

henduntur. Præcipit & prohibet, permittit, consulit, implet.

Contra prohibitionem, præceptionem, & consilium potest adhuc aliquid fieri: quia se habent vt in fieri: ac ideò magis videntur voluntatem Dei respicere antecedentem, quæ quandoque remanet inexpleta, quàm consequentem; eo quod expletio illius consistat etiam in libera hominis voluntate, quam Deus cogere aut necessitare non vult. Contra verò permissionem & operationem seu impletionem nihil potest fieri: quia se habent, vt in facto esse: & quod factum est, non potest non fieri: ac ideò magis videntur voluntatem Dei respicere consequentem, quæ nunquam non expleta manet, quàm antecedentem.

Primum itaque signum voluntatis diuinæ, est Prohibitio, obligans voluntatem nostram ad vitandum peccatum: idemque est, quod præceptum Dei negatiuum, quo prohibemur mala operari, *vtpotè* non furari, non occidere, non mæchari, &c.

Secundum est Præceptio, obligans voluntatem nostram ad faciendum bonum: idemq; est, quod præceptum affirmatiuum, quo diuinitus iubemur facere bona opera, *vtpotè*, diem sabbati sanctificare, parentes honorare, Deum diligere ex toto corde, &c.

Tertium signum dicitur Consilium, quod nihil aliud est, quàm persuasio melioris boni, ad quod non tenemur; *vel* idem est, quod do-

ctrina, per quam cognoſcimus ſupererogatio-nis opus(quod conſulitur ac ſuadetur nobis) afferre præmium, ſi fiat: & non afferre ſupplicium, ſi non fiat, *Vt eſt* diſciplina Euangelicæ paupertatis, obedientiæ, caſtitatis, humilitatis,&c.

Quartum ſignum diuinæ voluntatis dicitur Permiſſio, quæ tunc eſt, cùm Deus non impedit fieri malum cùm poſſit; & hoc propter bonum, quod ex malo permiſſo elicere intendit. Vnde S. Auguſt. *lib. Enchiridij.* Melius iudicauit Deus de malis benè facere, quàm nulla mala eſſe permittere. Licet autem Deus velit malum permiſſiuâ ſuâ voluntate (eo enim ipſo velle probatur, quod non cohibeat ac impediat fieri illud, cùm poſſit) tamen nulla ratione dici poteſt auctor mali: quia non concurrit ad formale illius, niſi ad materiale: *Vel* quia, non conniuet illi vllo modo; conniueret autem, ſi prohibitione ſuâ peccatum non præueniret, aut punitione non ſubſequeretur. Malum itaque quod fieri Deus permittit *triplex* dicitur: *Primum*, eſt malum culpæ, quod eſt iniuſtitia generalis, ſiue abſentia debitæ honeſtatis: *Secundum* malum pœnæ, quod eſt abſentia debitæ delectationis, cùm ſenſu ſui contrarij. *Tertium* eſt malum pugnæ ſeu tentationis, quod tenet medium inter iſta: nam diabolo eſt culpa in inſtigando, & homini eſt pœna in reluctando.

Malum culpæ Deus permittit, vel iuſtè

non

non præueniendo animam rationalem suo efficaci auxilio, ad plenè declinandum ac deserendum peccatum, eo quod se aliquo modo non studuerit præparare ac disponere ad recipiendam gratiam à Deo sibi oblatam, iuxta quod *Eccl.* 2. dicitur. Qui timent Dominum præparabunt corda sua. Vel quoque iustè deserendo ac destituendo animam eodem auxilio suo efficaci, propter illius incuriam, tepiditatem, & negligentiam in cooperando gratiæ sibi datæ, iuxta illud *Apoc.* 3. Quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo. Ex hoc autem malo culpæ, in quod Deus hominem cadere iustè permittit, vnum è duobus bonis in præsenti vitâ elicit diuina potentia, sapientia, & bonitas: aut enim homo, si à peccato per pœnitentiam resurgit; cautior, humilior, & diligentior in profectu vitæ spiritualis redditur: aut si in peccato obstinatus remanet; alios, inique vexando in virtute exercet, iuxta illud *S. Aug.* Ne putetis gratis esse malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis enim malus aut ideo viuit, vt corrigatur; aut ideo viuit, vt per illum bonus exerceatur.

Malum pœnæ seu aduersitatis ac miseriæ in hâc vitâ permittit Deus pati suos electos; *Vel nimirum* vt eo ipso præseruentur à peccato, ad quod facilè possent in prosperitate suas extendere manus. Vnde S. Paulus de seipso 2. *Corin.* 12. testatur dicens. Ne magnitudo

tudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Sathanæ, qui me colaphizet. Et *Psal.* 124. dicitur. Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum (*non vigilare*) vt non extendat iusti ad iniquitatem manus suas. *Vel* vt in eis per quasuis afflictiones præteritum purgetur ac sanetur peccatum. Vnde *Ioannis* 5. Ecce sanus factus es, vade, & amplius noli peccare. Et *S. August.* Intelligat homo medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem. *Vel* vt per patientiam iusti, glorificetur Deus, & opera eius manifestentur. Vnde *Ioan.* 9. Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo. *Vel* vt proximus patientiâ iusti ædificetur; quâ de causâ in sanctum Iob & Tobiam multa mala & aduersa permisit Deus. *Vel* vt electus Dei aduersitates patienter sustinendo, hoc ipso magis iustificetur, ac in perfectione Christiana maiorem faciat profectum, iuxta illud *Iacobi* 1. Patientia opus perfectum habeat, vt sitis perfecti & integri. *Vel denique*, vt iustus haberet occasionem inimicos diligendi, ac pro ipsis orandi propter imitationem Christi, & insuper vitam æternam abundatiorem promerendi: Quoniam (vt dicitur *Act.* 14.) per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.

Malum pugnæ, seu tentationis permittit Deus

Deus in suos iustos ob plurima bona, quæ inde elicere solet. Vnde 1. *Cor.* 10. Fidelis autẽ Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum. Et *Iacob.* 1. Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis; scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habeat, vt sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes. Hæc quoque bona D. Augustinus paucis comprehendit verbis, scribens in *Psal.* 61. Tantum admittitur diabolus tentare, quantùm tibi prodest vt exercearis, vt proberis: vt qui te nesciebas à teipso inueniaris.

Quintum signum diuinæ voluntatis, dicitur Impletio seu operatio: omne enim quod est in hâc totius creaturæ amplissimâ vniuersâque republicâ, per ipsius Dei non nisi aut efficientem aut coëfficientem voluntatem est. Vnde *Ioan.* 1. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Notandum autem triplicis generis esse effectus huius diuinæ voluntatis impletiuæ: quorum quidem effectuum primus claret in ipsâ productione creaturæ ex nihilo, & in illius regimine & gubernatione. Vnde *Psal.* 113. dicitur. Deus autem noster in cælo, omnia quæcunque voluit fecit. Et *Sap.* 11. Omnia in numero, mensurâ & pondere disposuisti. In mensurâ quidem Deus omnia disposuit: dum quædam

eorum

eorum mensus est duratione temporis; ita vt habeant initium & finem, sicuti sunt animalia, plantæ, &c. quædam æuiterno, quæ nimirum habent initium, sed non finem, *vt sunt* Angeli, Animæ rationales, corpora cælestia. In numero deinde Deus creaturam disposuit, faciendo scilicet illam distinctam ab inuicem, non solum genere ac specie, verùm etiam ipso numero; ita vt lapidem noluerit esse animal irrationale; & animal irrationale noluerit esse hominem; & Petrum noluerit esse Paulum, & subditū noluerit esse Dominum, & pauperem noluerit esse diuitem, nec è contra. Vnde est 1. *Reg.* 2. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat. Et *Psal.* 99. Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos. In pondere tandem, omnia disposuit Deus, dum cuncta in suo proprio centro collocauit, *vtpotè*, terram in loco infimo inter cætera elementa; animalia in terrâ, pisces in aquis, aues in aëre, Angelos bonos in cælo, &c.

Alterum genus impletionis ac operationis diuinæ, elucet in quorundam hominum gratificatione seu iustificatione; & in quorundam obduratione: iustificat autem homines Deus, dum gratis ac misericorditer, imo etiã & iustè, nimirum ex condecentia bonitatis suæ diuinæ, gratos facit sibi illos, per suam videlicet prædestinationis, vocationis & iustificationis gratiam: Obdurat verò eo ipso, cùm

non

non mollificat voluntatem peccatoris suâ præueniente efficaci gratiâ, propter illius indispositionem: *Vel*, cùm eandem gratiam peccatori subtrahit, propter iustas rationes.

Vltimum impletionis genus est, dum iusti per hanc voluntatem impletiuam, ex immensa bonitate Dei, pro bonis operibus finaliter saluantur; & impij ex iustitia, pro malefactis æternaliter damnantur.

Finis, est ipsa gloria Dei, propter quam & ipse Deus fecit omnia: & nos, omnia quæ operamur, propter illam operari vult. *Modus*, est ipsa charitas. *Vnde* cùm aliquid volumus ac operamur, quod etiam Deus vult nos velle ac operari: necesse est vt velimus ac operemur illud ex charitate, in charitate, & secundum charitatem, sicut etiam & ipse Deus eodem modo vult ac operatur omnia. Nam in hoc solo consistit plenitudo conformitatis, quando nimirum voluntas nostra, actu suo conformatur Deo, non solùm in volito & fine, verùm etiam in ipso modo volendi. *id est*, in charitate. *Vnde quoque*, tantò plenior iudicatur esse conformitas, quantò perfectior ac nobilior inest ei charitas; tantò autem perfectior ac nobilior charitas esse perhibetur, quantò prudentior, suauior, & fortior esse experimentaliter cognoscitur.

ARTICVLVS III.

De multiplici conformitate voluntatis nostræ, cum voluntate diuina.

Con-

Conformitas seu conformatio voluntatis nostræ cum voluntate diuina, *alia* est imperfecta seu defectuosa, *alia* plena ac perfecta. Conformitas vitiosa seu defectuosa multiplex inuenitur. *Prima* est, quando quis conformatur Deo in volito tantùm; & non in fine, neque in modo volendi: quod facit cùm vult id simpliciter, quod etiam Deus vult, & quod obligatoriè vult hominem velle. *Vt sunt* præcepta eius, tam negatiua, quàm affirmatiua: quibus adde consilia Euangelica, quæ etiam Deus vult hominem velle, sed non obligatoriè, nisi post vota emissa. *Secunda* est, quando quis vult id, quod Deus vult; sed quod non vult hominem velle: quia illud non congruit homini velle. Non vult autem Deus hominem velle, nec congruit homini velle, malum videlicet, siue temporale siue æternũ inimico suo; quamuis illud velit ei Deus propter scelera ipsius: quia contrarium velle præcipit homini, vt patet *Matt.* 5. Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. *Tertia* est, quando quis Deo conformatur in volito (in illo videlicet, quod quidem Deus vult; sed quod non vult hominem velle, eo quòd illud non congruat illi velle) & in fine, sed non in modo volendi: hoc autem fit, quando aliquid facit ad gloriam Dei, vel alio fine bono, sed non ex charitate, sicut Caiphas Christum voluit mori, vt non tota gens pereat *Ioan.* 15. Vnde

D. Bo-

D. Bonau. *in sent. sententiarum libri primi, dist. vltima.*

Velle pati Christum, quòd mundus eo redimatur,
Approbo: sed reprobo, cùm quis vult vt moriatur,
Sanctum velle pati, quòd sanctus glorificetur,
Vel quòd sacra fides, per eum magis amplificetur,
Coprobo: sed reprobo cùm quis vult vt crucietur.

Vnde etiam *D. Aug.* In eodem facto inuenimus Deum Patrem, in quo & Iudam: Patrem benedicimus, Iudam autem detestamur: Nam traditio Christi facta est à Deo Patre, & Iuda: Vna res facta est, quam tamen Pater & filius fecit in charitate, Iudas in proditione. *Inde quoque est*, quòd ascetæ, dum meditantur passionem ac mortem Christi, mirificè gratias ei referendo, de ipsa lætantur; inquantum videlicet ex charitate pro redemptione mundi eam liberè pati voluit: sed deinde tristantur ac dolent, inquantum ex odio ad illam traditũ & condemnatũ eum esse cognoscunt.

Quarta conformitas non plena est, quando quis Deo conformatur in volito & in fine, sed non in modo: puta, in volito, quod Deus vult, & quod vult hominem velle. Sic Deo conformatur ille, qui ædificat aliquod templum, pro gloria Dei, sed cum temporali præiudicio proximi, sicuti faciunt oppressores suorum subditorum: vel cum detrimento illius spirituali, sicuti faciunt hæretici.

Quinta est, quando quis conformatur Deo in modo & in fine, sed non in volito. Vnde

D. Aug.

D. Aug. *in Ench. cap.* 101. Aliquando bonâ voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult: tanquam si bonus filius, Patrem vult viuere, quem Deus bonâ voluntate vult mori. Et S. Bonau. *loco citato.*

Non vult sæpè Deus, quod homo benè velle
probatur. (riatur.
Viuere cùm Patem vult quis: Deus, vt mo-

Sed hæc conformitas ad plenã ac perfectã reduci potest: *Tum*, quia non vult Deus, velle filium patris sui mortem, ante absoluti decreti cælestis promulgationem, cognitionẽ & executionem. *Tum*, quia non ita semper tenemur in volito materiali nos conformare Deo, sicuti in formali tenemur. *Exempli gratiá*, Vult Deus patrem meum damnari, vult Ecclesiam sanctam ab inimicis suis opprimi, &c. licet ergo non tenear idem velle; teneor tamen in volito formali (*hoc est*, in ratione volendi) me eatenùs conformare, quatenùs non potest mihi licitè displicere, sub eâ ratione, quâ vult Deus. Hinc *B. Maria de Ognies*, intelligens diuinitus matris suæ damnationẽ, propter certa peccata; cùm anteà amarissimè pro illâ fleret, desijt flere, conformans se voluntati diuinæ iustissimæ.

Sexta conformitas imperfecta est, quando quis in modo & fine, ac etiam in ipso volito, scilicet condicionato (quale est omne decretum Dei comminatorium) absolute conformari vult. Hâc ratione Ionas conformabatur

Deo

Deo suo, dum ex charitate erga ipsum, & ad maiorem eius gloriam, cuperet impleri decretum comminatorium de subuersione Niniue ciuitatis magnæ, facta iam coram Deo Niniuitarum pœnitentia.

Septima est, quando quis conformatur Deo volito & modo, sed non in fine, scilicet principali, *Vt*, cùm quis dat eleemosynã ex charitate erga Deũ & proximũ, sed principaliter propter bonũ aliquod temporale obtinendũ.

Conformitas verò plena ac perfecta est, quando quis Deum absolutè imitatur in volito, modo & fine. *hoc est*, in eo quod Deus vult, & quod hominem vult ad gloriam sui nominis ex charitate efficaciter velle. *Vt*, cùm vult hominem, affectu scilicet ac effectu declinare mala, facere bona, & pati aduersa. Sed quia duo sunt modi declinandi mala, prosequendi bona, & sufferendi aduersa; *Vel nimirum* secundum legem præcepti, ac obligationis necessariæ & vniuersalis: *Vel* secundum legem consilij, & obligationis spontaneæ ac specialis: ideo etiam duplex est plena ac perfecta conformitas, vtpotè necessitatis & supererogationis, quarum altera constituit vnionem communem, altera specialem.

ARTICVLVS IV.

De tribus gradibus supererogatiuæ conformitatis, tres gradus specialis vnionis actiuæ, constituentis.

PRimus gradus conformitatis seu conformationis diciturResignatio superabundans voluntatis nostræ, in diuinam tam mediatam quam immediatam voluntatem : est enim resignatio voluntatis nostræ alia sufficientiæ, alia superabundantiæ. *Prima* supponit, *tum* fugam omnis peccati mortalis perpetuam, occasionisque illius proximæ desertionem : *tum* obseruantiam eorum, quæ sunt legis, præcepti, ac obligationis necessariæ & vniuersalis : & significat paratum ac promptum animum ad quæuis prospera deserenda,& aduersa sufferenda, vbi ageretur de gratia & amicitia Dei conseruanda, saluo tamen iure proprio, secundum quod cuilibet licitum est se ac sua, publicâ authoritate defendere : sed hæc resignatio sufficientiæ,ad vnionem communem, seu conformitatem necessitatis pertinet. *Altera* resignatio scilicet superabundantiæ,supponit,*tum* abnegationem stabilem ac efficacem bonorum temporalium , quæ sunt mala occasionaliter, seu occasiones remotæ peccatorum : *tum* obseruantiam eorũ, quæ sunt legis consilij, ac obligationis spontaneæ & specialis ; & significat animum ab omni iure proprio expeditum, ac paratum & promptum ad omnia prospera deserenda & quæuis aduersa sufferenda,propter solã Christi Dei imitationẽ,& maiorem gloriam,& hoc iuxta modum voluntatis diuinæ , tam scilicet mediatæ quàm immediatæ. Resignat *igitur* volun-

voluntatem suam pius asceta (*nimirum* per internam illuminationem diuinam ac propriam experientiam edoctus, quam videlicet periculosum sit homini, seipsum suo regere consilio, aut suis confidere electionibus) in voluntatem Dei mediatam; quando ex deliberatione animi sui, liberaliter, promptè, totaliter & absolutè (*id est*, absque vlla exemptione) tradit, offert, dat, ac donat suum proprium velle suo superiori, ad obediendum eius imperio in omnibus, tam corporalibus, quàm spiritualibus, quæ non sunt contra regulam & animam suam; minimè considerans, vtrum sit ille discretus, siue indiscretus; doctus, siue indoctus; beneuolus, siue maleuolus; nisi quòd sit suus Prochristus, & interpres diuinæ voluntatis, ac antistes Dei; & quòd nihil de se disponere possit, nisi quod Deus ipsi concesserit. Resignat *deinde* voluntatem suã vir spiritualis in voluntatem Dei immediatã: quando deliberato animo, promptè & simpliciter transfundit suum velle in diuinum beneplacitum; ita vt quidquid ei occurrat aduersi, totum de manu Dei libenter accipiat, non autem à creatura, velut ex æterna paterni cordis eius dilectione sibi transmissum. *Vel quoque*, dum sic se totaliter diuinæ ordinationi ac dispositioni tradit & committit, vt etiamsi omni quo potest studio, per cæleste auxiliũ adiutus, cũcta bona efficaciter velit quæ Deus vult eum velle ac facere; tamen propte-

rea, tam in tempore quàm æternitate nulla bona expectare, ac à Deo exigere vult, desiderio nimirum ampliùs illi placendi: nec non (etiamsi ex diuina gratia) nulla mala velit & agat, tamen omnia mala & aduersa, tam præsentis, quàm futuri sæculi, libenter pati eligit, & sustinere vult, si quoque idipsum Deus vult ad maiorem sui gloriam: & hoc desiderio perfectè se conformandi patienti Christo Deo suo.

Hinc quæri potest: vtrum Deus pœnas purgatorij, vel quod plus est, cruciatus inferni, velit ad gloriam suam, velle fideles pati; sicuti aliquando vult illos quæuis probra ac tormẽta, pro fide, iustitia, & lege sua, velle sustinere? *Respondetur primò.* Non vult Deus communiter, quemlibet fidelem velle æterna pati mala, præsertim verò reum peccati mortalis, nec etiam hoc ipsum congruit illi velle: quia per eiusmodi resolutionem ac resignationem, tepidior ac tardior euaderet ad pœnitentiam de suis delictis faciendam, & inde ad obstinationem ac desperationem facilè sibi pateret aditus. *Respondetur secundò.* Vult Deus propter gloriam & amorem sui, fideles perfectos, quales ascetæ esse debent, velle sustinere quæuis mala futuri sæculi (*vt sunt*, pœnæ purgatorij, & cruciatus inferni) quandò illa ante eorum oculos mentis ponit ac præsentes facit: quod etiam velle, quia nimirum congruit illis, ipse clementissimus Domi-

nus

nus in eis efficere dignatur. Congruit autem ac multipliciter prodest ascetis eiusmodi velle, præsertim de prædestinatione tentatis, ad captiuandum & quietandum eorum intellectum: nec non, ad depurandum, ac etiam declarandum amorem amicitiæ erga Deum: tandem, ad obtinendum maius meritum ac præmium. *Respondetur tertiò.* Non vult Deus quempiam fidelem, siue perfectum siue imperfectum, velle absolutè pœnas subire æternas: quia hoc ipsum nemini fidelium congruit velle; nisi conditionatè ac secundum quid. Conditio hæc debet esse respectu Dei; *vt videlicet*, velit hoc malum homo subire, si voluntas, honor, ac amor Dei postularet; sequereturq; inde vtilitas spiritualis ac æterna proximorum. Secundum quid verò, pœnas infernales velle pati, idem est, quod aliquas tantùm? est enim triplex pœna infernalis, *vtpotè* pœna damni, pœna sensus, & pœna morsus conscientiæ. Pœna damni deinde duplex: *prima* est, per quam quis separari potest à visione, tentione, & fruitione Dei, beatâque societate Christi ac Sanctorum eius in cælis: *Secunda* est, ipsa scilicet priuatio gratiæ Dei, & separatio à charitate Christi. *Vnde*, nonnisi ad primam pœnam damni, & ad pœnã sensus, liberalissimè ac promptissimè resignat se verus mysticus diuinæ voluntati ac ordinationi, absque tamen sua culpâ; quod quidem non repugnat illi velle: quia maius putat esse

bonum, huiusmodi obeditionem voluntati diuinæ, & quæsitionem gloriæ Dei, ac saluationem proximorum; quàm propriam (vtpotè, vnius hominis) beatitudinem: sicut etiam è contra maius malum æstimat, inobedientiã aliquam diuino beneplacito, minimumque dishonorem infinitæ maiestatis, ac plurium hominum reprobationem, quàm suam (vnius videlicet personæ) damnationem. *Deinde*, quia nec spes, nec charitas boni viri per hoc aliquatenus læditur ac minuitur, sed potiùs magis ac magis promouetur, augetur, depuratur, & versus Deum erigitur, ac securior per internum diuinum instinctum redditur, quod totum per experientiam mysticorum constat esse certum. *Tandem*, quia gratissimus Dominus, tantâ liberalitate suæ creaturæ, sic non potest non vinci, vt ei omnino non velit rependere vicem amicitiæ suæ, pro vice tam charitatis perfectæ. Talis etiam fuisse censetur resignatio ac voluntas SS. Pauli & Moysis dicentium, *Rom.* 9. Optabam ego ipse anathema esse à Christo, pro fratribus meis. *Exod.* 23. Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quẽ scripsisti.

Ad alteram verò pœnam damni, & ad vermem seu remorsum conscientiæ, nullatenùs se resignare asceta vult ac potest: quia hoc ipsum absolutè est summum malum, in toto videlicet repugnans charitati, & debito fini, ac volito Dei, in quibus consistit ratio nostræ

con-

conformitatis. *Vnde*, cùm aliquando (suppositâ sicut priùs conditione) resignat se mysticus, amore nimirum superno succensus, ordinationi diuinæ, tam videlicet ad priuandum se gratiâ cælesti, quàm ad illius possessionem; tam ad carentiam virtutum quàm ad habitionem earum; tam ad præsentiam & sensionem vitiorum ac defectuum, (non quidem ob suã incuriam & negligentiam in profectu vitæ spiritualis, sed ob beneplacitum diuinæ voluntatis) quàm ad absentiam, ac plenam victoriam eorum. Hoc intelligi debet, non de gratiâ, quâ iustificamur & sanctificamur, participesq; diuinæ naturæ efficimur; sed de gratiâ sensibili cælestis consolationis, vel aliàs deuotionis accidentalis: nec de virtutibus vocationi nostræ necessarijs, sed solùm ad perfectionem maiorem spectantibus: nec de vitijs actualibus, sed non nisi de habitualibus, post peccata actualia per pœnitentiam deleta, ad nostram tentationem, vexationem, probationem, eruditionem, humiliationem, & in charitate Dei promotionem, diuinâ prouidentiâ relictis.

Secundus gradus præsentis conformitatis, est Indifferentia, nostræ videlicet voluntatis respectu voluntatis diuinæ: quæ quidem indifferentia, nihil aliud est, quàm prompta ac liberalis traditio ac donatio animi nostri, Dei beneplacito, ac æternæ eius dispositioni, ad æqualiter videlicet sequendum & amplectendum res inter se maximè contrarias, ac sibii-

psis nimis aduersantes. Est autem huiusmodi indifferentia duplex: *altera* quæ ad primum potiùs, quàm ad hunc secundum gradum præsentis conformitatis spectat; *altera*, quæ propria est loci istius. *Prima* igitur indifferentia voluntatis, consistit in parato animo, tam videlicet ad sufferenda patienter aduersa huius vitæ, quàm ad suscipienda humiliter prospera pro Dei beneplacito; tam ad ariditatem & angustias cordis, obnubilationesq; mentis, toto vitæ tempore in patientia sustinendas, si ita Deo visum fuerit, quàm ad consolationes diuinas, iucunditatesque spirituales in humilitate ac timore Dei percipiendas & retinendas. *Deinde* consistit in animo non magis addicto vitæ, quàm morti; valetudini quàm ægritudini; contemptui & infamiæ quàm bonæ famæ; quietitudini mentis, quàm inquietitudini, ex varijs tentationibus prouenienti, puta, absque culpa propria. *Præterea* in expedito animo, ad manendum videlicet tam in loco sibi grato, quàm non grato; tam cum fratribus gratis, quàm non gratis; ad habendum tam gratum, quàm non gratum sibi superiorem; ad administrandum diligenter tam gratum sibi officium, quàm non gratum, ad obediendum tam probis, quàm improbis hominibus propter imitationem Christi, in omnibus, quæ non sunt contra animam & regulam. *Secunda* indifferentia voluntatis, præsentis gradus, consistit in resoluto, prompto,
ac

ac parato animo ad ſufferenda aduerſa, tam ſibi venientia à Deo immediatè, quàm mediatè, per quamcunque creaturam & caſum: ad perſecutionem & correptionem propter imitationem Christi tolerandam, tam moderatã quàm immoderatã, tam ex charitate ac zelo, quàm ex odio ac maleuolentia proficiſcenté: ad ſuſtinendum pro Dei beneplacito, tam hoc genus mortis, & cuiuſcunque mali, quàm alterum; tam hanc, quàm alteram ægritudinẽ hâc maiorem; tam hunc morbum, dolorem & cruciatum, vtpotè certum & vſitatum, intenſum ſed compendioſum; quàm alium, vtpotè incertum, inuſitatum, tyrannicum, inopinatum & prolixum: ad ſuſcipiendas purgatorij pœnas, tam remiſſas quàm intenſas; tam breui quàm prolixo tempore duraturas; vel alias tam ad pœnas purgatorij, quàm ad cruciatus inferni (ſeclusâ omni culpâ) ſi ita Deus decreuerit ad maiorem ſui gloriam, & proximorum vtilitatem.

Tertius gradus conformitatis ſupererogatiuæ, dicitur vnio ſpecialis ac perfecta (ſicut enim primi gradus conformitas, quæ dicitur reſignatio, vocatur vnio incipiens; ſecunda verò, quæ dicitur indifferentia, vocatur vnio proficiens; ita hæc tertij gradus conformitas, dicitur vnio perfecta.) Vnde eſt, quòd etiam vnio præſens, vocatur vnio conformitatis: dum enim ſpecialiter mens vnitur Deo, tunc inter ſpiritum humanum & ſpiritum diuinum

perfecta celebratur conformitas; ficut vice versâ, dum perfectè mens conformatur Deo, tunc inter spiritum humanum & spiritum diuinum plena vnio consummatur, ita vt deinceps duo isti spiritus, non nisi vnus spiritus sint; sicut patet 1. *Cor.* 6. Qui adhæret Domino (*nimirum per mentis conformitatem*) vnus spiritus (*cum eo fit, &c.*) est. vtpotè per copulā vnitiuæ charitatis, & stabilem voluntatis consensum.

Est autem charitas vnitiua, vel aliàs amor vnitiuus, idem quod virtus, quæ de amante & amato appetit vnum efficere: habens duo officia, seu duos respectus, quorum *altero* intuetur amatum, & ei adstringit amantem; *altero* intuetur voluntatem amati, & ei conformat amantem; ita, vt amans perpetuò amatum habeat, & quantùm potest, sentiat ac percipiat in intimo sui eius præsentiam; & è conuerso, amans in suo amato viuat, ac in eo eiusque beneplacito conquiescat.

Porro, eadem vnio conformitatis, dicitur etiam similitudinis, amicitiæ, sobria, &c. *Similitudinis* quidem ob eandem rationem sicut & conformitatis: nam eo ipso anima Deo similis efficitur, quo & conformis. Verùm causâ clarioris intellectionis dicendum est, quòd homo in hac vita duplici insignitur Dei similitudine, naturali nimirum & supernaturali. *Naturali* quidem in creatione, vt patet *Gen. cap.* 1. Faciamus hominem ad imaginem & similis

militudinem nostram. *quasi velit dicere.* formemus hominem, cuius anima sit vnitatis essentiæ nostræ, & trium personarum nostrarũ expressiua & imitatiua. *Vnde*, sicut Deus, est Trinus, & vnus, ita anima cùm sit vna, habet tres potentias, nempe memoriam, voluntatem & intellectum, quibus capax est Dei. Hæc similitudo Dei in homine, eò quòd naturalis sit, ac ipsi naturæ intimè & indelebiliter impressa, amitti non potest, nisi etiam ipsa deleatur natura. *Supernaturali* verò similitudine Dei insignitur homo in regeneratione baptismali: *Vel etiam* in recreatione pœnitentiali, vbi infunditur ei diuinitùs gratia iustificans, ac sanctificans, quâ efficitur diuinæ consors naturæ. *Hinc* est, quòd similitudo supernaturalis, quâ anima fit Deo similis in iustitia, sanctitate ac perfectione (iuxta illud *Leu.* 19. Sancti estote, quia sanctus ego sum Dominus Deus vester. Et *Matt.* 5. Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est) ab hominis libero arbitrio pendet, eoq́ue mortaliter per peccatum deficiente, illicò deperditur ac deformatur; sicut etiam è contra, illo per gratiam Dei iustificantem resurgente, protinùs deinde recuperatur ac reformatur, & in dies magis ac magis perficitur, nimirum per actus virtutum fidei, spei, & charitatis, ac ipsam Christi Domini imitationem, donec voluntas ardore cælesti succensa, sic diuinæ voluntati similis ac vniformis efficiatur, vt nihil

in illa reperiatur, quod huic repugnare possit; memoria quoq; sic tota occupetur Deo, vt intellectui, non nisi solū Deū offerat cōtēplādū.

Dicitur verò *amicitia*, quia, qui hâc vnione Deo vnitur, perfectè Deum diligit amore amicitiæ, videlicet propter se, in se, & secundum se; *nec non*, prudenter, dulciter, & fortiter, *id est* ex omnibus viribus animæ suæ, vtpotè ex vi rationali, concupiscibili, & irascibili, tanquàm summè potentem, sapientem & bonum. *Vel*, quia in eo elucent erga Deū omnia signa amicitiæ. *v. g.* libenter eum audit loquentem ad se, vtpotè verbis sacræ Scripturæ, aut internæ inspirationis, & eius acquiescit consilijs: libenter de illo loquitur ac sæpè cogitat: sine tædio illi obsequitur: vitam ac omnia bona tēporalia libenter pro illo exponit: offensam eius minimā cauet, & offensū protinùs humiliter placat: gaudet de ipsius gloriâ, & tristatur de irreuerentiâ: cupit ei nimis placere, ac timet vnquam displicere: conatur alios trahere ad eius amicitiam, &c.

Dicitur quoque *affectuosa & sobria*; quia qui hac speciali vnione actiuâ firmiter adhæret Deo, nonnunquam affectus eius, ac tota anima sic abundanter sensibili gratiâ, ac suauitate cælesti, saporeque musti spiritualis diuinitus perfunditur, penetratur, impletur ac sobriè inebriatur; vt eum omninò ad plenam rationis inferioris, proprij iudicij, propriæq; voluntatis, & amoris sui alienationem, deue-

nire

nire necesse sit. *Vnde est*, quòd sic sobriè vir spiritualis inebriatus, propter amorem ac imitationem Christi, omnem temporalem reprobat prosperitatem, & tanto ipsam fugit affectu, quanto homines mundani omnem fugiunt aduersitatem: *Nec non*, exemplo eiusdem Domini IESV, omnia eligit præsentis sæculi aduersa (*vt sunt* contumeliæ, conuitia, improperia, & quæuis iniuriæ) ac tanto animi feruore illa prosequitur, quanto amatores vanitatis, quæuis prospera, læta, magnifica, ac delectabilia suscipiunt & amplectuntur. *Imo*, quod plus est, madens eiusmodi musto cælestis fruitionis, in supremoque gradu actiui amoris amicitiæ residens, nullum Dei donum spirituale, siue præsentis, siue futuri sæculi, præter eorum largitorem diligit, nec ab illo præter ipsum solum, ac illius gratiam, in tota æternitate requirere vult. *Tandem* nullum spirituale malum, quod sibi à Deo inferri potest, veretur, timet, ac recusat, tam in tempore, *vt est*, desolatio animæ, & subtractio cælestium ac spiritualium influentiarũ: quàm in æterno, *vt est* reprobatio ad pœnam sensus; modo ista mala, eueniant sibi non ob suam negligentiã in profectu spirituali, aut ob culpã propriam, sed ex mera Dei beneplacente voluntate, in quam se semper magis ac magis profundare ac submergere contendit. In gradum præsentis vnionis, ascetica anima ipso actu erecta, non nisi altero pede à mystico distat con-

 nubio,

nubio, seu, à passiua vnione. Hanc asceticam vnionem D. Bonau. *lib. 2. de prof. relig. c. 12.* describit sic: Hæc est hominis in hac vita sublimior perfectio, ita inhærere Deo, vt tota anima cum omnibus potentijs suis, & viribus in Deum collecta, vnus fiat spiritus cum eo: vt nihil meminerit nisi Deum, nihil sentiat vel intelligat nisi Deum, & omnes affectus in amoris gaudio vniti in sola conditoris fruitione suauiter quiescant. Imago enim Dei in anima, in tribus eius potentijs expressa consistit, scilicet in ratione, memoria & voluntate: quamdiu istæ non sunt ex toto Deo impressæ, non est anima deiformis. Forma enim animæ Deus est, cui debet imprimi sicut sigillo signatum. Hoc nunquam plenè fit, nisi cum intellectus perfectè iuxta capacitatem suam illuminatur ad cognitionem Dei, qui est summa veritas; & voluntas perfectè afficitur ad amandum summam bonitatem; & memoria plenè absorbetur, ad intuendam, & tenendam, & fruendam summam felicitatē. *hæc ille.*

Hinc summatim dicendum venit, quòd anima *in primo gradu* præsentis conformationis seu vnionis constituta, adhuc sentit in se aliquam, ex radicula proprij amoris pullulantem, renitentiam ac repugnantiam, voluntatis videlicet naturæ, & sensualitatis; nec non, contradictionem & remurmurationem quandam inferioris rationis, quo tamen ipso, nullatenus impeditur eius libertas volunta-

tis rationalis, ac resignati animi promptitudo. *In secundo* autem gradu, habet anima de dono gratiæ Dei, post diutinum videlicet mortificationis studium, continuumq; orationis mentalis exercitium, quòd iam superata omni difficultate superioris gradus, miram semper experiatur facilitatem, in tolerandis quibuscuis huius vitæ malis, & aduersitatibus. *In tertio gradu*, omnia mala & aduersa, ex se videlicet amara & onerosa, conuertuntur ipsi animæ in quandam verbis inexplicabilem, spiritualem dulcedinem; vbi ipso gustu interno cognoscit iam, onus & iugum Christi, esse omnino leue ac suaue.

Præterea dicendum est, quòd inter hos gradus conformationis seu vnionis, talis est differentia: quia *in primo gradu*, voluntas supererogatiuè resignata, eligit quidem aduersa pati propter imitationem Christi, sed etiam & prosperis omninò non renunciat: *in secundo verò*, voluntas indifferens, prosperis iam abnegatis, tam erga duriora & grauiora, quàm erga faciliora ac leuiora quæuis aduersa toleranda, pro Dei beneplacito, æqualiter se habet suâ promptitudine: *in tertio gradu*, voluntas plenè conformata ac vnita Deo, quæuis aduersa dum absunt (ob Christi dilectionem) habet in desiderio; dum adsunt, sustinet in gaudio; & prospera, sunt illi in fastidio, cum patientiâ. In duobus gradibus prioribus conformitatis huius, dicitur anima Christo

vniri; sed in hoc tertio, etiam in Christum transformari.

Tandem dicendum est, hanc vnionem ac transformationem sobriam, propriè esse asceticam & ordinariam ratione actiuitatis humanæ; Mysticam verò & extraordinariam (sed non nisi inchoatè, ac secundum quid) ratione scilicet infusionis cælestis, seu sobriæ potionis spiritualis cælitùs venientis.

ARTICVLVS V.

De vnione passiuâ, tum naturali, tum supernaturali.

VNio passiua animæ cum Deo, generatim considerata, illa dicitur, quæ haberi non potest per humanam actiuitatem & operationem, nisi per diuinã sui communicationem ac illapsum: communicat autem se Deus animæ, seu illabitur ac vnitur ei, duobus modis, nempè naturali, & supernaturali. Naturaliter illabitur ac vnitur Deus animæ (sicuti & alijs omnibus creaturis) dum simul ac semper est cum illa in vno eodem loco, per suæ potentiæ, præsentiæ, & essentiæ immensitatem. Per *potentiam* quidem est, videlicet dominando ei, eamque moderando, gubernando, & conseruando. Vnde *Act.* 17. Non longe est ab vnoquoque nostrum; in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus. Per *essentiam verò* est, quoniam substantiâ suâ diuinâ assistit & coëxistit animæ, eamque peruadit, penetrat, in-

habi-

habitat, & implet, sicut & alia omnia. Vnde *Ierem*, 23. Numquid non cælum & terram ego impleo? Et *Ephes.* 4. Vnus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Per *præsentiam* tandem, *vel alias* per inspectionem; quia adest animæ sicut & cæteris cognitione, quâ omnia existentia & possibilia cognoscit, & comprehendit. Vnde *Eccl.* 23. Oculi Domini multo plùs lucidiores sunt sole, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. Et *Psal.* 138. Domine probâsti me & cognouisti me, tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam, intellexisti cogitationes meas, &c. Ab hac tamen vnione communi, quâ vnitur Deus omni creaturæ, tam rationali quam irrationali, tam animatæ quã inanimatæ, excluduntur omnes impij homines & diaboli, inquantum videlicet sunt tales; sed inquantum sunt creaturæ Dei, non excluduntur. *Vnde* non licet dicere, Deum per suam immensitatem vnitum esse impio ac diabolo: quia Deus non habet se causaliter ad eorum culpam; nisi vnitum esse homini & Angelo, qui per suam culpam factus est impius & diabolus.

Supernaturaliter autem, alias gratuitè, in præsenti vitâ, duplici modo Deus illabitur ac vnitur animæ, *primò* permanenter, *secundò* transeunter, vnio permanens seu habitualis

(quæ

(quæ est peculiaris omnium iustorum, tam videlicet adultorum, quàm paruulorum ante vsum rationis) constituitur per infusionem gratiæ gratum facientis, seu iustificantis ac sanctificantis: sicut enim per peccatum magna fit distantia Dei à nobis, seu ab animabus nostris, iuxta illud *Isa.* 59. Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum; Ita deinde per gratiam nobis à Spiritu sancto infusam, sic strictè copulamur ac vnimur Deo, vt eo ipso efficiamur consortes seu participes diuinæ ipsius naturæ, filijque Dei nominemur ac simus; nec non, in Deo manere dicamur, ac vice versa, ille ad nos venire, & in nobis habitare credatur, quod ipsum patet 2. *Petr.* 1. Per quem (*nempè, per Christum*) maxima & pretiosa nobis promissa donauit: (*puta, Spiritum sanctum, medijs ipsius donis gratuitis*) vt per hoc efficiamini diuinæ consortes naturæ. Et 1. *Ioan.* 3. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus. Et *Ioan.* 1. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Et *Ioan.* 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. *Sed nota*, quòd participamus naturam diuinam, non quidem essentialiter, *id est*, immediatè, sicut tres personæ SS. Trinitatis participant: nec personaliter, sicut Christus vt homo: verùm accidentaliter; quia gratia Dei,

Dei, quâ media hæc participatio fit, accidens est. Sumus quoque filij Dei, non per generationem & natiuitatem naturalem, sicut Christus vt Verbum; sed per regenerationem spiritualem, ac diuinam adoptionem: seu, non per transfusionem realem immediatè in nos naturæ paternæ; verùm per infusionem nobis gratiæ suæ diuinæ, ac per eam in familiam cælestem, iusque hæreditarium, nostri receptionem. Manet tamen ac habitat Deus in nobis essentialiter ac substantialiter, medio scilicet effectu suo, iustitiæ inhærentis seu gratiæ iustificantis, quæ non est vna simplex qualitas in anima, sed multa complectitur, vtpotè fidem, spem, charitatem, & alia dona, ac ipsum Spiritum sanctum, auctorem donorum. Quemadmodum enim radius à sole, & sol à radio præscindi nequit, nec lux solis à calore, aut calor à luce separari potest; ita quoque à Spiritu sancto, gratia ac cætera eius dona alienari nequeunt; nec Spiritus sanctus à suis donis gratuitis abesse potest. *Hinc colligitur*, quòd Spiritus sanctus, ac tota SS. Trinitas, in animâ iusti, tanquam in proprio suo templo, vtpotè conciliato, consecrato & sanctificato, supernaturali modo, non solum accidentaliter, intentionaliter, ac obiectiuè, puta per gratiam, cognitionem, & amorem; verùm etiam essentialiter, substantialiter, personaliter ac realiter (medijs tamen suis donis) per seipsum habitat. Vnde etiam est, quòd hæc v-

nio

nio supernaturalis, vtpotè permanens ac habitualis, meritò dici potest partim accidentalis, partim substantialis; quia mediantibus donis Spiritus sancti gratuitis (quæ sunt accidens in anima) substantialiter ac realiter Deus vnus ac Trinus animam inhabitat, ac eam sibi coniungit; non quidem sui, sed ipsius animæ, facta mutatione.

Vnio passiua supernaturalis, vtpotè transiens seu actualis, quæ propria est mysticorum, perficitur interueniente illapsu Dei mystico, in animam. Illabitur autem Deus modo mystico animæ, dum se illi in illius intimo, seu apice spiritus, extraordinariè manifestat ac reuelat, vtpotè, per suam inactionem seu actum infusum.

Nota duplices esse actus internos, quibus medijs se Deus animæ reuelare solet: *alios nimirum* à potentijs vitaliter productos ac elicitos, per gratiam Dei præuenientem excitatis; quibus deinde eædem potentiæ diuinitus adiutæ, operari, negotiari, ac tendere in suum obiectum (*id est*, in Deum) consueuerunt, donec illi sobriè vniantur. *Alios* infusos, quos potentiæ animæ rationalis, propriâ suâ non producunt ac eliciunt vitalitate, sed tantùm diuinitùs recipiunt; quibus in Deũ (nõ absque propriâ vitali cooperatione) impetuosè feruntur, ac intimè passiueque eidem vniuntur. Verùm actus simpliciter infusi, *alij* sunt infusi per accidens, & *alij* per se. *Actus*

sim-

simpliciter per accidens infusus in potentiam intellectiuam versus Deum in oratione directam, est illa subito immissa à Deo alicuius ignotæ veritatis intellectio, ad salutem profectumque spiritualem necessaria, quæ alias successu temporis, per propriam actiuitatem elici poterat: in potentiam vero appetitiuã, est ipsa gratia sensibilis, seu deuotio accidentalis, quam voluntas in Deum eleuata, vitam spiritualem colentium, non rarò experiri solet; sed hæc infusio propriè non dicitur actus infusus, nisi affectus. *Actus* per se simpliciter infusus in apicem intellectus, est cognitio ac intellectio cælitùs data, cui similem natura seu potentia elicere nequit; in apicem verò voluntatis, est amatio, ardoris inusitati ac miræ intensionis, qualem anima non valet producere. Ast non nisi, de his actibus per se simpliciter infusis, hoc loco res nobis est, quos aliquãdo anima ab omni irretentibili & absoluto depurata, in contẽplatione diuina cælitùs dono accipit, vt nimirum illis eleuetur in Deum, eidemque intimè ac passiuè vniatur. *Vnde etiam est*, quòd in palæstra mysticorum, dicatur aliquando in contemplatione extraordinaria haberi quædam fides, spes, & charitas, passiua seu infusa, non quidem solùm secundum habitus, vt communiter fit; verùm etiã secundum actus: nam potentiæ rationalis animæ, dum eiusmodi assistunt contemplationi, non producendo vitaliter harum virtutum actus,

actus, illos tamen nonnunquam cælitus ex inactione seu operatione diuina suscipere solent, non excluso earum suo concursu ac vitali cooperatione. Illa autem cooperatio potentiarum, consensu scilicet ipso, attentione, admiratione, suspensione, desiderio, gaudio, iubilatione, ac similibus, perficitur.

ARTICVLVS VI.

In quo declarantur nonnulla nomina, quibus vnio passiua à mysticis insigniri solet.

PRæsens vnio passiua, est tam nobilis ac sublimis, vt proprium ei nomen dari non possit; quare diuersis omninò debet appellari nominibus, vt ex eorum significatis, natura eius aliquatenus intelligatur. *Primò* itaque communi vsu mysticorum vocatur ebria: cuius quidē vocabuli ratio est, quia anima hoc modo vnita sponso cælesti, sic ab illo mysticè inebriatur (introducta nimirum in cellam vinariam) præstantissimo vino sempiternalium voluptatum; vt exterius sese habeat extraordinariè (quamuis interiùs, pleniùs quam fuit vnquam, sui compos existat) eaque pati videatur, quæ vino corporaliter ingurgitatus ac obrutus pati solet, exceptis duntaxat indecoris gestibus, à quibus sponsus cælestis suam præseruat charissimam sponsam. *Secundò* vocatur Eminens, supereminens, fruitiua, dulcis, suauis, & felix: quia eminet & supereminet actiuæ ac sobriæ vnioni; non in eo quidē,

quòd

quòd passiua maioris sit meriti apud Deum, sed quod plerumque maius meritum ardentioremque supponat charitatem. *Et* quia in hâc eminenti seu supereminenti vnione, eminens quoque ac superemines celebratur fruitio, quæ sic dicitur, respectu nimirum sobriæ fruitionis, quæ est actiuæ vnionis effectus. *Nec non*, quia cum hac vnione, donatur animæ quædam excellens, ac eminens, supereminensq́; prægustatio dulcedinis, ac suauitatis cælestis, & quædam felicitatis æternæ trãsiens experientia. *Tertiò* dicitur Ecstatica, quia mens hâc dotata vnione, ita extraordinario modo diuinis collucet illustrationibus, & cælestibus perfunditur suauitatibus, vt eam supra se in ecstasim penitùs rapi oporteat. *Quartò* vocari solet Essentialis, intima & immediata: non quod hæc vnio passiua ac mystica, huiusq́ue viæ suprema, vnam animæ cum diuina efficiat essentiam ac substantiam; sed quod constituat immediatam ac nudam diuinæ essentiæ præsentiam, cum nudo animæ intimo, seu cum nuda mysticeq́ue depurata animæ essentiâ. *Vel alias*, quòd dum hæc arcana perfectissimaque ac efficacissima vnio celebratur, nullum aliud intercedit medium vsitatæ cognitionis & amationis inter animã & Deum, nisi ipsius mentis quædam inusitata ac ineffabilis illustratio, & inflammatio cælitus accepta, ac extraordinariè infusa, quibus duobus anima cohæret Deo, ita vt vnus cum

illo

illo efficiatur spiritus, iuxta illud 1. *Corin.* 6. Qui adhæret Deo, vnus spiritus est. vnus *videlicet*, non secundum essentiam ac substantiam; quia per hanc adhæsionem, discernit Apostolus in præsenti vnione distinctam permanere substantiam animæ à substantiâ diuinâ; nemo enim propriè sibijpsi adhærere dicitur, nisi alteri à se; sed vnus secundũ quandam informationem seu formam. Dicunt enim mystici Deum in hâc vnione mysticâ, quodammodo sic coniungi animæ sicut formam suæ materiæ, seu sicut animam suo corpori. *Vnde est*, quòd iste vnus spiritus, quodammodo secundum formam, dicitur Deus; secundũ vero materiam, dicitur anima. Hic modus loquendi sumitur ex sacra scriptura, *Galat.* 4. Donec formetur Christus in vobis. Vnde patet Christum, Deum ac Saluatorem nostrum, aliquomodo esse formam iustæ ac fidelis animæ: quod hoc modo intelligendum est. Sicut enim forma est perfectio materiæ; ita Deus (hâc vnione immediatè coniunctus animæ) per se, ac per sua excellentissima & extraordinaria specialissimaque dona, est perfectio animæ, perfectas videlicet ac sanctas faciens illius actiones. Et sicut corpus ab animâ accipit motum ac vitam naturalem; ita anima sic Deo supernaturaliter ac mysticè coniuncta, accipit ab illo supernaturalem, spiritualem, extraordinariam, ac quandam diuinam operationem, & vitam. *Quintò* præsens vnio dicitur

tur Deificatio, Transformatio, Transfiguratio, transfusio, profundatio, immersio, ac mutatio mystica animæ in Deum. Vnde Ioan. Gerson *consideratione* 41. *Theol. mystica.* Amorosa vnio mentis cum Deo, quæ fit per Theologiam mysticam, congruè transformatio nominatur, sicut B. Dionysius, & SS. Patres loquuti sunt. *hæc ille*, Fit autem hæc felicissima transformatio in Deum animæ contemplatiuæ, non quidem secundum esse essentiale, sed non nisi secundum esse actuale. Per esse *essentiale* animæ, intelligunt mystici ipsam animam (seu animæ substantiam, secundum sua essentialia, ac proprietates) quatenus nimirum homini nudum esse ac naturale viuere tantummodò tribuit; sine omni motu bonorum operum. Per esse verò *actuale*, intelligunt eandem animam, quatenùs est actuosa ac operatiua per vim intellectiuam & appetitiuam; secundum quarum actiuitatem ac operationem, est Deo vnibilis ac in eum transformabilis. Per esse quoque *essentiale* Dei, ipsa essentia ac substantia diuina intelligitur, quæ solis tantummodò tribus diuinis personis essentialiter ac substantialiter communicatur. Per esse Dei *actuale*, duo intelliguntur: videlicet esse actuale increatum, *vt est* amor quo nos Deus diligit; & esse actuale creatum ac infusum, *vt est* (præter gratiam iustificantem, ac fidem, spem & charitatem, donaque Spiritus sancti) quidam peculiaris

gratiæ actus infusus, quo specialiter ac extraordinariè animæ contemplatiuæ vis intellectiua illustratur, & appetitiua inflammatur.

Hinc dicendum est, quòd animæ esse actuale (quatenùs illud non separatur ab esse essentiali; quia sine illo nullatenùs subsistere potest) in Deum, *id est*, in esse diuinum actuale, videlicet creatum ac infusum, transformatur; quatenùs etiam illud esse actuale diuinum, non separatur nec separari potest, tanquam radius à sole, ab ipso esse essentiali diuino, & ab esse actuali increato. *Vnde* quemadmodùm lapidescere homo ille dici solet, qui lapidis instar, secundum suam voluntatem in malo solidatur ac obduratur: sic Deificari, seu Deus fieri, ac in Deum transformari dici potest, qui in omni genere appetitionum ac operationum, non quæ hominis, sed quæ Dei sunt exequitur, ita vt deinceps nihil cogitet nisi diuinum, nihil appetat nisi diuinum, nihil sapiat nisi diuinũ. Hâc etiam de causâ *Ps.* 81 homines vocantur Dij. Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes. Illi autem vsu ascetarum Dij sunt, qui hoc volunt, quod Deus vult, & quod illos, ac quomodo, quemque ob finem vult velle. Sed vsu mysticorum, illi, solummodò Dij dicuntur, seu in Deum arcanè transformati esse probantur, qui propter plenam cohærentiam sui liberi arbitrij ad summum bonum, non possunt velle, nisi illud quod Deus vult, & quod, ac quo fine, & modo, vult illos velle.

Sextò,

Sextò, eadem mystica seu passiua vnio, idē est quod ipsa mystica Theologia: sicut etiam vice versa, Cancell. Parisiensis *alph.* 86. docet, quod mystica Theologia, est coniunctio siue vnio experimentalis & gratuita mentis cum Deo. Significat autem Mystica Theologia iuxta interpretationem sui nominis, secretam Dei sermocinationem. Inde apud Dionysium Carth. *comm. in caput* 1. Dionysij Areop. quidam docere voluerunt, quòd mystica Theologia est secretissima cum Deo loquutio. *Verùm autem est*, quòd tam Theologia scripturalis, quàm scholastica similiter etiam dici potest secreta Dei sermocinatio (quia de secretis diuinis fide reuelatis, vtraque sermocinatur) tamen diuerso respectu: nam vtraque illarum significat sermocinationem seu locutionem Dei, *id est*, de Deo, ac de diuinis eius veritatibus secretis; hæc autem significat sermocinationem Dei, *id est*, sermonem quendam sapientiæ diuinæ occultum ac ineffabilē, à Deo in animam (*puta*, in mystico silentio, seu in mystica quiete constitutam) per secretam ac superintellectualem reuelationem, locutum, productum, ac infusum: & vice versa, ab anima in Deum ignotum, seu in caligine apprehensum, sursum actum ac eleuatum, iuxta illud *Cant.* 7. Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius. Quare alias Theologia præsens, mystica Theosophia dicitur, *id est*, occulta, abscondita, secreta, & arcana Dei, aut

diuina ſapientia. *Vnde* Dionyſius Carth. ait. Myſtica Theologia eſt vnitiua ſapientia, flammigera theoria, donumque ſapientiæ. *Et* Henricus Harphius. Myſtica Theologia eſt quædam occultiſſima ſapientia, quam immediatè ſolus Deus hominem in ſpiritu docet. *Et* Ioan. Gerſ. *part. 6. de myſtica ſpecul. conſ.* 28. Theologia myſtica, eſt ſapientia, *id eſt*, ſapida notitia, habita de Deo, dum ei ſupremus apex affectiuæ potentiæ rationalis, per amorem coniugitur & vnitur.

ARTICVLVS VII.

De ſapientia Dei, ac eius differentijs.

HOc loco non currit quæſtio de increata Dei Sapientia, vtpote, Eſſentiali & notionali: quarum *altera* communis eſt tribus Diuinis perſonis: *altera* verò, ſoli nonniſi attribuitur Secundæ perſonæ: ſed agitur in præſenti de ſapientia Dei creata, & rationali creaturæ conceſſa, quæ duplex eſt: *intellectualis* videlicet & *affectualis*. Sapientia intellectualis (vel alias ratiocinatiua, aut etiam ſpeculatiua) largè ſumpta, idem eſt, quod cognitio ac intellectio rerum diuinarum & humanarum. Vnde Cicero *lib. 4. Tuſc. 9.* Sapientia, eſt rerum diuinarum & humanarum ſcientia, cognitioque, quæ cauſa cuiuſque rei eſt. Et Ariſtoteles *lib. Rhet.* Sapientia eſt multarum & mirabilium rerum ſcientia. *Sapientia* intellectualis preſsè ſumpta duplex eſt, nempè

acqui-

acquisita & *infusa*. Acquisita, est cognitio conclusionum ex principijs vniuersalissimis deductarum. *Vel*, est cognitio Dei ac diuinorum, quæ ipso lumine vis intellectus ac rationis acquiritur. Talis sapientia est Philosophorum, de quibus *Rom*. 1. Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt &c. Vnde & D. Bon. *de dono sapientiæ* sic ait. Sapientia creata quædam est, per studium humanum acquisita, & est virtus intellectualis, de quâ Arist. *in Metaph.* Et potest dici sapientia aliqualiter, cùm in ea sapor quidam inueniatur; habet enim Philosophia admirabiles delectationes, vt dicitur in Ethicis, licet sapór ille non sit oleo gratiæ conditus, *hæc ille*. Similis etiam est sapientia omnium Hæreticorum; imò & Catholicorum, curam videlicet carnis in desiderijs perficientium, qui plurima de Deo ac de eius veritatibus disserunt & concludunt subtilissimè, sed alij eorũ (proh dolor) scandalosissimè, alij vero inutilissimè. De hac sapientia 1. *Cor*. 1. sic dicitur. Scriptum est enim Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Et *Matt*. 11. Confiteor tibi Pater cæli & terræ: quia abscondisti hæc (*id est*, *sapientiã affectiuam*) à sapientibus & prudentibus (*intellectualiter tantum, ac inde inflatis*) & reuelâsti ea paruulis, *id est*, humilibus. Infusa sapientia intellectiua illa est, quæ superat vim ac facultatem naturæ, quæque cælitus inditur

ac infunditur, de quâ illud habetur. 1. *Cor.* 12. Vnicuique autem datur manifestatio spiritus (*id est, donum Spiritus sancti, quo ipse Spiritus sanctus manifestatur, qui est auctor doni*) ad vtilitatem (*non propriam, sed totius Ecclesiæ*) Alij quidem datur sermo sapientiæ (*id est, facultas explicandi altissima mysteria, SS. Trinitatis, Incarnationis, prædestinationis.*) Alij autem datur sermo scientiæ (*id est,* facultas explicandi, per exempla, comparationes, rationes humanas & Philosophicas, ea, quæ sunt credenda, fugienda & facienda. *Vnde* hoc loco sapientia, proprie significat donum gratis datum; non autem gratum faciens, sicuti est sapientia affectualis virtuosa.

Sapientia affectualis, *alia* est vitiosa, *alia* virtuosa. Sapientia vitiosa, *aliàs* malæ affectionis ac operationis, à S. Paulo stultitia vocatur, 1. *Cor.* 3. Sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum. Et. 1. *Cor.* 1. Nonne stultam fecit sapientiam Deus huius mundi, &c. Et *à S. Greg.* hoc describitur modo. Huius mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare; quæ falsa sunt, vera ostendere; quæ vera sunt, falsa demonstrare. Hæc nimirum prudentia à iuuenibus scitur, hæc à pueris pretio discitur, hanc qui sciunt, cæteros despiciendo superbiunt; hanc qui nesciunt, subiecti & timidi in alijs mirantur. Hæc sibi obsequentibus præcipit honorum culmina quærere, adeptâ temporalis gloriæ vani-

vanitate gaudere; irrogata ab alijs mala multipliciùs reddere; cùm vires suppetunt, nullis resistentibus cedere; cùm virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiã non valent, hoc pacificâ bonitate simulare. *hac ille.* Hanc quoque sapientiam huius mundi S. Iacobus vocat terrenam, animalem & diabolicam, dicens: *cap.* 3. Non est ista sapientia de sursum, descendens à Patre luminum; sed terrena, animalis & diabolica *Dicitur* autem hæc sapientia terrena, ratione finis: quia finem principalem sibi constituit bona terrena, *id est* possessiones temporales. *Animalis verò* seu carnalis ac sensualis ex eo dicitur: quia finem vltimum habet voluptates animales seu carnales. Vnde *Rom.* 1. Prudentia carnis, mors est: prudentia autem spiritus, vita & pax. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo legi enim Dei non est subiecta. *Diabolica tandem* sapientia illa dicitur, quæ habet finem præcipuum propriam excellentiam seu superbiam: quia superbus est diabolus. Vnde *Iob.* 1. Ipse est rex super omnes filios superbiæ. De hâc specie diabolicæ sapientiæ illud seruit *Prou.* 26. Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis illo spem habet insipiens. Et 1. *Cor.* 8. Si quis autem existimat se aliquid scire, nondum cognouit quemadmodùm oporteat eum scire. *Eadem quoque* sapientia diabolica, habet finem non solùm superbiam, verùm etiam quodlibet peccatum: diabolus

enim ab initio peccat, & est causa omnis peccati. *Vnde* de huiusmodi sapientiæ cultoribus sic dicitur *Ierem.* 4. Sapientes sunt, vt faciant mala; bene autem facere nescierunt.

Sapientia affectualis virtuosa, *vel alias* bonæ affectionis, & consequenter bonæ operationis, multipliciter differt à sapientia intellectuali, vtpotè viribus naturæ acquisita, quamuis fide informi adiutis. *Primò* ratione ipsius finis & obiecti: quia sapientia intellectualis habet finem, cognitionem veri: & obiectum, ipsum Deum vt intelligibilem: affectualis verò habet finem, & cognitionem veri, & amationem boni: obiectum autem, habet ipsum Deum secundum eius omnes perfectiones, sub ratione, quâ non solum est intelligibilis, sed etiam quâ amabilis, honorabilis, laudabilis, &c. *Secundò* ratione originis: quia sapientia intellectualis haberi solet ab homine, & sapor illius elicitur à natura. Vnde dicitur humana, acquisita, & naturalis: affectualis verò, infunditur à Spiritu sancto, & nunquam esse potest sine Spiritu sancto. *Tertiò* ratione effectus: sapientia enim intellectualis, sæpissimè causat elationem animi cum aliorum contemptu, & æstimationem sui arrogantissimam, iuxta illud 1. *Cor.* 8. Scientia inflat, charitas ædificat. Affectualis verò, dum eleuat intellectum, inflammat etiam affectum, & generat sui contemptum, cum magna æstimatione Dei ac diuinorum. Quâ de causa, plures è sa-

è sapientibus intellectualiter tantùm, à Deo despiciuntur, & ab eius diuina efficaci vocatione ad iustificationem, excluduntur, sicut patet 1. *Cor.* 1. Videte fratres vocationem vestram(*id est*, considerate rationem &modum vocationis vestræ) quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles (*id est*, quia pauci sapientes apud mundum, & apud seipsos; & pauci potentes, & pauci nobiles, ad iustitiam faciendam eliguntur & admittuntur) sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, &c. (quasi dicat, sed è contrario, multos indoctos, multos impotentes, *id est*, debiles, & multos ignobiles, elegit Deus) vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. *Quartò*, ratione etymologiæ ipsius nominis: nam sapientia intellectualis venit à verbo sapio, quod idem est, ac rectè sentio: affectualis verò similiter ab eodem descendit verbo sapio, quod idem significat, ac interno gustu rem dignosco. *Vnde* affectiua sapientia si etymon spectetur illius, est quasi sapida diuinorum scientia: seu sapor bonæ affectionis ac boni operis. *Vel etiam* sapientia significat, cognitionem ac intellectionem diuinorum, sapore asceticarum virtutum conditam: aut perceptionem internam, ac experientiam saporis bonorum spiritualium. Hinc Isid. *in Etym.* Sapiens, dictus est à sapore: quia sicut gustus aptus est ad discretionem saporis ciborum; sic sapiens ad dignoscendum sapores re-

rum atque causarum. Et S. Bern. *super Cant. cap. 61.* Nec dixerim reprehendendum, si quis sapientiam, saporem boni definierit.

Verùm non æqualiter singuli spiritualium, sed iuxta qualitatem meritorum, huius cælestis sapientiæ, saporem seu suauitatem ac dulcedinem gustant ac percipiunt; quod verificatur verbis prophetæ Amos *cap. 9.* In illa die stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lac & mel. Vbi montes indefinitè dicuntur dulcedinem stillare, per quos intelliguntur homines sanctitate sublimiores; colles verò definitè, per quos minori perfectione præditi significantur: quia tanta suauitas est perfectorum, vt nulla similitudine explicari ac definiri possit: Idipsum comprobatur verbis sponsi cælestis *Cant. 5.* Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. Ex quo loco D. Bernardus tres aduertit esse differentias amicorũ huiusmodi: *quosdam* videlicet charos, quos inuitat sponsus ad comedendum fercula suauissima suæ sapientiæ, vsque ad saturitatem spiritualem: *quosdam* chariores, quos inuitat ad bibendum vinum iucundissimum eiusdem sapientiæ, vsque ad satietatem internam, *id est* ad ebrietatem sobriam: *quosdam* charissimos, quos inuitat ad potandum, vsque ad ebrietatem mysticam ac ecstaticam. Vnde quoque Richardi *in tract. de diuersis aff.* testimonium adest, dicentis. Amor, est dulcedo saporis intimi, à quo sapore denominatur sapi-

sapientia; & quantò quis ardentiùs amat, tantò suauiùs gustat.

Hinc est, quòd eadem affectualis sapientia, iuxta triplicē statum gratuitæ vnionis, etiam satis commodè tripliciter distribui potest. *Prima* igitur sapientia dicitur communis seu necessitatis, quæ propria omnium iustorum esse perhibetur: quam constituit cognitio seu intellectio diuinorum practica, vtpotè interno affectui sapida & iucunda, quâ colitur Deus per fidem, spem, & charitatem, ac obseruantiam suorum mandatorum. Vnde *Eccl.* 1. Fons sapientiæ, verbum Dei in excelsis, & ingressus illius mandata æterna. Et *cap.* 43. Omnia Dominus fecit, & piè agentibus dedit sapientiam. Et *Iob.* 78. Ecce timor Domini ipsa est sapientia: & recedere à malo intelligentia. Deinde etiam *Lactantius Firm.*: Omnis sapientia hominis, in hoc vno est, vt Deum cognoscat & colat. Hoc nostrum dogma, hæc summa est. Quantâ igitur voce possum, testificor, proclamo, denuncio. Hoc est illud, quod Philosophi omnes in tota vita sua quæsierunt, nec vnquam tamen inuestigare, comprehendere ac tenere valuerunt: quia religionem aut prauam retinuerunt, aut totam penitùs sustulerunt. Qui vult igitur sapiens ac beatus esse, audiat Dei vocem, discat iustitiam, sacramentum natiuitatis suæ noscat, humana contemnat, diuina suspiciat, vt summum illud bonum ad quod natus est adipisci possit.

Secunda sapientia virtuosa, dicitur specialis ac supererogationis, quæ propria est bonorū ascetarum seu religiosorum. Hanc sapientiam constituit contemplatio Dei ac diuinorum ordinaria, sapore virtutum condita, per quam stat, quòd Christum Dominum perseueranter imitamur, sancta eius gaudenter implendo consilia: Vnde præsens status sapientiæ sic describitur à S. Iacobo *cap.* 3. Quæ autem de sursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordiâ & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione. *quasi dicat*, Qui habet sapientiam bonæ affectionis, vel aliàs cælestem, pudicus est, pacificus, modestus, &c. Et à *S. Greg.* Sapientia iustorum est, nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera vt sunt diligere, falsa deuitare; bona gratis exhibere, mala libentiùs tolerare quàm facere, nullam iniuriæ vltionem quærere; pro veritate, contumeliam, lucrum putare. Sed hæc iustorum simplicitas deridetur: quia ab huius mundi sapientibus, puritatis virtus, fatuitas creditur.

Porro huius sapientiæ specialis seu asceticæ, tres sunt gradus. *Primus* consistit in saturitate spirituali: satiata autem anima censetur esse, quando bona spiritualia ac æterna sic illi sapiunt, vt in comparatione illorum, bona temporalia fastidiat & abominetur, iuxta illud *Prou.* 27. Anima saturata (*nempè, spiritua-*

tualibus delicijs) calcabit (*terrenæ cupiditatis*) fauum. Vnde *S. Bern.* Inuenisti plenè sapientiam, si prioris vitæ peccata defleas, si huius sæculi desideria paruipendas, si æternam beatitudinem toto desiderio concupiscas. Inuenisti sapientiam, si tibi singula horum sapiunt, prout sunt. Hunc gradum ascendit, qui dicebat *Sap.* 5. Inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ, & præposui illam regnis & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius, &c.

Secundum gradum sapientiæ specialis constituit spiritualis ebrietas, quam sobriam vocant: inebriata autem sic anima esse probatur, quando iam penitùs quæuis illatæ iniuriæ, & cunctæ aduersitates huius mundi, propter amorem & honorem Dei ac imitationem Christi Domini toleratæ, nimis illi sapiunt ac dulcescunt. Vnde Ioan. Rursbrochius *lib. de præcipuis virt. cap.* 5. Ei, qui se perfectè Deo resignauit, afflictio dulcis est, quia in Deo (per quem illa ipsi euenit) conditur, & diuina fit ac Deiformis. In hoc gradu præsentis sapientiæ stabant illi, de quibus *Act.* 5. Ibant Apostoli à conspectu concilij gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV, contumeliam pati.

Tertium gradum huiusmodi sapientiæ, constituit quædam specialis securitas & quies mentis, quæ in supremo gradu actiuæ ac sobriæ vnionis cælitùs præstatur, quod fit,

quando mens in gratia Dei, ex diuino speciali instinctu, roboratam & confirmatam se esse concipit ac experitur. Duplex autem est huiusmodi confirmatio: *altera*, quâ in gratiâ Dei sic confirmamur, vt mortaliter non peccemus: *Altera*, quâ in gratia Dei sic nonnulli Sanctorum confirmantur, vt mortaliter peccare non possint, propter plenam quietationem suæ voluntatis in summo bono. Hâc confirmati fuerunt Apostoli in die Pentecôstes, & S. P. Franciscus, cùm stigmata Christi accepisset, & multi alij suis temporibus. Verùm hoc loco res est, non nisi de prima confirmatione. In hoc gradu sapientiæ cælestis, animæ collocatæ, sic sapit beatifica præsentia Christi ac Dei, vt mortem quamuis dirissimã, habeat in desiderio, & vitam in patientia. Huiusmodi fuit desiderium Dauid, dicentis *Psal.* 41. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuũ, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Et S. Pauli *Philip.* 1. Cupio dissolui, & esse cum Christo. Et *S. Ignatij martyris*. Vtinam fruar bestijs, quæ mihi sunt præparatæ; quas & oro veloces esse ad interitum, & ad supplicia, & allici ad comedendum me.

Tertia sapientia affectualis, dicitur specialissima, & est propriè mystica: quæ idem etiã esse censetur quod ipsum donum sapientiæ in gradu eminentissimo, vnum è septem donis Spiritus sancti, menti videlicet puræ ac nudæ diuinitùs infusum, ad faciliter exercendam

con-

contemplationem Dei ac diuinorum extraordinariam: cuius quidem sapientiæ habitus, animæ rationali in ipsa iustificatione infusus, hoc loco etiam intenditur ac dilatatur, tum physicè, tum moraliter. Physicè seu effectiuè, per solius Dei diuinamque illius inactionem. Moraliter verò, *id est,* meritoriè, per actus à simplici puraq; intelligentia in diuina caligine constituta, post innotescentiam experimentatiuam mysticæ vnionis, synteresi cælitùs factam, iteratos ac frequenter formatos: cuius item sapientiæ actus idem sunt, quod contemplatio Dei ac diuinorum mystica, *vel aliàs* cognitio seu notitia practica, vnitiua, saporosa & experimentalis; totam pacificans animam & in similitudinem Dei transformans.

Hinc nota, sapientiam seu cognitionem Dei practicam duplicem esse, *alteram* inchoatam, *alteram* completam. Inchoata secundum scholasticos illa dicitur, quæ dirigit voluntatem dispositiuè ac ostensiuè tantùm, ad eliciendos & imperandos actus rectæ rationi, ac ipsi fidei, spei & charitati conformes. Completa verò apud eosdem scholasticos illa est, quæ iam ipso actu voluntatem efficaciter dirigit ac promouet: sed huiusmodi practica sapientia apud Ascetas modò primùm inchoata dicitur, inquantum videlicet causa est virtutum asceticarum & ipsius ordinariæ contemplationis, non autem effectus: *vel aliàs,* inquantum adhuc non est sapore virtutum con-

dita & vsu ordinariæ contemplationis instructa ac ornata: *vel item*, inquantum nondum est sobriè vnitiua, saporosa, & experimentalis: quod ipsum Ascetis facit completam practicã sapientiam. Sed iterum completa Ascetarum sapientia practica, Mysticis nonnisi inchoata est, ac primus gradus eorum Theosophiæ: cùm aliàs practica sapientia completa secundum Mysticos, eminentissimè ac ecstaticè vnitiua, saporosa, & experimentatiua sit. *Hanc mysticam sapientiam* S. Dionysius vocat stultam, irrationalem & amentem: *stultam quidem*, non solùm quia contemptibilis ac ridiculosa est mundanè sapientibus; & ignota, inuestigabilis, minimèque discursiua doctis: verum etiam quia ignotè consurgitur ad ipsam cælitùs accipiendam: ignotè autem consurgere idem est, quod in eleuatione mystica omnem de Deo ac diuinis suspendere intellectiuam cognitionem, & solâ non nisi principali affectione in Deum agere ignotum (*id est*, in caligine nudæ fidei ineffabiliter apprehensum) donec ab eo mens actuali eius gratiâ gratum faciente (quæ aliàs ipsam significat sapientiam, & vnionem mysticam) formetur ac illustretur. *Irrationalem* verò hanc sapientiã vocat; *tum* quia non venit simplici ac puræ intelligentiæ ab inquisitione rationis, nisi immediatè ac extraordinariè à solo Deo: *tum* quia non descendit in rationem, ad requirendum ab ea aliquod consilium; *tum* quia minimè

mè ratiocinatiua est. *Amentem* denique vocat, *id est*, absque mente: quia gustus, perceptio, ac notitia actualis huiusmodi sapientiæ, facit mentem sine mente, *vel aliàs* spiritum sine spiritu, dum illum copulat menti diuinæ, ac in ipsum transformat spiritum diuinum.

TRACTATVS IV.

De tribus statibus spiritualium.

INTRODVCTIO.

ILli reuera sunt ac meritò dicuntur spirituales, qui spiritu diuino reguntur & gubernantur, iuxta illud *Rom.* 8. Quicunque spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. *Et consequenter*, ij spirituales efficiuntur: cum alias non iam carnali vitâ, sed spirituali viuant, instinctui videlicet Spiritus sancti intendentes, ac legis diuinæ regulas obseruantes. Nam non aliud est vita spiritualis, quàm ratio ac modus piè studioseque viuendi, secundum legis æternæ præscriptum, ac Spiritus sancti instinctum: causâ Deo placendi, magisque ac magis in gratiâ eius proficiendi.

Hinc est, quod sicut perfectam corporalem vitam homini duo efficiunt, coniunctio videlicet vitalis eius animæ cum corpore naturali, & ipsæ operationes ab eodem composito procedentes. Ita quoque integram spiritualē vitam religioso alicui duo constituunt, vnio scilicet spiritus eius cum spiritu diuino, per

gra-

gratiam sanctificantem; ac operationes & actiones, tam internæ quàm externæ ab eâdem animâ rationali ex impulsu spiritus diuini proficiscentes: per quas intelliguntur volitiones, intellectiones, & executiones eorum, quæ sunt de ratione spiritualis vitæ. *Vnde* est, quòd qui spiritu diuino aguntur ac spirituales esse cupiunt: *inprimis* curare debent, vt habeant voluntatem semper viuendi spiritualiter, ac in eâdem spirituali vitâ iugiter proficiendi: *deinde* studere debent, vt perpetuò in scientiâ eorum proficiant, quæ ad rationem spiritualis vitæ spectant: *tandem* studiosè ac diligenter debent exequi suæ voluntatis propositum ac intentum, secundum eandem scientiam, quam habent proprio studio cum auxilio Dei acquisitam. Ad hoc enim diuino spiritu aguntur ac incitantur, vt & ipsi quod agendum est, agant, adiuti videlicet ab eodem spiritu speciali auxilio.

Primum itaque habetur vitæ spiritualis requisitum, voluntas nimirùm semper viuendi spiritualiter, quæ debet esse *completa*, non verò *incompleta*. Est autem voluntas incompleta, quâ videlicet habet se homo remissè ac inefficaciter in rem apprehensam, quasi sibi impossibilem. *Exempli gratiâ.* Vellet dare operam studio vitæ spiritualis, nisi propter hoc, vel illud medium, vtpote arduum ac difficile, idipsum putaret aut videret sibi impossibile esse. De hâc voluntate illud est, quod dicitur

Prou.

Prou. 13. Vult, & non vult piger. *id est*, vult finem, sed media ad finem necessaria non vult: vult enim vitam spiritualem, quàm & profitetur; sed laborem illius subire ac difficultates tentationum superare non vult. Vnde etiam voluntas huiusmodi, aliàs dicitur velleitas *vel item* inefficax, pigra, negligens, tepida ac remissa voluntas. Completa autem voluntas est, quâ homo solicitè, diligenter, studiosè, ac efficaciter se habet in rem apprehensam, vt sibi possibilem. *Exempli gratia.* Vult vitam spiritualem, quam quidem apprehendit ac intelligit arduam & difficilem, puta respectu mediorum; verumtamen suffragante auxilio Dei in quo confidit, iudicat illam sibi esse possibilem. *Vnde quoque* præsens voluntas dicitur intensa, studiosa & efficax. *Porrò* præsens voluntas, *alia* est sicca & arida: *alia* feruida & inflammata.

Voluntas completa, illa dicitur sicca & arida, quæ suauitate cælesti, seu gratiâ sensibili, diuinitus non humectatur, ac perungitur; & ideò quidquid boni agit, grauiorem experitur difficultatẽ in superando torpore, quàm in sustinendo actionis labore. *Licet autem* eadem voluntas sicca & arida, aliquando dicatur pigra, remissa ac tepida, sed ob alium respectum, quàm incompleta: quia voluntati huius loci, ariditas ac torpor venit à naturâ, Deo illam non præueniente gratiâ suâ sensibili; illius verò, inest ex vitio negligentiæ, &

pro-

propriâ incuriâ. *Vel* quia illius voluntatis proprium eſt, res diuinas parum curare, & modicam, vel quaſi nullam de propria ſalute ſpirituali ſolicitudinem gerere: huius autem ſtudium eſt, tepiditatem ſuam deteſtari, eamque coram Deo aperire, ac dolenter & humiliter incuſare, orationi ſolicitè ac perſeueranter inſiſtere, memoriam quoque & intellectū perſæpe in Deum erigere, ac (breuibus loquendo) omni conatu & diligentiâ res diuinas ac propriæ ſalutis inquirere.

Voluntas feruens eſt illa, quæ cum multa facilitate, imò & cum multa ſuauitate facit bonum, & fugit malum; cunctaque aduerſa, propter imitationem Chriſti, lætanter ſuffert. Vnde quoque in hoc vel maximè differt voluntas ſicca & arida, à voluntate præſenti; quia illa ipſum non habet deſiderium, viâ videlicet quauis arctâ & arduâ currendi poſt Dominū niſi deſideriū deſiderij, quale illud eſt *Pſ.* 118. Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas, in omni tempore. Et *Cant.* 1. Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Hæc autem, habet ipſum deſiderium, & ipſum gaudium, vt liberè illud dicat *Pſal.* 42. Quemadmodùm deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Et *Pſal.* 118. In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs. Quæ autem voluntas maioris meriti ſit? ipſe Deus ponderator ſpirituum nouit.

uit.

uit. Verùm voluntas ſicca & arida, antequàm perfectè vincat difficultatis tentationem ; admonenda eſt,ne de victoriâ & de peruentione ad finem quem intendit deſperet, & conſequenter ſtudium vitæ internæ dimittat,ad aliaſque occupationes minùs vtiles ſeſe conuertat ; diffidens nimirùm Deo, quaſi nolit eam introducere in terram promiſſionis, quæ eſt ſpiritualis vitæ perfectio. Voluntas etiam feruens, cautè ambulare debet, ne incidens in laqueum præſumptionis, ac nimiæ ſibi ipſi fidentiæ & placentiæ,aſtutiâ diaboli deſpolietur omnibus donis ſpiritualibus.

Hinc dicendum venit, duplices eſſe ſpirituales ; alios ſecundum dici, alios ſecundum eſſe. Spirituales ſecundum dici, illi ſunt, qui non habent voluntatem vitæ ſpiritualis, niſi incompletam ſeu inconſtantem : vnde, vitam quidem profitentur ſpiritualem, ſed in gratiâ Dei quam aliquando accipiunt, diu non permanent : *tum* quia facilè tempore malæ occaſionis, ac alicuius tentationis mortaliter peccant: *tum* quia efficaciora negligunt exercitia ſpiritualia, magiſque adhuc illis ea quæ carnis ac mundi ſunt ſapiunt, quàm quæ ſunt ſpiritus; ac proh dolor, illa ſectantur,illa probant, illa ambiunt, illa eligunt, illa meditantur, illa concupiſcunt, quæ priùs per ingreſſum religionis, ac ſolemnem profeſſionem liberè abnegauerunt, donec infelices in charitate Dei finaliter deficiant.

Spirituales verò secundum esse, illi sunt, qui completam habentes voluntatem, vitam profitentur spiritualem, & in gratiâ Dei iustificante ac sanctificante, continuum faciunt profectum; necnon inspirationibus & instinctibus diuinis fideliter obediunt, ac secundum illos vitam & mores diligenter componunt. *Vnde est*, quòd sicut nullus veraciter dici potest miles aut mercator, seu militarem aut mercatoriam ducere vitam, nisi is qui completa ac stabili voluntate, alijs omnibus postpositis curis, suum munus impeditiuis; totum se aut militari disciplinæ tradit, aut professioni negotiatoriæ dedicat: ita quoque nullus potest spiritualis meritò vocari, *vel alias* nullus spiritualem agere vitam dici meretur, nisi qui plenâ ac integrâ voluntate, spretis omnibus occupationibus temporalibus, *vel potè* huic vitæ contrarijs, nociuis, & indeseruientibus, totum se studijs spiritualibus tradit ac deuouet.

Secundum vitæ spiritualis requisitum est, ipsa nimirùm scientia, eorum quæ sunt de ratione eiusdem spiritualis vitæ: nam vt ait *S. Chrysostomus*. Præcedit scientia virtutis cultum: quia nemo potest fideliter appetere, quod ignorat, & malum nisi cognitum sit, non timetur. Et S. Bern. *lib. med.* Scientia parit cognitionem amoris, amor frequentiam, frequentia familiaritatem, familiaritas fiduciam, fiducia facilem impetrationem. Verùm hanc scien-

ſcientiam, doctrinam, ac ſapientiam (teſte ſacrâ paginâ *Prou.* 11.) ſtulti deſpiciunt, putant enim quod ignorantiâ ſuâ à cultu virtutum, & profectu ſpirituali, ad quem vocati ſunt excuſabuntur, quos audire cuperem in hæc verba *S. Auguſt.* dicentem. Non omnis, qui ignorat, immunis eſt à pœnâ. Ille enim ignorans poteſt excuſari à pœnâ, qui, quod diſceret, non inuenerit: illis autem hoc ignoſci non poterit, qui habentes à quo diſcerent, operam non dederunt.

Hinc nota, quòd in ſola intellectuali ſcientiâ eorum quæ ad vitam ſpiritualem ſpectant, non eſt ſiſtendum: quia huiuſmodi ſcientia à magiſtris ſpiritualibus minimè probatur, tanquàm ea, quæ inflat, (S. Paulo docente 1. *Cor.* 8.) ſicut & cæteræ intellectuales ſcientiæ. Vnde *Eccl.* 19. ſic dicitur. Melior eſt homo, qui minuitur ſapientia (*intellectuali*) & deficiens ſenſu, in timore Dei (*radicatur*) quàm qui abundat ſenſu, & tranſgreditur legẽ altiſſimi. Et S. Iſid. de illa ſic ait *lib.* 3. *de ſum. bono.* Plerique accepta ſcientia literarũ, non ad Dei gloriam ſed ad ſuam laudem vtuntur, dum de ipſa extolluntur: & ibi peccant, vbi peccata emendare debuerunt. *Idem lib.* 2. Ad maioris culpæ cumulum pertinet, ſcire quenquam quod ſequi debeat; & ſequi nolle, quod ſciat. Neceſſe itaque eſt de ſcientia intellectiua tranſire in practicam, de quâ S. Gregor. *lib.* 23. *Moral.* Vera ſcientia afficit non extollit,

lit, nec ſuperbientes quos impleuerit, ſed lamentantes facit: quâ quiſque cùm repletus fuerit, priori loco ſe ſcire appetit; & iam ſui conſcius, tantò per illam robuſtius ſapit, quanto ſe infirmum in illa veriùs recognoſcit. *Idem.* Sapientia illa clara eſt, non quæ in verbis volat, ſed quæ virtutibus conſtat. Et *S. Aug.* Sic docet me, vt agam; non vt tantummodo ſciam quid agere debeam. Sicut enim dictum eſt de Domino, quod non nouerat peccatum: & intelligitur quod non fecerat: Sic & iuſtitiam ille verè dicendus eſt nôſſe, qui facit. Et S. Bern. ſuper Cant. *Serm.* 36. Sunt qui ſcire volunt, eo fine tantum, vt ſciant, & turpis curioſitas eſt: & ſunt, qui ſcire volunt, eo fine tantùm, vt ſcientiam ſuam vendant (*Verbi gratia*, pro peccunia, pro honoribus) & turpis quæſtus eſt: & ſunt qui ſcire volunt, vt ardentiùs ædificent, & charitas eſt: & ſunt qui ſcire volunt, vt ædificentur; & prudentia eſt. *Idem, eodem ſerm. ſuper illud* 1. *Cor.* 8. Si quis exiſtimat ſe ſcire. Vides (*inquit*) quod non probat multum ſcientes, ſi modum ſciendi neſciuerunt. Vides quomodo fructum & vtilitatem ſcientiæ in modo conſtituit? Quid ergo dicit modum ſciendi, niſi vt ſcias, quo ordine, quo ſtudio, quo fine vnumquodque ſcire oporteat. Quo ordine? vt illud priùs quod maturius mouet ad ſaluté. Quo ſtudio? vt illud ardentiùs, quod vehementius ad amorem. Quo fine? vt non ad in-

anem

anem gloriam & ostentationem, sed ad tuam & aliorum salutem.

Tertium vitæ spiritualis requisitum, est ipsa executio, quorum videlicet voluntas ac scientia habetur. Species enim turpis est vanitatis (sicut iam Patrum sententijs demonstratum esse vidimus) desiderata ac cognita ad effectum non deducere. *Vnde quoque* à S. Iacobo admonemur *cap.* 1. Estote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos. Et à S. Paulo *Rom.* 2. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Tandem & ab ipsa Veritate *Ioan.* 13. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Verùm, sicut diuersi sunt status spiritualium, ita etiam diuersæ sunt eorum executiones, seu diuersa studia ac officia: quorum singula præsens tractatus declarat, in *prima* quidem distinctione officia incipientium, in *secunda* verò proficientium, in *tertia* tandem perfectorum.

DISTINCTIO I.

De primo statu spiritualium.

ARTICVLVS I.

De incipientibus, animalibus, & pusillis.

PRimi status spirituales; *id est*, incipientes, plerumque à Sanctis Patribus animales vocari solent: quamuis non omnes animales dici possunt spirituales: nam animalis homo apud Sacros scriptores sumitur tripliciter.

Primò, pro eo qui anima & corpore constat, quique viuit, crescit, nutritur, ac cibo eget, vt animalia. Vnde 1. *Cor.* 15. Factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem: sed non priùs quod spiritale est, sed quod animale, deinde spiritale. *Secundò*, animalis, significat eum qui animæ suæ, seu naturæ duntaxat sequitur ductum, quod fit duobus modis. *Altero*, dum videlicet, propriæ, sensualitatis, carnis, ac cupiditatis, desideria perficit, iuxta illud *in epistola Catholica* Iudæ. Vos autem charissimi memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri IESV Christi, qui dicebant vobis, quoniam in nouissimis temporibus venient illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus: hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. *Altero modo*, dum non nisi secundum animam sapiunt, aut secundum naturale rationis lumen de rebus iudicant, & spiritûs doctrinam admittere nolunt; sed nec eam intelligere possunt, eò, quòd sensum suum in terra defigunt, iuxta illud 1. *Cor.* 2. Animalis homo, non percipit ea, quæ sunt spiritûs, stultitia enim est illi, & non potest intelligere. *Tertiò* apud D. Bern. *tract. de Vita solitaria.* Animalis significat, morali significatione, incipientem vitam spiritualem. *Cuius rei ibidem rationem assignat, cùm dicit.* Animales sunt, qui per se nec ratione

tione aguntur, nec trahuntur affectu, & tamen *vel* auctoritate permoti, *vel* doctrinâ commoniti, *vel* exemplo prouocati, bonum approbant & imitantur. Alia ratio S. Bonau. *lib.* 1. *de prof. relig. cap.* 4. talis est. Primum statum Religiosorum, scilicet incipientium, vocamus animalem, quasi rudem, qui nondum percipit quæ sunt spiritûs Dei: & circa corporis compositionem adhuc maximè occupari necessarium habet, vt illud domet & castiget ne rebellet spiritui, sicut priùs, quando caro spiritui dominabatur. *Alia* adhuc ratio talis dari potest, quòd incipientes dicantur animales: quia illorum principale studium est, superatis nimirum omnibus per pœnitentiam peccatis mortalibus, tota cordis efficaciâ, statim in primis motibus quibusuis resistere acquisitis vitijs ac animalibus concupiscentijs: & in externa conuersatione, totum se ad cæcam & quodammodo animalem tradere obedientiam.

Illa autem obedientia talis est, qua nouus athleta spiritualis, simpliciter obedire studet instructori suo ac Antistiti Christi, adinstar asini, qui suo directori in omnibus obsecundat, onus videlicet quodcunque ab eo sibi impositum fuerit, portando; & eâ viâ, quam sibi ille demonstrauerit, incedendo; ac eo non nisi tempore, quo sibi ipse concesserit, cibum & potum ac requiem capiendo. Hanc obedientiam animalem, Christus Dominus re-

quirit à suis discipulis dicens. *Matt.* 11. Tollite iugum meum (*adinstar animalium*) super vos. quia & ipse eandem coluit, in cuius persona Regius propheta ait *Psal.* 27. Vt iumentum factus sum apud te. *Vel etiam* animalis ac cæca obedientia illa dicitur, quâ nouellus religiosus simpliciter (*id est*, absque omni discursu & examinatione præceptionis) obedit suo magistro: dum videlicet ad imperium eius vel brassicam modo inuerso plantat, *Vel* aquis arborem aridam destinatis horis rigat, *Vel* ingentem lapidem à loco suo dimouere contendit, donec præceptum reuocetur, *Vel* ligna de loco ad locum sæpè iteratis vicibus transportat, *Vel* ardentes prunas nudis pedibus calcare vult: sicuti etiam ipse Abraham obediens voci Dei sui, Isaac filium suum vnigenitum immolare non recusauit.

Iterum, incipientes à sanctis Patribus vocantur pusilli. *Sed nota*, quod pusillus, *primò* significat paruulum seu puerum: *secundò* vilem, timidum, tristem, mente deiectum: *tertiò* timoratum, humilem: *quarto*, modo genitum per pœnitentiam, ac incipientem vitam spiritualem: quia nondum est talis animo potens, ad felicitatem nimirum & infelicitatem sustinendam, honorem & dedecus sufferendum, quapropter facillimè scandalizatur ac deficit: cuius gerens curam Dominus ait *Matt.* 18. Qui susceperit (*id est*, confortauerit, docuerit, ac benignè corripuerit) vnum par-

paruulum talem in nomine meo, me suscipit: (*id est*, rem gratam ac obsequium mihi præstat) qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis (*vtpotè*, malo exemplo, doctrinâ peruersâ, conniuentia damnosâ, commiseratione iniquâ, mortificatione immoderatâ, &c.) qui in me credunt; expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.

ARTICVLVS II.

De triplici studio ac officio incipientium.

PRimum officium ac studium vitam spiritualem incipientium est, vt ante omnia exemplo Christi Domini ac Magistri sui cælestis, in Iordane à Ioanne baptismum recipiant, & Spiritum sanctum in specie columbæ cælitùs dono obtineant: quod quidem faciunt, *tum* quando in fluuio iudicij (sic enim Iordanis interpretatur) lachrymarum scilicet contritionis ac pœnitentiæ, de illuuie ac sordibus peccatorum suorum, per gratiã (Ioannes enim gratiam seu gratiosum significat) iustificantem abluuntur & purgantur: *tum* quando per carentiam omnis felleæ iniquitatis ac perturbationis, & per continuum compunctionis gemitum, ac per conscientiæ puritatem, intentionisque rectitudinem & simplicitatem (has enim columba habet proprietates) eundem Spiritum sanctum in se iugiter permanentem experiuntur.

Secundum officium ac studium incipientiũ est, vt agi se sinant impulsibus Spiritus sancti in desertum solitudinis, tam videlicet corporalis, quàm spiritualis, ad ieiunandum cum Christo, non solùm corporaliter, verùm etiam & spiritualiter. Ad hanc solitudinem mentis & corporis, anima incipiens vitam spiritualem, his verbis cælitùs inuitatur *Ps.* 44. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui; & concupiscet rex speciem tuam. *Vnde S. Greg.* Prodest (*inquit*) solitudo corporis, si solitudo est mentis. Quid prodest solitudo corporis, si defuerit solitudo cordis? Qui enim corpore remotus viuit, sed tumultibus conuersationis humanæ, terrenorum desideriorum cogitatione sese inserit, non est in solitudine. Si verò prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, & tamen nullos sæcularium tumultus in corde patiatur, non est in vrbe. Et *S. Bern.* Solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias quod multi suspiciunt, si fastidias quod omnes desiderant, si iurgia deuites, si damna non sentias, si non recordaris iniuriarum: alioquin, nec si solus corpore es, solus es. *Idem.* Moriens vix vnquam aliquis à cella in infernum descendit: quia vix vnquam nisi cælo prædestinatus in ea vsque ad mortem persistit. *hæc ille.* Persistit puta, non solùm ad cauendum malum culpæ, quod intelligitur per ieiunium spirituale: ve-

rùm

rùm etiam ad faciendum bonum, *vt est*, lectio librorum spiritualium, meditatio fidei mysteriorum, oratio Dei, & auscultatio diuinarum inspirationum, quas promisit Dominus solitarijs. *Osea* 2. Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius. His intentus fuit inspirationibus diuinis, qui dicebat *Ps.* 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.

Tertium studium incipientium est, vt diuinis intenti, contra varias tentationes fortiter dimicent, & eas cum cælesti auxilio legitimè ac finaliter expugnent, & per victoriã omnes transcurrant: & hoc ad exemplum & imitationem Christi Domini, qui etiam propter nos, informationemque nostram, multipliciter tentari & hostem debellare voluit, sicuti patet *Matt.* 4. Ductus est IESVS in desertum à spiritu, vt tentaretur à Diabolo. Et *Hebr.* 4. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia, pro similitudine absq; peccato. Quare quilibet asceta à principio suæ conuersionis, optimâ à Spiritu sancto huiusmodi exhortatione, ad pugnandum contra quamlibet tentationem præmonetur & armatur. *Eccl.* 2. Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem, deprime cor tuũ & sustine. *Hunc* puta certissimum esse signum, illum videlicet ascetam fædus æternum iniisse cum Christo, & Lucipero omnino rebelâsse, a

qui tentatur & oppugnatur ab eius exercitu infernali: illum verò è contra ex parte diaboli esse, vel fieri, qui aliquas non experitur tentationes, quod comprobatur *D. Greg.* illâ sententiâ. Eos pulsare hostis negligit, quos quieto iure se possidere sentit. *Vel item.* Eos desinit diabolus tentare, quos quieto iure se nouit posse possidere. Similiter *D Aug.* Non est maior tentatio, quàm nullâ tentatione pulsari.

DISTINCTIO II.

De secundo statu spiritualium.

ARTICVLVS I.

De proficientibus, quatenus rationales dicuntur.

PRoficientes à sanctis Patribus rationales vocantur: *tum* quia ob scientiam diuinorum ac notitiam practicam, quam habent spiritualis vitæ, omnem suspectam, incertam, ac falsam doctrinam semper animaduertunt & fugiunt; *tum* quia nullâ prosperitate & aduersitate ad malum flectuntur: *tum* quia nullum ex aliorum malis exemplis scandalum accipiunt: *tum* quia per se sufficientes sunt (gratiâ diuinâ suffulti ac roborati) ad perficiendas & consummandas virtutum semitas, quamuis aliàs proborum instructione, correptione, & exemplo careant: *tum denique*, quia tam sanâ doctrinâ & charitatiuâ correptione, quàm bono exemplo alios informare,

ac

ac dirigere in vita spirituali idonei ac sufficientes habentur.

Proficientes itaque huiusmodi in vita spirituali, vtpotè professi religiosi, (nam quousque nouitiatum aliquis agit, non censetur esse proficiens, etiamsi aliquando professos mortificatione ac virtute superare videatur; donec plenè omnem occasionem retrò aspiciendi per vota solemnia effugiat) sunt triplicis differentiæ, iuxta D. Bonau. *lib. 1. de prof. relig. cap. 3.* *Primi sunt*, qui nimirum fugiunt ardua & austera studia sanctitatis, ac non nisi leuia exercitia assumunt, & laxam vitam seruant, quo ad corporis commoda, quantùm licet saluâ salute: quibus etiam sufficit, quòd tantummodò caueant à peccatis mortalibus: & huiusmodi religiosi satis procliues sunt ad lapsum peccati: quia sicut dicit *D. Greg.* Illi soli in illicita non cadunt, qui se, etiam à licitis restringunt. Arcta est via, quæ ducit ad vitam, & alta: & qui incautè & minùs trepidè per eam incedit, citò pedem in præcipitium ponit. Solent tamen vt religiosi videantur, aliquando sibiipsis magnam vim facere, & diligentiam habere in exterioribus obseruantijs & traditionibus humanis, & honestatibus forinsecis, inclinationibus, & huiusmodi, quibus specimen religiositatis exterius repræsentent. *Alteri sunt*, qui præterea duram vitam in corporali exercitatione seruant, affligentes corpora sua ieiunijs, vigilijs,

& alijs laboribus corporalibus : & putant, hoc summum in religionis obseruantia esse, interioris dulcedinis ignari : de veris autem virtutũ studijs, quæ in spiritu & mente sunt, parum curant. Vnde etiam huiusmodi ascetæ sunt in se sicci & aridi, & alijs in iudicando seueri esse solent.

Tertij proficientes illi sunt, qui seipsos per studium asceticæ meditationis, sacræ lectionis, & deuotæ orationis, continuè magis ac magis cognoscere student; vitia quoque, puta luxuriæ, gulæ, auaritiæ, iræ, superbiæ, inuidiæ, & acediæ expugnare ac superare conantur; hisque vitijs contrarias virtutes, vtpotè castitatem, sobrietatem, largitatem seu paupertatem, humilitatem, patientiam & charitatem Dei ac proximi cordi imprimere satagunt. Ad huiusmodi profectum inuitamur à Christo Domino nostro, sic dicente *Matt.* 16. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. *quasi dicat.* Si quis (vir *nimirum* aut mulier, diues aut pauper, doctus aut indoctus, nobilis aut ignobilis, Dominus aut seruus) vult post me venire (*id est*, voluntariè ac liberè appetit meus esse discipulus) abneget semetipsum (*id est*, non tantùm sua & suos, vtpotè, bona quæ possidet temporalia, aut quæ possidere potest; ac parentes ipsos, fratres, sororés, amicos, & omnes alios, quos intimè diligit, perfecto seu sancto odio habeat ; verùm etiam & semetipsum,

psum, *id est*, corpus suum seu sensualitatem, proprium iudicium, proprium amorem ac propriam voluntatem, tanquam suos maximos inimicos mortificet, horreat, & fugiat) & tolat crucem suam (*hoc est*, æquo animo ferat quæuis aduersa & mala, per totam suam vitã, non solùm liberè assumpta, verùm etiam sibi ab alijs illata, & hoc propter mei amorem ac imitationem) & sequatur me (*id est*, doctrinam meam meditetur, mores meos ac virtutes imitetur, & actibus mentis sursum eleuatis, post me in cælum ascendere non cesset. Soli etenim virtuosi ad contemplationis gratiam proficiunt (vt ait D. Bonau. *loco citato*) qui pro remuneratione studij spiritualis, vnctionem sancti Spiritus intus percipiunt, vt illuminati, cælestia secreta videant, quæ alijs velata sunt. *Hinc* igitur patet, triplex esse officium ac studium proficientium: quorum est *primum*, cognitionem videlicet sui acquirendi; *alterum*, vitia mortificandi; & *tertium*, studio virtutum insistendi.

ARTICVLVS II.

De primo studio ac officio proficientium, vtpotè, de sui cognitione.

PRimum officium ac munus cuiuslibet ascetæ proficientis non aliud est, quàm vt sui ipsius cognitionem acquirat, seu vt se ipsum cognoscat. Habet autem asceta cognitionem suiipsius, quando cognoscit naturam suam,

qualis nimirum fuit vel fuisset in statu innocentiæ, seu originalis iustitiæ; qualis modo est in statu per peccatum collapso: & qualis deinde est in statu per gratiam reformato. *Primo itaque dicendum est*, quòd homo secundum animam ac eius potentias, in statu innocentiæ creatus est ad imaginem & similitudinem Dei, vt intenderet in eum, & conformaretur ei, cuius est imago, per imitationem. *Vnde*, sicut Deus, est vnus & trinus; ita anima cùm sit vna, habet tres potentias quibus capax est Dei, scilicet intellectum, memoriam, & voluntatem. *Intellectus* quidem datus est homini, vt per eum capiat Dei sapientiam, seu cognoscat Deum. *Memoria verò* ad hoc data est ei, vt per illam capiat Dei potentiam, seu æternitatis illius virtutem apprehendat: *id est*, ita potenter intendat illius maiestati seu præsentiæ, vt in æternum nunquam ab illa separari possit: *Voluntas quoque* data est illi, vt per eam capiat Dei bonitatem, seu vt per illius affectionis actiuitatem, perueniat ad amoris ac bonitatis diuinæ fruitionem. *Vel item* intellectus datus est homini, vt nihil inquirat, cogitet, & contempletur nisi Deum: *Memoria* data est homini, vt in nullo quiesceret, nisi in Deo: *Voluntas* data est homini, vt nulli subdat se nisi Deo, non tamen coactè, sed spontè, vt hoc possit ei ad meritum reputari; & cùm peccare posset, non peccet; vt ex hoc laudabilis ac præmio dignus apud Deũ
fie-

fieret; vel si sponte peccaret, esset dignus confusione ac æterno supplicio. *Vel quoque*, sicut Deus est omnipotens, omnisapiens, omnibonus, ita hominem fecit ad imaginem & similitudinem suam rationalem, concupiscibilem & irascibilem, vt nimirùm ex tota vi rationali diligeret se prudenter ac sapienter; & ex tota vi concupiscibili, diligeret se dulciter ac suauiter; & ex tota vi irascibili, diligeret se potenter, *id est* fortiter, firmiter ac perseueranter. *Vel denique*, vt se tanquam potentem timeret, tanquam sapientem imitaretur, tanquam bonum diligeret. *Vel tandem* vt sibi vniretur secundum tres has vires, fide videlicet, spe, & charitate, per quod capax fieret summæ beatitudinis, quæ consistit quantum ab animam in clara vsione, secura tentione, & consummata fruitione; & quantum ad corpus, in claritate, agilitate, subtilitate, & impassibilitate. *Vel insuper*, adhoc data est homini vis *rationalis*, vt per eam, inquantum respicit inferiùs, verum & bonum creatum à falso & malo discernat; inquantum superiùs intuetur, summum verum ac summũ bonum cognoscere valeat. Vis *concupiscibilis*, inquantum est inferioris ac sensitiui appetitus, data est homini cum suis affectionibus, vt non nisi moderatè, prudenter ac rationabiliter appeteret naturæ suæ corporalis bonum seu conueniens; ac detestaretur malum seu disconueniens; inquantum verò vis concupiscibilis

est appetitus superioris ac volitiui, data est homini cum suis affectibus, vt nihil aliud appeteret, quam summum bonum, & nihil aliud detestaretur quam summum malum, *vt est* peccatum. Vis *irascibilis* inferior cum affectionum suarum motibus, ad hoc data est homini, vt per eam fortiter ac viriliter secundum regulas prudentiæ, malo naturæ suæ corporalis indignaretur;&bono adhæreret:inquantum autem vis irascibilis cum suis motibus est de ordine superiori, ad hoc datur homini, vt per illam feruenter, viriliter, zelozè, ac fortiter inhæreret summo bono, & indignaretur summo malo.

Secundò, ad cognitionem suiipsius spectat, nôsse, quòd in statu per peccatum collapso, imago ac similitudo Dei in anima deformata est, per corruptionem videlicet, speciei, modi, & ordinis. *Species* quidem corrumpitur, *tum* quando inspiratio diuina contemnitur, *tum* quando gratia Dei sanctificans, quæ nimirùm animam reddit speciosam, per peccatum ab eâ expellitur. *Modus* corrumpitur in anima, quando ratio ipsa (quæ est norma ac regula voluntatis, modum operandi ostendens ei) per peccatum deprauata, iudicat verum falsũ, & bonum malum; & vice versa, dicit falsum verum, & malum bonum: *Vel* quando voluntas spretis diuinis præceptis, quibus illi præscribitur modus operandi, vtitur fruendis, & fruitur vtendis. *Ordo* in anima corrumpitur,
quan-

quando ſuperior eius portio famulatur inferiori, & inferior dominatur ſuperiori; quamdiu enim ſubiectus fuit Deo ſpiritus, & præceptis eius obediens, tamdiu etiam illius imperio ſubijciebantur omnes vires inferiores cum ſuis motibus; ſed rebellante ſpiritu Deo, ſpiritui etiam corpus (*id eſt*, ſenſualitas) rebellauit; imò quoque eum vulnerauit, captiuauit, excæcauit, & omnibus bonis ſpiritualibus ſpoliauit.

Tertiò, ad cognitionem ſui, in ſtatu videlicet per gratiam Dei iuſtificantem reparato, neceſſe eſt nôſſe carnem concupiſcere, ſeu pugnare aduerſus ſpiritum, & ſpiritum aduerſus carnem; quod ipſum, in pœnam peccati originalis ordinatum eſt; & in profectum ſpiritualem iuſtificatis, per diuinam prouidentiã, & illorum prudentiam, cedere ſolet: *necnon* diſcernere habitus prauos, & probos, aut alias, ægritudines & virtutes; affectiones quoq; ſeu paſſiones, & ipſas actiones, vtpote naturales, vitioſas, honeſtas, & meritorias, tam videlicet ſuperiorum quam inferiorum, ac deinde tam apprehenſiuarum, quàm appetitiuarum virium: *tandem* ad cognitionem ſui ſpectat, cognoſcere ſe eſſe miſerum, vilem, inutilem, inſipientem & peccatorem; ac nihilominùs certum eſſe (videlicet certitudine morali ſeu probabili) de permanente in ſe gratia & charitate Dei: *inſuper* ſcire oportet hominem, quid viribus naturæ, & quid, aut quantum cum gratia Dei operari poteſt.

Quam autem nimis sit infelix status hominum seipsos ignorantium; & vice versa, quàm valdè fortunatus, seipsos cognoscentium; ipsum multiplex malum ignorationem sui concomitans, & bonum suiipsius cognitionem consequens demonstrat. Est autem *primum* malum suiipsius ignorantiã concomitans, ipsa videlicet insipientia, ac inde multorum contractio erratorum in via spirituali, gubernationeque sui & aliorum. Vnde *Psal.* 48. Homo cùm in honore esset, non intellexit, (*id est*, seipsum non cognouit, & ideo) comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Et Richardus *de contemplatione.* Nihil (*inquit*) rectè æstimat is, qui seipsum ignorat. Et Xenophon *in lib. de factis & dictis Socratis*, sic ait. Homines propter cognitionem sui, possunt esse authores multorum bonorum sibi & alijs: contra verò, multorum malorum, ob sui ignorantiam: huiusmodi enim neque ad regimen sui, neque ad familiæ, aut reipublicæ gubernationem sunt idonei. *Secundum* malum quod sequitur ignorationem sui, est superbia. Vnde S. Chrysost. *hom.* 32. *in Acta Apost.* quærit dicens. Et quis ignorat se suamque naturam, ex cuius ignoratione superbiam oriri certum est? *Respondetque sibi*: Multi, & fortassis omnes, paucissimis exceptis. *Idem.* Vnde est superbia? ex eo (*inquit*) quod non spectamus, quæ nostra sunt. *Hinc inferre licet.* Quod si ignorantia sui, est

origo ſuperbiæ: Igitur etiam omnium peccatorum origo eſt: quia ſuperbia, initium, caput, & radix omnis iniquitatis eſſe perhibetur. *Tertium* malum quod inuenit ſeipſos ignorantes, eſt expulſio illorum de domo Dei, & proiectio à facie diuina, vt eant ſecundum deſideria cordis ſui, poſt ſuas adinuentiones; quod ipſum indicant verba illa, aſperæ increpationis ab irato ſponſo cæleſti, ad animam, ſpiritualem videlicet diſciplinam profitentẽ, & ſtudium ſeipſam cognoſcendi negligentem, prolata. *Cant.* 1. Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres; egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hædos tuos, *quaſi dicat.* Siquidẽ ignorãs te plenè, negligis deuenire ad cognitionem tuiipſius ô formoſa anima, formata nimirum ac ornata præ alijs animabus gratiâ vocationis & iuſtificationis meæ; egredere, & abi à facie mea, *id eſt,* à protectione, gubernatione, & amicitia mea. *Vel,* egredere de ſtatu ſpiritualium, ad ſtatum carnalium; de conſolationibus ſpiritualibus, ad ſæcularia deſideria; de interna quiete, ad mundi inquietudinem; de filiali confidentiâ, ad inimicam ſaluti deſperationem; de familia cæleſti, ad conſortium mundanorum, de vita ad mortem. Et abi poſt veſtigia gregum tuorum, *id eſt,* ſequere turbulentorum ac inordinatorum rationis tuæ inferioris diſcurſuum multitudinem, ac ſententiarum decretorumque peruerſorum iudicij tui proprij tumultum.

tum. Et pasce hædos tuos. *id est*, morem geras, satisfacias, obedias ac seruias tuis effrenatis passionibus, & bestialibus cupiditatibus.

Bonum autem quod consequitur suiipsius cognitionem, est practica cognitio Dei ac mysteriorum eius. Vnde Hugo *Victor. in inst. monast. lib. 3. de anima cap. 6.* inquit. Frustra cordis oculum erigit ad videndum Deum, qui nondum idoneus est ad videndum semetipsũ: prius enim est, vt visibilia spiritus tui cognoscas, quàm possis esse idoneus ad cognoscendũ inuisibilia Dei: & si non potes cognoscere te, non præsumas apprehendere ea, quæ sunt supra te. Et S. Bern. *Serm. 6. in Cant.* Vt homo consideret Deum, prius seipsum consideret quid sit. Sanctus quoque Antonius Magnus *Epist. 6. ad suos monachos* de huius cognitionis necessitate scribens, sic ait. Quicunque cognouerit semetipsum, cognoscet dispensationem proprij conditoris. *Item.* Scio quod quicunque cognouerit semetipsum, agnoscet & Deum. Cui deinde subscribit D. Bernard. *serm. 36. in Cant.* dicens. Gradus ad notitiam Dei, est cognitio sui; & ex imagine suâ, quæ in te renouabitur, ipse videbitur. Huiusmodi cognitionem sui ac Dei, sancti Patres summoperè postulabant sibi cælitùs dari. *Vnde* D. Aug. Deus nouerim me, nouerim te. Et *S. Pater Franciscus.* Domine quis ego sum, & quis tu es? *Alterum* bonum quod sequitur cognitionem sui, est humilitas, quæ censetur

esse

esse mors omnis vitij, & fundamentum cunctarum virtutū. Vnde S. Greg. *lib.* 32. *Moral.* Quantò quisque minùs se videt, tantò minùs sibi displicet; & quanto maioris gratiæ lumen percipit, tantò ampliùs reprehensibilem se esse cognoscit. Et S. Bern. *de gradibus humilitatis* ait. Humilitas, est virtus, quâ veracissima sui cognitione sibiipsi quilibet vilescit. Et *S. Aug.* Cogitas magnam construere fabricam celsitudinis? de fundamento priùs cogita humilitatis.

ARTICVLVS III.

De altero officio proficientium, quod est studium internæ mortificationis, quo vitia rationalis animæ debellantur, & fontes seu causæ eorum tolluntur.

DIcendum est primò, quòd vitium minùs propriè acceptum, *aliquando* ipsum significat peccatum actuale: *aliquando* ipsam peccandi consuetudinem inueteratam: *aliquando* habituale peccatum, contritione videlicet non deletum. Ast vitium huius loci, vtpote, propriè sumptum, denotat affectionem prauam, tam innatam quam acquisitam & permanentem in anima (quamuis per gratiam Dei iustificantem sanctificatâ) eandemque ad aliquod opus peccati inclinantem: *Vel item*, vitium, significat habitum prauum, tàm natiuum quam acquisitum, habitui virtutis directè oppositum; *Vnde est*, quod ex eodem subiecto,

iecto, *id est*, ex eadem anima, alter alterum suis actibus expellere debet.

Dicendum secundò, quòd eædem sunt causæ seu scaturigines ac fontes vitiorum, quæ & peccatorum; quia vt ait *S. Bern.* Vitium quodcunque, est priuatio virtutis, & origo peccati. Sunt autem huiusmodi causæ (*pûta*, secundariæ: nam causa primaria vitiorum, vnica est, vtpotè peccatum originale) *alia* externæ, *alia* internæ. Causæ externæ tres habentur: *prima est*, obiectum quodlibet bonorum mundanorum, solicitans animam ad sui amorem inordinatum: *altera est*, obiectũ quodlibet malorum temporalium, solicitans animam ad immoderatum sui timorem: *tertia est*, tentatio quæuis inductiua, siue à diabolo, siue ab homine malo procedens: verùm hoc loco res nobis non est, de his externis causis ac fontibus vitiorum, nisi de sequentibus. Causæ internæ quatuor sunt, vtpotè indomita sensualitas, propria voluntas, proprium iudicium, & amor sui immoderatus.

Sensualitas, idem est, quod appetitus infeferior, qui lumen seu apprehensionem ac cognitionem rectæ rationis refugiens, ipsam sensuum corporalium notitiam sequitur, & est homini communis cum bestijs, estq; principium seu causa illius passionum. Alias eadem sensualitas à sanctis Patribus vocari solet Cupiditas, concupiscentia, corpus, exterior homo, vetus homo, fomes peccati, caro,

ani-

animalitas, anima sine adiuncto, ratio inferior, &c. Sciendum autem est, quod sancti Patres non conqueruntur contra præsentem sensualitatem inquantū est substantia à Deo creata, nisi inquantum est disposita ad præueniendum vsum rationis circa obiecta illicita, & contradicendum recto eius iudicio, quod habet ex peccato originali, iuxta quod illud est *Galat.* 5. Caro concupiscit aduersus spiritum. *Propria* voluntas idem est, quod singularis, prauus, ac inordinatus intellectualis appetitus, qui in eo quod vult vel appetit, non est conformis voluntati diuinæ, aut superiorum, aut quoque virorum proborum; sed omnino dissimilis.

Proprium iudicium, idem etiam est, quod singularis ac prauus intellectus, qui nimirum nec Dei, nec Ecclesiæ, nec superiorum, nec denique proborum ac prudentium virorum iudicio conformis est; sed ab illorum sensu ac sententia tenaciter dissentiens: quod quidem venit illi *Vel* ex defectu practici luminis, seu practicæ cognitionis veritatum diuinarum, *Vel* ex imperio deprauatæ voluntatis: nam sicut intellectus persæpè deprauat voluntatē, dum ipse prauus est; ita quoque voluntas peruertit intellectum, ac eius iudicium, dum etiam ipsa peruersa est. Prauus autem intellectus censetur esse, dum prauum seu falsum lumen, vel saltim, solum naturale loco supernaturalis præfert voluntati vltimum finem

appe-

appetenti, ac bonum operari cupienti; vt sic decepta, eligat malum pro bono, & refugiat bonum pro malo; vel, vt fruendis vtatur, & vtendis fruatur: hoc autem lumen prauum, seu errorem practicum (vel alias, ignorantiã rerum spiritualium) intellectus habet, vel ex naturâ suâ, vel etiam ex mala ac peruersa aliorum instructione; quod tamen superare potest auxilio Dei sibi assistente, aut propriâ industriâ & inquisitione, aut studio orationis, aut certè aliorum proborum sanâ doctrinâ & correctione humiliter susceptâ. Peruersa quoque voluntas intellectum peruertens illa est, quæ à sua primaria regula (*id est*, à diuina voluntate) auersa, & ad bona commutabilia seu transitoria conuersa, non solùm seipsam distorquet; verùm etiam intellectum ac rationis iudicium suo imperio sic deordinat, vt rectæ fidei diuinoque dictamine euerso, eius loco prauum dictamen homini substituat; quo, summa bona infimis, cælestia terrenis, Deum sibiipsi, ac æternam gloriam proprijs commodis postponat & subijciat: quod ipsum, etiam in ipsis viris doctissimis vsu venire cernimus, quorum doctrinæ ac scientiæ splendor, densam tetri rerum mundanarum amoris caliginem, peruadere nequit: Vndè, quamuis videantur sibi sapientes; in quotidianis tamen vitæ suæ actionibus pessimè ratiocinantur, pessimè sapiunt, ac innumeros & apertos errores admittunt.

Dicen-

Dicendum tertiò, quòd asceta, qui proficere ac Christum imitari cupit, necesse habet, vt sit expeditus à compedibus vitiorum, per odium animæ suæ, seu per abnegationem suiipsius, *id est*, per mortificationem suæ sensualitatis, propriæ voluntatis, & proprij iudicij, iuxta illud *Matt.* 16. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum. *Sensualitas* nostra dupliciter mortificari solet, externâ videlicet & interna mortificatione, iuxta illud Apost. dicentis *Galat.* 5. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs. Externâ quidem mortificatione sensualitas mortificatur, dum corpus ac omnis sensus eius, religiosa compositione, ieiunijs, vigilijs, laboribus, cilicijs, disciplinis, humiliationibus, & his similibus castigatur, & in plenam seruitutem spiritui redigitur: his etiam adnumeratur mortificatio linguæ, quæ custodiâ silentij perficitur, vel (si tempus & necessitas est loquendi) veridicâ & prudenti locutione. *Internâ* verò mortificatione, dum appetitus illius qui dicitur inferior, cum omnibus affectionibus ac passionibus aut arcetur, aut sursum erigitur. Arcetur autem appetitus sensualis cum suis affectionibus, efficaci videlicet prohibitione, ac forti resistentiâ affectionum appetitus rationalis, hoc *puta* modo: dum appetitus inferior, immoderato amore desiderioque suo fertur in aliquod bonum temporale (quale est vtile, delectabile & honestum:

per

per honestum autem hoc loco non decorum intelligitur, quod à veris virtutibus exoritur; sed vana existimatio, mundanusque honor) aut in illo delectatur; tunc superior appetitus, statim post huiusmodi inordinatæ motionis, ab intellectu (cuius lumen sequitur) aduertentiam, contra inferiorem, suo insurgit odio, abominatione, & tristitia: *ac deinde*, dum appetitus inferior, immoderatè odit, fugit, ac timet sibi contraria, aut dolet de malis sibi illatis; tunc superior è contra mouetur affectu amoris, gaudij, &c. complacendo sibi in tolerantiâ aduersitatum huius mundi, propter imitationem Christi. Sursùm autem erigitur ac eleuatur appetitus sensualis cum suis affectionibus, actibus videlicet appetitus rationalis, in quos & transformatur operâ illorum. *Exempli causa*, dum quis amore aut desiderio sensibili tendit in creaturam sensibus gratam; *Vel*, dum iam quiescit in illa per delectationem sensitiuam; ac istinc consurgit amore, aut desiderio rationali in Creatorem, vt nimirùm in ipso, suâ spirituali delectatione, seu gaudio suauiter quiescat. *Vel*, dum quis tristari incipit sensibili ac mundana tristitia, de malis sibi illatis, ac inde (sese recolligens) erigitur in tristitiam ac dolorem rationalem, magis iam videlicet quantum ad appretiationem dolendo de culpis ac peccatis proprijs, quàm de suis malis, miserijs, ac pœnis; quia peccata causa sunt omnium malorum, pœna-

rum,

rum, ac miseriarum. *Vel*, dum alicui motus displicentiæ consurgit, contra defectus alienos, & mox inde sumpta occasione, conuertit illũ motum contra suos defectus, ac in Deum erigit, dicens intra seipsum corde compuncto. Magis mihi displicent Domine Deus defectus mei, quàm alieni: quia mei mihi nocent non alieni, & tantummodo de meis coram te mihi reddenda est cita ratio, non autem de alienis: & sic reliquæ affectiones in hunc modum aut arceri ac deprimi, aut sursum erigi ac eleuari necesse habent.

Propriæ voluntatis triplex est abnegatio: *Prima* dicitur necessitatis, quâ homo renunciat suæ voluntati, inquantum illam propendere cognoscit ex natura sua vitiata in transgressionem præceptorum Dei, quæ de necessitate seruare debet, pro obtinenda salute æterna. *Secunda* abnegatio dicitur supererogationis, quâ asceta resignat suam voluntatem in voluntatem Dei, vtpotè consultiuam, ad omnes actus supererogationis; & in voluntatem sui superioris, ad omnes actus indifferentes, ita vt amplius nihil velit, aut nolit, secundum suæ voluntatis nutum, nisi secundum diuini consilij instinctum, ac sui superioris beneplacitum. *Tertia* abnegatio propriæ voluntatis, Deiformis dicitur, quæ illorum est, qui resignatissimo animo exponunt vitam suam, in tempore & æternitate, pro salute proximi & gloria sui Conditoris. *Primi* sta-

tus abnegatio, propria est omnium iustorum; *secundi* ascetarum proficientium in via spirituali; sed *tertij*, ipsorum est perfectorum.

Proprium iudicium, seu proprium arbitrium, *vel aliàs*, singularis intellectus, etiam tripliciter abnegatur. *Primò* dum sic fide captiuatur in obsequium Christi, vt de rebus diuinis sentire ac iudicare deinceps non audeat, secundum ipsum suum lumen aut dictamen naturale, nisi iuxta fidei cælitùs reuelatæ impulsum, ac Ecclesiæ, sacrorumque Doctorũ sensum, doctrinam, & interpretationem. *Secundò* abnegatur proprium arbitrium, dum humili sui submissione ac resignatione captiuatur in obsequium superiorum, ad imitandum videlicet illorum iudicium (quod omninò creditur esse diuinæ voluntatis interpres) quasuis resoluens quæstiones suum concernentes institutum: *vel aliàs*, de rebus religionis (vtpotè, indifferentibus, ambiguis, perplexis, & dubijs) ordinationes ac determinationes faciens. *Tertiò*, abnegatur huiusmodi singulare iudicium, quando columbinâ ac sanctâ quadam simplicitate, sic in obsequium proximorum captiuatur, vt illorum mores & actiones semper excusare, aut in meliorem partem interpretari conetur.

Dicendum quartò, quòd sublatâ causâ tolli necesse est effectum, *id est*, (quantum ad nostrum propositum) subiugatâ sensualitate & abnegatâ propriâ voluntate, mortificatoque singu-

singulari ac particulari iudicio, statim etiam illorum effectus prauorum habituũ, vel alias ipsa vitia acquisita tolli necesse est, nam innata tolli non possunt, nisi minui.

Nota autem quòd habitus vitiorum innati seu naturales, quidam sunt communes, quidam speciales: Communes contrahimus à primis parentibus, statim cum generali naturæ nostræ infectione, & iustitiæ originalis corruptione, in ipsa videlicet complexione ac vnione naturali animæ & corporis, ita vt omnes dicamur naturalem habere propensionẽ ad superbiam, luxuriam, iram, gulam, inuidiam & acediam. Speciales verò, vel aliàs singulares, ac proprios habitus vitiorum, vnicuiq; nostrûm ipsa complexio naturæ corporalis conferre solet. *Vnde est*, quòd sanguineæ complexionis homines, vtpotè calidi & humidi (quos nimirum videmus facie rubrâ, splendenti, serenâ, & vt plurimum subridenti) propensi solent esse ad iocos, risus, cantus, ludos, voluptates, parumque serij & constantes sunt; facilè tam sibiipsis quàm alijs, tam suis quàm aliorum affectibus indulgent; nec non amare alios, & vice versâ amari ab alijs cupiunt. *Cholerici* vel alias biliosi, cùm sint calidi & sicci, vt plurimum superbi esse solent, ambitiosi, elati, iracundi, præcipites, impetuosi: *deinde* audaces sunt ad quælibet suscipienda & agenda; nulli quoque parcunt rei, donec obtineãt, quod animo designârunt, cuius gra-

tiâ prodigi esse solent, astuti, fallaces, deceptores, ac dissimulatores: *denique* edaces etiã sunt. *Melancholicæ* constitutionis, vtpotè, frigidi & sicci, solent esse tristes, timidi, suspiciosi, proprij tenaces iudicij, taciturni. Vnde nascuntur eis scrupuli inutiles, perplexitates nociuæ, ac periculosæ phantasiæ. *Phlegmatici*, vtpotè frigidi & humidi, vt plurimùm sunt somnolenti, tepidi, tardi, ad otium propensi, sensibus obesi, mole corporis onerati, ac ingenio obtusiores. *Deinde* varia horum humorum permixtio, varios etiam in varijs complexionibus producit vitiorum effectus; imo quoque & quælibet ætas, diuersos huiusmodi cuilibet ingenerat prauos habitus. *Vitia* acquisita, seu habitus vitiorum vsu contractos, ipsa vnicuique hominum occupatio vitæ, aut conditio & status adferre consueuit. *Vnde est*, quod superiores, Domini, nobiles, diuites, ac sapientes, alia solent habere vitia, & alia subditi, serui, rustici, pauperes, ac rudes. De his duabus vitiorum speciebus *D. Aug.* sic ait. Cupiditates quasdam naturaliter contraximus, quasdam consuetudine nobis fecimus. *Idem alibi, quid inter vtrumque discriminis intersit, demonstrat.* Motus (*inquit*) illi mali auaritiæ, iræ, libidinis, partim de origine, partim de consuetudine veniunt; & priores quidem minui possunt, finiri non possunt: minuuntur autem proficientibus & resistentibus; relinquuntur autem baptizatis, vt for-

tiùs

tiùs certando, maiorem etiam sibi gloriam parent. Posteriores verò, etiam tolli possunt repugnando, & contrariâ bonâ consuetudine. *Vt* autem tollantur huiusmodi vitiorum habitus, vel potiùs sensim minuantur, omninò motus, eorum primi fugiendi ac vitandi sunt: nam vitiũ inde propriè dicitur, quod videlicet in primo suo motu, vitandũ ac fugiendum sit.

ARTICVLVS IV.

De amore proprio, & vitio superbiæ, ac motibus eius.

DIcendum est primò, quòd sicut nullus actus animi nostri moraliter bonus, euadere potest meritorius, nisi medio charitatis amore aut eliciatur aut imperetur; ita nullum vitium consurgere solet in malum ac demeritorium actum, nisi priùs amore sui immoderato excitetur. *Vnde est*, quod amor sui (non quidem ille *naturalis*, qui homini inest à natura, ac per quem absolutè, etiam ante omnem rationis actum, vult sibi bonum naturæ suæ congruum: nec ille qui dicitur *ordinatus*, ac rectæ rationi consentaneus, per quem diligit homo seipsum propter Deum, ad cuius imaginem & similitudinem conditum se esse cognoscit, & vult sibiipsi bonum, quod secundum Deum iudicat suæ animæ esse congruum, vel meritis suis esse proportionatum: quapropter dicitur etiam rationalis, debitus, rectus, ac bonus; quique desinit in amorem

charitatis. Sed ille, qui est *immoderatus* ac inordinatus, per quem vult sibi homo contra dictamen rectæ rationis bonum transitorium ac mundanum, quique contemptu Dei, aut mandatorum eius terminari solet) dicitur causa vitiorũ propinquissima: amando enim homo seipsum immoderatè, facili negotio suæ voluntati & proprio iudicio innititur, citòq; inordinatè appetit bona huius mundi, vtpotè excellentiam, possessiones, & voluptates, quo ipso incurrit superbiam, luxuriam, gulam, & auaritiam: quod si quis impedimento est illi ad ea obtinenda; mox iracundiâ inflammatur: si etiam aliquis alius habet ea, quibus ipse caret, vel carere spoliarique metuit, illicò inuidiâ succenditur: denique dum affectu & studio bonorũ temporaliũ animus eius insistit ac implicatur, protinus torpor mentis, ac tædium circa omnia virtutis officia ei generatur, quod est ipsa acedia. *Ecce* quomodo cuncta vitia ex proprio amore, tanquã causâ propinquissimâ originem trahunt; illoque veluti nexu inordinato colligantur. Verùm ad quosnam actus quodlibet illorum impellere animum nostrum soleat, ac inprimis vitium superbiæ, iam distinctè considerandum venit.

Dicendum secundò, quòd superbia dicitur à super & eo: quod videlicet, mentem *super se*, seu, supra portionem ac mensuram sui status & conditionis *ire* propellat; & conside-

ratur

ratur *dupliciter*, vt vitium, & vt peccatum. Superbia *vt vitium*, est pronitas, natiua homini in hoc statu corruptionis, ad appetendũ inordinatè excellentiam. *Vel aliàs*, est spiritus prauus pulsans mentem, ad concupiscendum immoderatè celsitudinem, seu ad immoderatè in ea sibi complacendum & gloriandum. *Vnde quoque est*, quod superbia vt vitium, dici solet spiritus superbiæ: quia animus illo malè inflatur, & peruersè sursum agitur. Superbia *vt peccatum largè accepta*, est voluntas nolens simpliciter subdere se legi, aut paratus animus aliquod eius violandi præceptum; aut quoq; est contemptus legis æternæ: *pressè sumpta* est inordinatus appetitus excellentiæ, seu de excellentia propria immoderata animi extollentia. Est autem propria excellentia triplex; *alia*, cui debetur honor, & reuerentia; *alia*, cui debetur cæterorum subiectio; & *alia*, cui debetur laus, seu laudatio & glorificatio: Appetitus inordinatus excellentiæ, seu sublimitatis ac celsitudinis, cui debetur honor & reuerentia, propriè superbia dicitur, seu superbia *vt superbia* vocatur: cui verò subiectio debetur, est *superbia vt ambitio*: cui denique debetur laus humana, appellari solet superbia, *vt vana* & inanis gloria.

Dicendum tertiò, quòd non quilibet appetitus excellentiæ, superbia dicitur, sed solùm appetitus inordinatus. *id est*, rectæ rationi non consentaneus; qui contingit quadru-

pliciter. *Primò* cùm ponitur vltimus finis in ipso honore, aut dignitate, aut laudatione humanâ: quod fit, cùm homo paratus est mortaliter peccare, propter obtinendam seu conseruandam excellentiam. *Secundò*, cùm aliqua appetitur excellentia ob aliquem malum finem, *vtpotè* ob fornicationem, aut assequendum turpè lucrum, &c. Verùm si non nisi appetitur excellentia propter vanum finē, tantùm erit venialis inordinatio huius appetitus: est autem talis, quando quis appetit laudē aut honorē; quia in his infra Deū vanè delectatur: vanū enim secundum se, non est obiectum peccati mortalis, sed tantùm venialis. *Tertiò*, quando quis quærit excellentiam per media illicita. vtpotè per simoniam, hypocrisim, &c. Vel si quis quærat excellens videri, ac æstimari de re mala, vtpotè de peccato mortali, talis appetitus erit mortalis. Verùm si quærat de re venialiter mala, aut de re falsa, *id est* de re non sua, acsi esset sua; vel aliàs de bono mendaciter sibi appropriato (bonum autem huiusmodi de quo quis potest superbire, *quadruplex* est, naturæ videlicet, fortunæ, gratiæ gratis datæ, & gratiæ gratum facientis. *Bonum* naturæ, est ingenij naturalis subtilitas aut promptitudo, memoriæ facilitas ac tenacitas, iudicij maturitas; necnon, corporis fortitudo, pulchritudo, agilitas; aut quoque vox, affabilitas, eloquentia, &c. *Bonum* fortunæ est, nobilitas, diuitiæ, dignitas,

poten-

potentia, acquisita scientia, rerum experientia, gratia principum: *Bonum* gratiæ gratis datæ, est quodlibet bonum cælitùs concessum, ad faciliorem alienæ salutis procurationem: *Bonum* gratiæ gratum facientis, est deuotio, compunctio, oratio, ieiunium, silentium, castitas, obedientia, patientia, humilitas, charitas, &c.) aut de re quamuis bonâ & verâ, sed tanto honori seu tantæ laudi ac dignitati improportionatâ, ipsique appetenti non commensuratâ; talis appetitus inordinatus excellentiæ, communiter non solet censeri mortalis, præsertim dum non est cum aliorum detrimento. *Quartò*, si quis propriam excellentiam quærat cum iniuria Dei, siue mediata, siue immediata: facit autem iniuriam Deo superbus quadrupliciter: *Ac inprimis*, dum vult quantum est ex se, independenter esse, aut absque regula diuinæ voluntatis viuere: vel etiam, dum gloriatur de suo bono, acsi illud à seipso haberet: vel denique, dum amore propriæ excellentiæ sic excæcatur vt vix agnoscat à quo bona habeat, & vix Deo vnquã ex animo pro illis gratias agat, eique ac eius maiestati se & sua sincerè subijciat: *deinde*, quando bonum credit ac iudicat à Deo quidẽ sibi datum, sed pro suis meritis: *item*, quando gloriatur se habere quod non habet, ac inde verè excellentium honore se dignum æstimari cupit: *tandem*, dum sibi pares, falsò se meritis superare arbitratur; vnde illis contem-

ptis & despectis singulariter excellens videri affectat. Contemnere autem proximum potest quis *aut externè*, dum videlicet facta eius temerè vituperat; vel aspicere, alloqui, & salutare eum dedignatur: *aut internè*, dum eum in corde vilipendit, & ab æstimatione quâ dignus est, deprimit. Per primam & secundam huiusmodi superbiæ speciem, iniuriatur homo Deo in se, seu immediatè: quia quantum ex illo est, ponit seipsum totam causam sui boni, aut saltim principalem: per tertiam & quartam, iniuriatur Deo mediatè, *id est*, in proximo; quia supra proportionem sui status, ac mensurā cælestis donationis, æqualē alijs, aut maiorem sibi attribuit honorem.

Appetitus cuiuslibet excellentiæ moderatus ac ordinatus, est bonus, licitus, & honestus, tanquam virtuti iustitiæ non dissentiens: talis autem censetur esse, dum rectæ rationi conformatur, debitasque habet circumstantias: vtpotè, quando quis affectat excellentiā, de re vera & bona, suis meritis commensuratam; nec non, ob finem aliquem bonum, vtpotè, ad malum infamiæ vitandum, sicut Samuel appetijt, dum seipsum (1. *Reg.* 14.) laudaret; aut propter vtilitatem spiritualem, *Vt est* gloria Dei, & ædificatio proximi. Sic S. Paulus excellens æstimari voluit, dum se 2. *Epist. cap.* 11. Corinthijs commendaret.

Dicendum quartò, quòd superbia, omnes animæ vires vitiare solet, ita vt sint actus eius

in

in memoria, in intellectu, in voluntate, in signo, in verbo, in opere. Superbiam habet quis *in memoria*, quando volubiliter de se maiora cogitat, quàm sit in rei veritate. In *intellectu* actus superbiæ est *primus*, si quis facilè credit ac deliberatè existimat se dignum honore, dignitate, & laude, supra sui statûs mensuram. *Secundus*, cùm quis excæcatus nimio appetitu excellentiæ, seriò iudicat ex omnibus quæque sibi optima & commodissima deberi. *Tertius*, si quis suo nimis inhæret iudicio, spretis aliorum probabilibus ac sanis consilijs & monitis. *Quartus*, si quis, cum alijs conferendo sua, præfert se eis; reputans se esse meliorem, perfectiorem, doctiorem, prudentiorem, potentiorem, nobiliorem, clariorem, magisque meritum. Hincque pares sibi contemnit, & quæ ab eis fiunt parui pendit: ad suos defectus clausos habet oculos, ad suas verò perfectiones apertos; inferiores opprimit, vexat, turbat, ac inquietat; superioribus diffidet, simulatè se cum illis habet, recusat animo se ac suum sensum illis subijcere, persuadens sibi, quod melius illis sciat ac valeat seipsum & alios gubernare. *Quintus*, dum quis temerè iudicat aliena facta, bona aliorũ deprimit, carpit, despicit, damnat; mala exaggerat, dubia in partem deteriorem interpretatur; nihilque nisi sua approbat & magni æstimat.

In voluntate actus superbiæ est *primus*,

quando quis voluntatem suam sequitur in omnibus; ac ab eo quod placet difficulter dimouetur, & ad aliena ægerrimè acce..it. *Secundus*, quando quis illa immoderatè vult & appetit, quæ ad propriam excellentiam pertin..nt, tanquam sibi congruentia: quod si videat se illa non posse obtinere, indignatur, irascitur, dolet. *Tertius*, quando quis in rebus secundis nimiâ effertur lætitiâ; & in aduersis nimio deijcitur mærore: aut quando leuiter mutatur de delectatione ex verbis laudis, in tristitiam propter verba vituperij: aut quando lætatur ex defectibus & criminibus aliorum, sperans se inde excellentiorem euasurum.

In signo superbiam aliquis habet, quando seueritate vultûs, asperitate visûs, singularitate vestitus, grauitate incessus, vastitate sermonis, erectione ceruicis, & inhumanitate morum à cæteris dissentit. Verùm non semper inhumanitas, morum grauitas, & non affabilitas, est superbia aut signum eius, sicut æstimat vulgus: pluribus enim ex complexione naturali aspera hæc nascuntur, quæ aliàs superbis ex ipso veniunt contemptu.

In verbo superbia est, *primò*, quando quis curiosè ac nimis diligenter inquirit rumores, scilicet, quid de seipso dicatur. *Secundò*, quando libenter narrat ea, quæ habet, vidit, audiuit, fecit, vt excellentior videatur. *Tertiò*, quando iactat se habere, aut esse, quod non habet,

habet, aut non eſt. *Quartò*, quando quis peccatum ſuum, defectum, vitium, errorem, & quamuis imperfectionem defendit & excuſat apertè & manifeſtè; de paupertate parentum ſuorum erubeſcit, &c. *Quintò*, quando quis ſimulatè confitetur peccatum ſuum, occultè illud excuſans. *Sextò*, cùm quis in ſermone, riſu, & iocis diſſolutè & faſtuosè ſe habere ſolet. *Septimò*, cùm quis putans ſe dignum ac benè meritum conqueritur, quòd ad aliqua non promoueatur honorifica officia; viliora autem & humiliora obire detrectat. *Octauò*, quando quis fugiens ſuæ probitatis aut ſapientiæ minorationem, facta vel dicta ſua contentiosè ac pertinaciter promouere ac probare conatur.

In opere ſuperbia eſt, *primò*, quando quis ingerit ſe ad faciendum, quod ad eum non pertinet: aut aggredi ea præſumit, quæ excedunt virium ſuarum facultatem. *Secundò*, quando præter conſuetudinem aliqua ſingulariter operatur, vt ſolus appareat & laudetur. *Tertiò*, quando quis grauium non niſi ac magnæ auctoritatis hominum quærit conuerſationem; vilium autem & pauperum ſubterfugit conſortium. *Quartò*, cùm quis virtutum ſectatur fucatum quoddam ſtudium, vt per aliorum bonam de ſe opinionem, ad id, quod inordinatè appetit, aditum ſibi patefaciat: vel ſaltem vt mali ſuſpicionem à ſe remoueat. *Quintò*, quando quis vt in ſuâ exi-

stimatione se conseruet, aut excellentior appareat, si sit Scholasticus lector, nouas excogitat ac docet opiniones: si concionator, potiùs res vanas, curiosas, ac subtiles auditori proponere studet, quàm conuersioni ac saluti eius fructuosas, vtiles, & conducibiles: si superior, internis neglectis exercitijs, ad studia exteriora quibus humanam famam ac mundanum fauorem colligat, se totum, & sibi subditos luctuosè conuertit: si ab officio honorifico amoueatur, indignatur superioribus, detrahit successoribus, tristitiâ consumitur, ac deinceps nihil penitùs agere vult.

ARTICVLVS V.

De vitijs auaritiæ, luxuriæ, gulæ, & eorum motibus.

AVaritia videtur venisse ab *aueo*, quod est cupio, & *are*, quod est pecunia; *vt sit*, quasi cupiditas æris aut pecuniæ. *Vnde* auaritia *vt vitium* est, nihil aliud esse dicitur, quàm habitus prauus inclinans animum ad inordinatum appetitũ pecuniæ, seu proprij. Sed *vt peccatum* est, vel vt actus peccaminosus, non aliud esse perhibetur, quàm immoderata cupiditas pecuniæ, diuitiarum, possessionis, ac proprij. *Nota primò*, quòd cupiditas præsens (vel aliàs, amor, seu appetitus) largè intelligenda est, puta, cum gradibus suæ prosequutionis, *id est*, cum omnibus affectionibus, quæ ex ipsa promanant. *Nota deinde*, quod

eadem

eadem cupiditas habendi immoderata, seu aliàs auaritia, mortalis est duobus modis. *Primo*, quando est contra iustitiam aut charitatem, nisi leuitas materiæ, vel inaduertentia excuset. Contra iustitiam quidem est, quando quis cum iniuria proximi aliquid habere cupit vel retinet, videlicet, modis, vijs, vel contractibus illicitis. Contra charitatem verò, quando in extrema aut graui necessitate proximi, non succurrit ei, impartiendo propria quæ congregauit. *Secundò*, quando quis sic afficitur desideratis, vt paratum habeat animum peccandi mortaliter, aut in præsenti optet alicui malum graue, dummodo re potiri valeat, quam tantoperè cupit. *Verùm* si appetitus immoderatus, seu auaritia, contra solam liberalitatem est, venialem non nisi habet culpam.

Vitium auaritiæ, motibus suis, communiter contra paupertatem in religioso pugnare solet, inficereque conatur totam incautam religiosi animam, dum esse vult in illius memoria, in intellectu, in voluntate, in signo, in verbo, & in opere. In *memoriâ* quidem auaritia est, quando aliquis frater inquietá mente nimis cogitat ac solicitus est, de rebus huius mundi acquirendis, aut conseruandis & augendis, siue pro seipso, siue pro cummunitate; ita vt non oret, aut non exerceat diuina officia attentè sicuti fas est. *Vel* quando quis in suis cogitationibus fingit se, aut suos habe-

re diuitias multas, ac pro suo libitu eas imaginariè disponit. In *intellectu* verò est, quando quis concipit opinionem de rebus huius mundi non expetendis vehementem, ac si valdè expetendæ essent: *vel* quando modos aut vias inuenire ac excogitare conatur, quibus eas acquirere, retinere, & augere queat. In *volnntate* habet aliquis religiosus actum auaritiæ, quando nimirùm appetit habere curiosa, pretiosa, ac superflua; & dum sibi pereunt, aut per superiorem auferuntur, irascitur, dolet, ac turbatur. In *signo* auaritia est, quando quis fratrum, vtitur rebus quasi proprijs; & cum distribuendæ sunt, vel parùm de illis dat, vel nihil, vel admodùm difficulter. In *verbo* etiam auaritia est, quando quis vt res acquirat aut detineat, mentitur, periurat, fallit seu decipit proximum. In *opere tandem*, quandò quis religiosus, pro suo libitu res accipit, donat, commutat, vel superiori abscondit.

Luxuria (alias luxuries, luxus) *generatim* sumpta; significat lasciuiam, petulantiam, ac omnem excessum non solum in re venerea, sed etiam in vestitu, epulis, vnctionibus, ædificijs, & similibus delicijs. *Vnde* luxuriosus est quasi luxatus (*id est*, relaxatus, profusus ac solutus) in quasuis voluptates: *strictè verò* accepta, solùm rei venereæ significat vsum inordinatum; seu venereæ ac libidinosæ voluptatis appetitum. Venit autem luxuria à lu-

xuri-

xurior, quod videtur esse compositum, ex nomine *lux*, & verbo *vror*; vt sit luxurior, quasi contra lucē seu lumen rationis vror. *Vel item*, luxuria; est quasi lucis intellectualis iniuria: quia nullum vitium adeò deprimit, & excæcat humanum intellectum, ac ipsa luxuria.

Vitium luxuriæ tunc est in *memoria*, quando occurunt species, seu imagines memoriæ carnalium actuum præteritorum, aut possibilium. In *intellectu* verò est, quando ipso actu huiusmodi turpes cogitationes, imagines, & conceptiones aduertuntur, reuoluuntur, & recogitantur, quoad modos, circumstantias, & media carnalium operationum. In *volun-tate* luxuriam aliquis habet, quando post primam intellectus aduertentiam, motui concupiscentiæ aut delectationi venereæ, aliquo modo non dissentit, quod est ipsum conniuere, seu tacitè ac interpretatiuè consentire. *Vel etiam*, quando huiusmodi concupiscentias seu carnalia desideria & oblectamenta, expresso approbat consensu: *vel denique*, quando proponit ipso actu veneream experiri voluptatem. In *signo* luxuria est, ipsa videlicet familiaritas nimia cum personis alterius vel quasi alterius sexus, ex quâ affectus amoris sensualis nascitur, qui aliquando putatur spiritualis esse. Vnde veniunt frequentiora & occultiora colloquia, munuscula, & huiusmodi multa, aspectus quoque facierum nimis infixi aut diuturni; imò etiam oscula, auditio-

nes

nes turpium sermonum, lectio obscænorum, titillatio, permulsio seu attrectatio blanda capitis, ceruicis, laterum, &c. item manuum apprehensio & constrictio: insuper auersio animi ab omni corporis proprij duriori tractatione, & conuersio ad quærendas quasuis illius commoditates ac oblectationes. In *Verbo* luxuria est, videlicet blandiloquium, turpiloquium, scurrilitas, &c. In *opere*, est fornicatio, stuprum, adulterium, incestus, raptus, sacrilegium; nec non vitium contra naturam, cuius tres sunt species, vtpotè mollities seu pollutio voluntaria proprij corporis, sodomia, & bestialitas: horum autem peccatorum grauitas, eo quo recēsentur ordine, excrescit.

Gula propriè significat colli interiorem fistulam ex carne & neruo constantem, per quam cibus & potus in ventriculum defluit: sed impropriè seu translatiuè accepta, significat vitium, quod est immoderata cibi & potus auiditas, vel inordinatus appetitus cibi ac potûs. Huiusmodi autem inordinatio contingit quintupliciter, quando nimirùm cibaria poculentauè, *aut* pretiosa, *aut* accurata, *aut* in maiori debito quantitate, *aut* præpropere, *id est*, non suo tempore, *aut* ardenter, *id est*, non ob necessitatem naturalem, sed ob voluptatē sensualem appetuntur, & quæruntur.

Gula, regulariter est peccatum veniale, quamuis vsque ad vomitum præuisum sese quis cibo aut potu ingurgitet. Potest tamen

con-

contingere, vt sit mortale, si quis videlicet in illa delectatione vltimum constituat finem, quod fieri potest duobus modis. *Altero* explicitè, vtpotè, dum quis expresse illam voluptatem, summam esse felicitatem iudicat. *Altero* implicitè, cùm id quidem expresse non iudicat, tamen erga illam sic afficitur; vt paratus sit propter illam, siue omnia, siue aliqua iura, aut nimirum diuina, aut humana, aut naturalia violare, *Vtpotè* ius non furandi, vel alienum restituendi, proximum non scandalizandi, certis temporibus ieiunandi, corporalem aut spiritualem sanitatem grauiter non lædendi: spiritualis autem sanitas læditur, cum quis excedit in potando, causâ voluptatis, vsque ad violentam vsus rationis priuationem. *Vbi nota*, quod ad ebrietatem plenam voluntariam, quæ sit mortale peccatum, duo concurrere debent; voluptas in potu intenta, & priuatio rationis violenta. Vnde ebrietas seu excessus in potu vsque ad violentam rationis priuationem, non causâ voluptatis, sed causa medicinæ, ex consilio medicorum, non reputatur pro peccato, sicut nec rationis priuatio naturalis, quæ fit per somnum.

Gulæ motus habet quis in *mente*, quando aduertenter ac deliberatè appetit cibos & potus delicatos, ac solicitè de conuiuijs cogitat: *Vel* quando est ad mensam, sic effusum habet animum in cibos, vt nullâ sui parte ad lectionem piam attendat: *Vel* quando perturbatur ani-

animo atque indignatur, si tardiùs cibi apponantur, aut non quales quantosque vellet. In *signo* habet quis gulam, quando immodestè festinanterque comedit, ac veluti vorat, aut pocula quasi vno haustu euacuat: *Vel quoque* signum est, imò & effectus gulæ, quando quis epulando immoderatè lætatur, ac in risus & iocos nimios effunditur, &c. In *Verbo* gula est, quando quis de cibis ac potibus voluptati deseruientibus frequentér loquitur: *Vel* quando libenter alios laudat, alios vituperat: *Vel* quando facilè conqueritur de superiore, quòd non procurat; de coquinario, quòd non præparat; de benefactoribus quòd non apponunt tales cibos ac tales potus, &c. In *opere* gula quid aut qualis sit, iam ex supra dictis sufficienter innotescit.

ARTICVLVS VI.

De vitijs inuidiæ, iræ, acediæ, & eorum motibus.

INuidia, est inepta seu inordinata tristitia, concepta ex contuitione alienæ prosperitatis: venit enim ab inuideo, quod est quasi non video, *id est*, non libenter bonum alterius contueor: *Vel quasi* introuideo seu nimis video: quia nimis, curiosè, ac solicitè intuemur, frequenterque ægris introspicimus oculis fortunam illius, de cuius felicitate ac bono tristamur. *Hinc primò sciendum venit*, quòd inuidia inter eos inuenitur, qui quasi æqua-

æquales reputantur: ideò quotieſcunque æqualis excedit alterum, & ille alter concipit dolorem, eo quòd ſe inferiorem videt, ac ſuam per alterius bonum obſcuratam eſſe cernit excellentiam, tunc inuidere dicitur. *Secundò ſciendum eſt*, quòd bona hominis ſunt, videlicet: ſcientia, fama, reputatio, fauor, amicitia, diuitiæ, honor, dignitas, potentia, &c. *Tertiò*, quòd triſtitia de bono alterius bene ordinata, non eſt vitium inuidiæ, nec aliqua culpa; eſt autem talis, dum elicitur ex bono fine: vt, quando ex charitate triſtamur de bono alterius, quatenus præbet illi occaſionem mali, puta inſolentiæ, ac multorum ſcelerum; & conſequenter priuat illum bono ſpirituali. *Vel etiam*, quando triſtamur de bono alterius ex compaſſione aliorum, quia habens illud, alios corrumpit, ſcandalizat, opprimit. Vnde hoc pacto licitum eſt lætari de malo, aut morte alicuius tyrranni, hoſtis Eccleſiæ, &c. & ex proſperitate illius triſtari non eſt vituperabile. *Vel denique*, quando quis triſtatur de bono alterius ex rationali timore, vtpotè, de officio, dignitate, poteſtate, diuitijs: quia inde probabiliter ſperat ſibi aliquid mali iniuſtè prouenturum. *Vel tandem*, cùm quis triſtatur non de bono alterius; ſed occaſione boni, quo alterum videt affectum, & ſeipſum iniuſtè deſtitutum, quod ad æmulationem ſpectat. *Quartò ſciendum eſt*, quòd inordinata triſtitia de bono alterius, non ſemper ad inuidiam ſpe-

spectat, nisi impropriè. *Vt*, quando quis tristatur seu dolet de bono illius, cui malum optat; talis dolor propriè pertinet ad odium. *Vel* quando quis tristatur de alieno bono, non quod nolit illud habenti; sed quia ipse dolens caret illo, cùm tamen ipsi sit improportionatum aut minùs conueniens, huiusmodi tristitia ad æmulationem spectat, & ex se venialis est. *Vel* quando quis dolet de bono alieno, quia indignus est illo, ac inde conqueritur intra semetipsum de iniustitia in distributione beneficiorum per homines factâ, talis tristitia nullum est peccatum, quia ad zelum pertinet. *Verum* si irreuerenter seu impatienter conqueritur de Deo, quasi malè distribuat, peccat mortaliter: iustè enim ac irreprehensibiliter Deus vult ex occulto suo consilio temporalia bona, dignis & indignis, fidelibus & infidelibus, iustis & iniustis; quod tamen ipsum homini non congruit velle: & hæc tristitia ad indignationem spectat.

Quintò sciendum est, quòd illa sola inordinata tristitia propriè inuidia dicitur, quâ tristatur aliquis de bono alterius, quatenus illud bonum, propriam excellentiam obscurare ac diminuere sibi videtur: seu, quatenus illud bonum proximi, redundare dolens credit in aliquod gloriæ suæ incommodum. Ex genere suo inuidia est mortale peccatum, charitati contrarium: quia charitas gaudet de bono proximi, inuidia verò dolet; nisi faciat illud veni-

veniale non plenus vſus rationis, *Vt eſt* in pueris, *Vel* materiæ leuitas, *Vel* imperfecta rationis aduertentia, *Vel* non plenus voluntatis conſenſus. *Sexto ſciendum eſt*, quòd inuidiæ actus in *mente* ſunt, non ſolùm quando quis triſtatur de bono alterius: *Verùm etiam* quando gaudet de malo alieno, aut deſiderat alteri malum, vtpotè, priuationem illius boni, per quod ſua excellentia minoratur: *aut* quando quis non commouetur rebus aliorum aduerſis ad compaſſionem, & proſperis ad lætitiam; *nec non*, quando aliquis quæcunque aliena bona parui æſtimat: *denique* quando aliquis alienatur animo ab ijs, quibus omnia feliciter eueniunt, & non vult iuuare alterum, ne proſperè agat: *tandem* quando quis tacitè optat, vt negotia proximo non bene ſuccedant: quod ſi male aut bene ſuccedunt; exterius illi compatitur, & interiùs gaudet; aut exteriùs congaudet, & interius dolet. In *ſigno* inuidia eſt, quando aliquis non bene audit res aliorum præclarè geſtas, & vice verſa, libenter aurem præbet ad rumores malos de aliorum factis. *Vel* quando reticet aliorum bona (& laudes non bene audit ob res feliciter ac laudabiliter geſtas) vbi adeſt occaſio ea diuulgandi. In *Verbo* inuidia eſt, quando aliquis alteri explicitè ſiue implicitè detrahit. *Vel* quando ironica amplificatione laudat, *puta* ad contemptũ. *Vel* quando inter aliquos per murmurationem ac ſuſurrationem diſſoluere

cona-

conatur amicitiam. In *opere* inuidia est, quando quis alterum, in officio, dignitate, opinione, & amicitia aliorum supplantat; aut, ne aliquid horũ assequatur, impedit: *vel etiam* obsistit, ne efficiat opus aliquod bonum, quod ipse præstare se non posse cognoscit.

Ira, sic dicta, vt quidam putant, à verbo ire: quod irati quamdiu irascuntur, non apud se sint, sed extra iuerint; & pacati, redierint ad se. Ira, vt est affectio nudè considerata, non reputatur esse mala, aut bona, sed indifferens; quia non est animæ actio aliqua moralis, sed passio naturalis, quâ bene & male vti possumus, sicut & cæteris affectionibus: & nihil aliud est, quàm sanguinis feruor in corde, ex euaporatione & turbatione fellis, proficiscens.

Ira *vt vitium*, est habitus animæ prauus ad appetitum vindictæ inclinans. *Vt autem* est actus moralis vitiosus seu peccaminosus, dicitur inordinatus appetitus vindictæ, natus videlicet ex apprehensione iniuriæ & excandescentiâ animi contra eum à quo offensi sumus. Hæc autem inordinatio contingere potest quadrupliciter. *Primò* ex parte appetentis. vt si appetit puniri, iniuriam sibi inferentem, priuatâ authoritate. *Secundò* ex parte patientis, vt, si sit innocens, qui punitur, aut tantum non meruit nocumentum. *Tertiò* ex parte modi, vt si iudex contra iuris ordinem, seu non seruatâ formâ iustitiæ puniat: vel cum graui excandescentiâ exteriùs apparen-

to,

te, & conſequenter cum ſcandalo. *Quartò*, ex parte finis, vt cùm non zelo iuſtitiæ, aut non propter correctionem fiat, ſed odio perſonæ; vel vt animus ſatietur, & ſic conquieſcat. Et talis ira dicitur formalis, ac ex genere ſuo eſt mortale peccatum, quando nimirùm venit ex plena deliberatione, & malum quod infertur aut appetitur eſt notabile. Solet nihilominùs ira eſſe peccatū veniale *primò*, quando eſt imperfecta ſeu materialis tantùm, ſicut eſt actualis impatientia, *id eſt* ſola apprehenſio iniuriæ, & animi interna excandeſcentia, abſque appetitu vindictæ. *Secundò*, ob defectum plenæ deliberationis, vt eſt in primo motu præueniente iudicium rationis. *Tertiò*, ob paruitatem mali, quod appetitur aut infertur.

Ira vt virtus, eſt zelus ſecundum prudentiam, ſeu appetitus vehemens puniendi malum, rectè ordinatus, *id eſt*, ſecundum rationis ordinem & legis diſpoſitionem ac intentionem directus. Talis autem zelus habetur, quando eo producitur animo, vt iuſtitia ſeruetur, peccator emendetur, mali terrore coërceantur, boni defendantur, pax communitatis cuſtodiatur: non autem, vt peruerſus animus mali irrogatione exſatietur. *Vnde*, non eſt vitium, ſed zelus iuſtorum, hoc fine expetere à Deo vindictam, tanquàm à ſupremo iudice, ac deſiderare malum aut mortem oppreſſoribus, corruptoribus, ſcandalozis, hoſtibus Eccleſiæ (quamuis credatur eos per-

petuò damnandos) ne nimirùm Ecclesia, aut boni per eos opprimantur, diuinusque cultus aut iustitia conculcetur. Hoc enim ipsum, non est optare malum vt malum, sed vt ordinatur ad bonum; ac proinde est optare maius bonum, seu aliquid melius, quàm sit vita impiorum. *Similiter*, licitum est optare alicui morbum vel infortunium, vt ad Deum hoc medió conuertatur, *vel* propter alium bonum finem. *Neque etiam* peccatum est lætari de morte alicuius, propter bonum ac vtilitatem, quæ mortem eius sequitur; dummodò delectatio non feratur supra mortem ipsam directè, sed super bonum quod inde oritur.

Iræ vitiosæ actus sunt in *mente*, quando quis expressè optat alicui pœnam, ignominiam, aut aliud malum, sine bono & malo; vt nimirùm & corrigatur, & vt suo appetitui peruerso satisfiat. *Vel* quando turbatur animo, nihil ferre volens; facillimeque offenditur & pungitur, pænè leuissimis dictis aut factis aliorum. *Vel* quando motus iræ non comprimit, sed potiùs fouet recordatione iniuriarum, interpretatione dicti aut facti alicuius, & quâlibet consideratione earum rerum, quibus igniculi iræ accenduntur. *Vel* quando bonam opinionem de aliquo conceptam, aut amorẽ erga eum in se diminui sentit, & huic non obuiat. In *signo* ira est, quando quis alteri exteriùs indignatur: est enim indignatio, alia interior, alia exterior; indignatio interior seu

cor-

cordis, est, cùm contemnitur & vilipenditur ille cui irascimur, tanquàm indignus à quo tale quid patiamur: exterior verò est, quâ homo indignum reputans illum à quo accepit malum, suâ videlicet affabilitate, familiaritate, & colloquijs, auertit ab eo faciem suã; aut non eo, quo anteà solebat vultu cum illo conuersatur; aut non vult de eo audire bonum aliquod verbum, & detestatur quod ei aliquando amicus fuerit, seruierit, benefecerit, &c. Huiusmodi indignatio erit mortalis in tribus casibus. *Primò*, si iratus notabiliter contemnat ac nihiliæstimet proximum suum deliberatè, tanquam vilem & indignum omni bono, ac proindè seipsum extollat & illi præferat. *Secundò*, si iratus decreuerit paratusuè sit non iuuare offendentem se, etiam in graui necessitate. *Tertiò*, si ex tali auersione animi, & subtractione signorum ciuilis amicitiæ, sequeretur notabile scandalum: alias erit veniale aut nullum, si hoc fiat, ex recto rationis iudicio absque inordinato affectu, vtpotè propter correctionem, ad tempus non prolixum, secluso scandalo, &c. *Vel deinde* in signo ira est, quando quis ex indignatione ab alijs abscedit, solitaria loca quærit, communia exercitia negligit, ab oratione alijsque bonis operibus, vtpotè illis exhibendis cessat, &c. *Ira in verbo est*, quando quis conqueritur coram alijs de iniuriâ sibi factâ, discordiarum inter fratres semina spargit, vltrò citròque

dicta seu facta referendo: verbis iocosis alios pungit, aut mordacibus, contumeliosis, ac similibus exacerbat: cùm quid controuersum agitatur, vt fieri solet in disputationibus; contentiosè, clamorosè, pertinaciter, impetuosè, & acerbè se habet. In *opere* ira est, ipsa nimirùm rebellio, seditio, & punitio offendentis; imo & rixa, quæ solet esse non solùm verbis, sed & factis: verbalis quidem fit per contentionem seu altercationem affectuosam & clamorosam. Realis autem rixa fit, quando aliqui ex ira inuicem sese percutiunt.

Acedia, veniens latinis ex Græco nomine ἀκηδία propriè est incuria, negligentia, pigritia, habens oppositam alacritatem, assiduitatem & diligentiam: & sicut illius causa est quædam animi deiectio, proximè accedens ad tristitiam; ita & huius est quædam animi erectio affinis lætitiæ. In materiâ morali ad nostrum propositum acedia dupliciter accipitur. *Primò* vt vitium generale, omnium vitiorum generibus sese communicans: & significat tristitiam de bono spirituali, vel alias detestationem ac fugam boni spiritualis; omne enim peccatum, refugit bonum spirituale, nempè virtutem sibi contrariam, vt superbia refugit humilitatem, ac tristatur de eius actibus; auaritia, detestatur paupertatem voluntariam; luxuria, castitatem; gula, ieiunium, inuidia proximi charitatem; ira patientiam. *Secundò*, vt est vitium speciale seu vnum ex

capi-

capitalibus: hæc acedia idem est quod tristitia de bono diuino in quantum diuinum, de quo gaudet charitas: *Vnde* est, quòd directè gaudio spiritus opponitur, quod est charitatis fructus. Bonum autem diuinum tripliciter consideratur. *Primò*, vt Deo bonum. *Secundò*, vt mihi bonum. *Tertiò*, vt proximo bonum. Cùm *itaque* aliquis affectu malitiæ concitatus voluntariè ac deliberatè tristatur de bono Dei (vtpotè de gloria & sanctificatione nominis eius, de omnipotentiâ, sapientiâ, iustitiâ, bonitate, misericordiâ, &c.) quasi nollet illud habere illum; peccat mortaliter contra Deum ac eius charitatem grauissimo peccato acediæ. Cùm *deinde* aliquis sic se auertit per suam malitiam à bono diuino, *id est*, à beneficijs à Deo sibi venientibus, vt non solùm pro illis gratias non agat, verùm etiam inde tristetur, *vtpotè*, quòd cognouerit Christũ, quòd sit natus Christianus & Catholicè educatus, quòd sit ad religionem vocatus, quòd ei sint prouisa huiusmodi media ad beatitudinem, *puta* obseruantia mandatorum Dei, vsus Sacramentorum, doctrina fidei, oratio, virtutes Theologicæ, &c. Huc etiam spectant illi, qui ob nimium affectum ad res temporales, amisso gustu spiritualium, desiderant in mundo perpetui esse; non curantes cælestem patriam, eiusque gaudia iucundissima, ac imprudenter præponentes hæc visibilia inuisibilibus: quâ ratione peccant mortaliter, contra sui chari-

taté peccato acediæ grauissimo. Cùm *tandem* aliquis malitiâ permotus deliberatè tristatur de bono spirituali proximi sui, vtpotè de gratia Dei & charitate in eo, ac de alijs donis gratuitis illi cælitùs collatis, similiter peccat mortaliter grauissimè contra charitatem proximi peccato acediæ, quòd alias inuidentia fraternæ charitatis nuncupatur. *Item*, acedia, *vt est* capitale vitium, opponitur etiam spei, cuius est confidere; & est diffidentia de proprijs viribus & auxilio Dei implendi mandata, seu quæuis ardua ac difficilia, ex qua deinde nascitur desperatio, quâ homo diffidit se gratiam Dei ac æternam salutem consecuturum, & est peccatum mortale grauissimum.

Potest tamen acedia esse veniale peccatum tribus modis. *Primò* ratione imperfectionis actus; quia videlicet non est plenè deliberatus, sed sistit solùm in parte sensitiua, aut in ratione imperfecta. *Secundò*, cùm acedia non ipsi charitati, sed solùm feruori illius opponitur: vt quando quis tædio afficitur aut tristatur de bono interno seu opere spirituali, inquantùm est laboriosum, animo & corpori onerosum, ac delectationis aut quietis impeditiuum; non autem inquantum est medium ad salutem necessarium (vtpotè, de ieiunio incidente tali tempore, vel oratione tali hora facienda, officio diuino mediâ nocte persoluendo, concione audienda tali loco, &c.) talis acedia ex repugnantia sensualitatis suboriens,
regu-

regulariter veniale peccatum est, etiam consensu pleno accedente: quia consensus in veniale, non est nisi venialis. *Tertiò*, quando ex eadem causa aliquod bonum opus omittitur, non obligans nisi sub veniali: secùs est, si opus esset, omninò necessarium medium ad finem vitæ æternæ consequendum, *Vt sunt* præcepta Dei, aut Ecclesiæ, &c.

Acediæ actus in *mente* alicuius tepidi religiosi sunt, quando segniter excipit diuinos afflatus, ac tardè sequitur & exequitur: *Vel etiam*, quando deficit spiritu in studio perfectionis, exercitijsque virtutum lassatur ac debilitatur; desperat de victoria vitiorum, fastidit & contemnit media profectûs vitæ spiritualis, *Vt est* oratio mentalis, meditatio æternarum veritatum seu mysteriorum fidei, lectio librorum spiritualium, disciplina religiosa, correptiones superiorum: *Vel denique*, quando distractionibus mentis in rebus diuinis, & alijs malis cogitationibus occurrentibus negligenter resistit, &c. In *Verbo* acedia est, quando religiosus de profanis ac vanis libentiùs loquitur, quàm de spiritualibus; quando libentiùs loquitur de vitijs aliorum, quàm de virtutibus: quando maiorum ordinationes repræhendit, vel contra disciplinam & correptiones superiorum murmurat, & conqueritur de duritia prælatorum zelantium, &c. In *signo* ac opere acedia est. *Quando* res diuinas & quæuis negotia & exercitia spiritualia in-

deuotè, frigidè, morosè, aut etiam nimis festinanter, & irreuerenter tractat; ac interdum fugit seu omittit; vel non suo tempore, aut non integrè persoluit: *quando* cellã tanquam carcerem odit, & euagationem tam intra, quàm extra claustrum diligit: *quando* ludos & recreationes immoderatas, animiq; & corporis inania oblectamenta quærit: *quando* magis sibi placet cum sæcularibus, quàm cum spiritualibus conuersari personis; maioremq; vult habere consuetudinem cum dissolutis, quàm zelosis ac probatis viris; plus quoque illis, quàm istis confidit: *quando* externis magis incumbit exercitijs, quàm internis ac spiritualibus: *quando* inutilia tractat ac vana libenter operatur, aut operari horret ac vitat labores necessarios, otio delectatur, ac omnia corporis commoda diligit, &c. De modo autem huiusmodi vitia extirpandi seu impugnandi, mox dicetur inferiùs articulo nono.

ARTICVLVS VII.

De tertio officio proficientium, vtpotè, de studio virtutum: ac inprimis de diuisione ac partibus illarum.

DIcendum est primò, quòd virtutes quibus viator sufficienter perficitur respectu omnis obiecti, tam scilicet creati, quàm increati; seu respectu tam vltimi finis, quàm mediorum ad eundem finem, *aliæ* sunt Theologicæ, *aliæ* morales. Theologicæ sunt tres, *vtpotè*, fides,

fides, spes, & charitas. Morales sunt quatuor, *vtpotè*, prudentia, iustitia, fortitudo, & temperantia. Per virtutes Theologicas perficitur ac disponitur homo ad comprehendendum vltimum ac immediatum finem, seu ad obiectum increatum cognoscendum, appetendũ & amandum. Per fidem scilicet, ad cognoscendum Deum cognitione intuitiuâ ac immediatâ, sed obscurâ: quia fides seu fidei cognitio, quâ Deum obscurè cognoscimus ac intuemur, est cognitio immediata ac reuelata: cognitio verò Dei per creaturas, est etiam cognitio obscura, sed iam abstractiua, mediata, & acquisita. Per spem, perficitur ac disponitur homo ad appetendum & desiderandum summum bonum. Per charitatem, ad amandum idem summum bonum. *id est*, Deum.

Per virtutes morales perficitur ac disponitur homo respectu obiecti creati, *id est*, finis intermedij, seu respectu mediorum ad finem vltimum, Prudentia, perficit hominem in agibilibus, per fidé scilicet cognitis. Iustitia, in reddibilibus (ex fide deductis) quod suum est vnicuique. Fortitudo, in remouibilibus, resecando nimirum ea, quæ in fine vltimo obtinendo præpediunt. Temperantia, in appetibilibus: quia moderatur appetitum, ne tendat inordinatè in id, quod fini vltimo obtinendo discrepat.

Dicendum secundò, quòd virtutes Theologicæ, aliàs diuinæ vocantur: *tum* quia illis

medijs Deus in animam, & anima in Deum agit ac loquitur, quod ipsum etymologia nominis declarat: *tum* quia immediatè respiciunt finem vltimum, *id est*, Deum. Morales etiam *aliàs* cardinales, capitales, vniuersales, & speciales dicuntur. *Morales quidem*, quia mores seu actiones humanas faciunt rationales, & honestas; quas tanquam media ad finē vltimum obtinendum ordinant. *Cardinales*, quia sicut ostium vertitur in cardine & regitur; ita his virtutibus reguntur & vertuntur vires animæ, *Vt* prudentiâ regitur & vertitur vis rationalis; iustitiâ, vis volitiua; fortitudine vis irascibilis; temperantiâ vis concupiscibilis. *Capitales* dicuntur, quia habent aliàs virtutes, tanquam suas partes integrales & potentiales. *Vniuersales* denique, quia habent partes subiectiuas. *Speciales* tandem dicuntur, inquantum distinguuntur à virtutibus generalibus. Vnde est quod præsentes virtutes morales, habent triplicis differentiæ partes, *Vt potè*, subiectiuas, integrales, & potentiales. Partes *subiectiua*, sunt inferiora virtutis, seu species: sicut homo & brutum dicuntur species animalis. Partes *integrales* seu integrantes, vel item partiales; ea sunt, quæ necesse est concurrere ad perfectum actum virtutis. Partes *potentiales*, illæ sunt virtutes adiunctæ, quæ ordinantur ad aliquos actus secundarios, vel ad materias; ita vt non habeant totam vim virtutis; hoc pacto dicuntur etiam
ani-

animæ rationalis potentiæ, partes potentiales.

Dicendum tertiò, quòd virtutes Theologicæ dupliciter considerari solent, *vel* vt sunt infusæ, *vel* vt acquisitæ: infusas homo suâ naturali actiuitate nequit sibi comparare; nisi illas immediatè à Deo efficiente ac operante accipiat: acquisitæ virtutes, quæ viribus naturæ obtinentur, propriè non possunt dici Theologicæ, nisi quæ per asceticum studium medijs infusis, post actus frequentatos, habentur. *Vnde* fides infusa, si est formata, communis est omnibus fidelibus iustis: sicut & illa, quæ acquiritur cum infusa per actus frequenter elicitos, propria est ascetarum; ac idem est, quod augmentum, seu magna intensio habitûs infusi: si est informis, communis est omnibus fidelibus, per gratiam non iustificatis; sicut & illa, quæ solis viribus naturæ acquiritur, propria est hæreticorum, ac similium, quamuis ab alijs non fides, sed opinio dicatur.

Spes infusa, per vires animæ rationalis elicit actus meritorios. Spes acquisita formata, comparatur viribus animæ rationalis mediante infusa, & hoc per frequentes actus: quæ tamen, dum per peccatum mortale fit informis, remanet in anima non quidem ad meritum, sed tantùm ad facilitandam potentiam animæ: per quam tamen actu sperari potest beatitudo propter futura merita, sed non sicut sufficit.

Spes altera, quæ solis viribus naturæ acquiritur, extra Dei gratiam, non est formata & meritoria: & talis propria est hæreticorum, Iudæorum, & aliorum infidelium, per quam falsò sperant vitam æternam, *vel potiùs* suspicantur bona æterna sibi affutura, propter Dei promissionem fidelibus iustis præstitam.

Charitas infusa, per potentias animæ rationalis elicit & imperat actus meritorios. Acquisita verò per eosdem actus frequentatos comparatur: & hæc, *vel* est formata, *vel* informis. Formata est, quousque habitus infusus, quo etiam omnis alia virtus formatur, per mortale peccatum non corrumpitur ac tollitur: informis verò est, quam diu cum habituali peccato manet in anima; non quidem ad meritum, sed solùm ad faciliter eliciendum & imperandum actus bonorum operum, & ad disponendum aliquo modo animam respectu gratiæ Dei recuperandæ. *Vnde est*, quod religiosi in virtutibus exercitati, alijs hocce studium negligentibus, rariùs cadunt, (quia sunt magis elongati à quibusuis tentationibus & occasionibus peccatorum) velociùs surgunt (quia & candela non pridem extincta, citiùs ac faciliùs accenditur, quàm illa quæ adhuc minimè arsit ac luxit) citiùs proficiunt & firmiùs stant. Charitas solis viribus naturæ acquisita, propriè dicitur dilectio Dei naturalis.

Dicendum quartò, quòd virtutes morales etiam dupliciter considerantur, *vel* vt sunt infusæ,

fusæ, *vel* vt acquisitæ. Infusæ cælitùs homini veniunt simul cum gratia Dei habituq; charitatis. Acquisitæ sunt duplices, *aliæ* asceticæ, *aliæ* philosophicæ. Est autem differentia inter huiusmodi virtutes morales infusas, & acquisitas vtpotè philosophicas, quadruplex. *Prima*, quia infusas solus Deus in homine àbsque hominis operatione operatur, quamuis non absque eius cooperatione, *id est*, præparatione & consensu: acquisitas verò, sola natura generali auxilio Dei adiuta sibimet comparat. *Secunda*, quia acquisitæ, regulam suarum actionum, habent naturalem rectam rationem. Recta autem ratio est, quæ ex cognitione tum legum humanarum, tum sententiarum honestatis, quas natura omniũ animis indidit, rectæ ac fideliter trahit & infert conclusionem. Infusæ verò virtutes, regulam suarum operationum habent, & ipsam rationem, & fidem, & præscriptum mandatorum Dei consiliorumque Christi. *Tertia*, quia actiones virtutum infusarum fiunt propter bonũ spirituale, seu propter ipsum Deũ, vt est principium & finis supernaturalis: acquisitarum verò, propter honestum, ac bonũ præsentis vitæ; vel etiam propter Deum, sed vt est principium & finis naturalis: quod si propter Deum, vt est principium & finis supernaturalis, tamen non sicut sufficit, & hoc propter defectum fidei & charitatis, *Quarta*, quia præsentes virtutes acquisitæ sunt iam in

quadam victoria vitiorum; quamobrem faciliter & delectabiliter bonum, rationi naturali consentaneum, operantur: infusæ verò, non dantur cum victoria vitiorum; sed non nisi per illas ad creberrimos congressus vires incipientibus præstantur, vt bello pacem internam sibi comparare queant. *Vnde est*, quòd sæpè contingit incipientibus cum difficultate & animi fatigatione, bonum legi diuinæ ac principijs fidei conforme operari: quam ob caussam non rarò studium spiritualis vitæ deseruissent, nisi gratia sensibili seu suauitate cælesti diuinitùs perfunderentur, illustrarentur, & roborarentur.

Porro, etiam ipsæ virtutes morales acquisitæ, *vtpotè* asceticæ & philosophicæ, inter se differunt quadrupliciter. *Primò*, asceticæ acquiruntur medijs habitibus infusarum (vnde quoque & naturam illarum induunt) per studium sacræ lectionis, meditationis, orationis, & per actus earum frequentatos, ac disciplinæ claustralis cultum; corruptisq; infusis, illæ tamen remanent informes, non quidem ad meritum, sed ad disponendum aliquo modo, seu facilitandum potentiam pro primæ gratia recuperanda. Philosophicæ verò seu ciuiles virtutes, acquiruntur solis naturæ viribus, per disciplinam, tum scholasticam, tum ciuilem. *Secundò*, quòd philosophicæ omninò necessariæ homini sunt, ad vitam præsentem, tam propriam quàm aliorum, vtiliter,

honestè, ac rationabiliter gubernandam; sed asceticæ, præterea, ad vitam spiritualem propriam, & aliorum sanctè regendam. *Tertiò*, quòd philosophicæ, ad meritum naturale sufficienter operantur; sed non item ad supernaturale: asceticæ verò cum merito semper abundantiori vitæ æternæ operantur, modo charitate formatæ sint. *Quartò*, quòd philosophicæ faciliùs acquiri possunt; quia sensualitas illarum actibus minùs repugnat, tanquã purè naturalibus: asceticæ verò difficiliùs obtinentur; quia sensualitas actibus earum nimis contradicit, tanqtam supernaturalibus.

Dicendum quintò, quod prudentia *vel* accipitur generaliter, *vel* specialiter. Vt accipitur *generaliter*, significat omnem veri notitiam, quæ aliquo modo ad rectè viuendum spectat, comprehendentem scilicet & ipsam fidem, & quamcunque disciplinam Theologicam: & secundum hoc prudentia sæpè in sacra Scriptura vocatur Sapientia. Vt autem accipitur *specialiter*, est virtus vna ex cardinalibus, & significat virtutem intellectualem, proximè morum directricem: quæ alias, est recta ratio agibilium: *vel* rerum appetendarum & fugiendarum notitia. *Vnde est*, quòd homo per prudentiam scit, quid possit & quid non possit: quid, quomodo, & quando sit sibi agendum, vel non agendum. *Per illam* quoq; discernit inter verum & falsum, inter bonum & malum, inter defectum & excessum, inter

vtile

vtile & damnosum, inter facile & difficile, inter certum & incertum, inter securum & periculosum.

Partes subiectiuæ huius virtutis sunt duæ, quarum *altera* dicitur Prudentia priuata, seu sui regitiua, quâ homo rectè seipsum regit, ac in singulis suis actionibus spectat quid & quomodo agere debeat, proprium intendens bonum: & hæc sola simpliciter & absolutè vocatur prudentia (vt docet Arist. *Eth. 6. cap.* 8.) quia is absolutè prudens est dicendus, qui sua præ cæteris omnibus curat, seipsum omni virtute exornans. Et talis prudentia aliàs dicitur, Monastica, quia soli vnicuique singulari personæ deseruit, inter cuius primas partes, est, cognitio suiipsius, vt colligitur ex illo 1. *Tim.* 4. Attende tibi, &c. Et ex illo *Prou.* 16. Qui sapiens est corde (*id est*, qui seipsum sapit, seu cognoscit) appellabitur prudens. *Altera pars* dicitur, Prudentia publica, seu multitudinis ac communitatis directiua, quâ quis rectè alios gubernat, bonum intendens illorum. Et hæc quadruplex est, vtpotè regnatiua, politica, œconomica, & militaris. *Regnatiua* prudentia, seu legislatrix, est, quâ quis rectè gubernat Regnum, Principatum, Prouinciam, Ecclesiam, Regionem, &c. & idoneas condit leges in commune bonum reipublicæ. *Politica* seu ciuilis est, quâ ministri Regis, Principis, Papæ, Generalis, Prouincialis rectè administrant ciuitatem, conuentum,

colle-

collegium, seu quamcunque aliam hominum communitatem, Regisq; vel cuiusuis alterius superioris leges obseruari curant debitis & proportionatis medijs. *Oeconomica* est, quâ quis rectè gubernat familiam domesticam, eius bonum solùm spectans. *Militaris* est, quâ militia rectè administratur. Harum prudentiarum publicarum, priuata prudentia est fundamentum: nullus enim prudenter populum aut familiam regere potest, qui se ac sua imprudenter pertractat: qui namque sibi nequam est, alijs bonus esse non potest.

Partes prudentiæ integrales seu integrantes, sine quibus non potest esse prudentia perfectè præceptiua seu dictatiua ac directiua operis, sunt *octo*, memoria scilicet, intelligentia, ratio, prouidentia, docilitas, solertia, circumspectio, & cautio. *Memoria* est notitia eorum quæ antea fuerunt. *Vel*, est recordatio eorum quæ legimus, audiuimus, vidimus, aut quocunque modo experti sumus; ad hoc nobis deseruiens, vt scilicet ex præteritis faciliter colligere valeamus, quid in præsenti vel futuro negotio expediat: nam prudentia versatur circa contingentia operabilia, & in his vt plurimum futura sunt præteritis similia. *Intelligentia* significat notitiam tam eorum quæ nunc sunt, ac fiunt in occulto; quàm legum & bonarum consuetudinum, vt sint pro principijs ac regulis agendorum. *Ratio*, est promptitudo quædam ratiocinandi; ac veri-

tatem

tatem particularem per se minimè notam, per aliam vniuersalem seu notiorem inferendi, colligendi, & cognoscendi. *Prouidentia*, est tempestiua futurorum contingentium præuisio: seu ex præteritis & præsentibus futurorum contingentium præsens notitia. *Docilitas*, est facilis quædam susceptio disciplinæ ab expertis rerum, quales sunt potissimùm senes: duobus enim modis prudentia acquiritur, eruditione nimirum & experientiâ: experientia quidem (quæ aliàs temporis longitudine comparatur) docet de similibus aut dissimilibus, similiter aut dissimiliter iudicare: eruditio accepta à senioribus expertis, supplet experientiæ defectum, iuxta illud *Eccl.* 8. Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum. *Solertia*, est quædam sagacitas in inueniendo medio breui tempore, quod ad rectè agendum spectat. *Circumspectio*, est diligens & accurata consideratio ac perspectio circumstantiarum, ne aliqua desit in opere. *Cautio*, est omnis mali, quod sub specie boni vitiare potest actionem, studiosa animaduersio.

Partes prudentiæ potentiales sunt *tres*, eubulia nimirum, synesis, & gnomæ. *Eubulia*, est habitus præbens facultatem rectè consultandi, quidnam sit agendum, aut quomodo procedendum in rebus dubijs & perplexis.

Vel

Vel est virtus consiliatiua, bona scilicet suggerens homini consilia, ac facilia ostendens media ad consequendum finem. *Synesis* est habitus præbens facultatem rectè iudicandi de consultatis, idque iuxta præscriptum legum positiuarum & naturalium. *Gnome*, est habitus præbens facultatem de consultatis rectè iudicandi, ex principijs quibusdam altioribus contra tenorem scilicet verborum legis naturalis & positiuæ, ad mentem tamen ipsius legislatoris. *Vel* est virtus de medijs inuentis benè iudicatiua, non quidem secundum alicuius legis determinationem, sed secundum ipsius rectæ rationis lumen.

His suppositis dicendum est *triplex* esse munus prudentiæ. *Primum* est, benè consultare, seu studiosè inquirere media necessaria, ad hoc, vt opus fiat honestè ac secundum virtutem. *Secundum* est, rectè iudicare de inuentis medijs; quænam sint videlicet aptiora media ad finem consequendũ eligenda. *Tertium* est, rectè ac opportunè imperare, *id est*, præcipere, vt quæ inuenta sunt per consiliationẽ, & apta iudicata ad finem, solicitè ac diligenter executioni mandentur.

Contra hanc prudentiam peccatur, *tum* per imprudentiam, *tum* per falsam prudentiã. Per imprudentiam seu per defectum, peccatur *quadrupliciter*, præcipitatione scilicet, inconsideratione, inconstantiâ & negligentiâ. *Præcipitatio*, est impetuosus motus volunta-

tis, aut appetitus sensitiui, imperantis homini, quod opus propositum aggrediatur omisso consilio & iudicio de medijs: & hæc præcipitatio *duplex* est, simplex scilicet & temeraria. Simplex est, quæ aggreditur opus nullo habito consilio, vel discursu. *Temeraria* est, quæ contemnit consilium, ac facit contra illud. *Inconsideratio* est defectus recti iudicij, de re agenda, & modo agendi; proueniens ex eo, quòd quis negligit aut contemnit ea obseruare, ex quibus rectum iudicium procedere potest. *Inconstantia*, est recessus à priori bono proposito rectè consiliato, ac rectæ rationis iudicio determinato. *Negligentia*, est inefficacia propositi, seu tarditas animi, in imperando eo, quod est iam benè consultatum & iudicatum.

Per falsam prudentiam seu per excessum prudentiæ sex modis peccatur, *vtpotè*, prudentiâ carnis, astutiâ, dolo, fraude, solicitudine temporalium, & solicitudine futurorum. *Prudentia* carnis (de qua *Rom.* 8. Prudentia carnis mors est. Et *Luc.* 16. Filij huius sæculi prudentiores sunt filijs lucis) est rationis machinatio solers, seu excogitatio ingeniosa, accomodata ad consequendum aliquem finem, deprauato sensuali appetitui conformem. *Astutia*, est excogitatio mediorum, quæ ad finē, siue bonum, siue malum consequendum, sint ita idonea, vt videantur quidem verè bona, sed reuera falsa sunt & simulata. *Dolus*, est astu-

tiæ

tiæ quædam executio verbis. *Fraus* est eiusdem astutiæ executio factis. *Solicitudo* temporalium, est studium immoderatum circa res temporales, vel acquirendas vel conseruandas; proueniens ex inordinato habendi amore, vel amittendi timore. *Solicitudo* futurorum, est nimia ac intempestiua occupatio circa futura, maximè vt vitæ necessaria habeantur, coniuncta cum anxietate & parua fiducia diuinæ prouidentiæ.

Dicendum sextò, quòd iustitia est virtus, secundum quam constanti & perpetuâ voluntate ius suum vnicuiq; redditur: & est *duplex*, generalis & specialis. *Generalis* iustitia, aliàs legalis & Christiana (de qua habetur *Mat.* 5. Nisi abundauerit iustitia vestra, plùs quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum) est ille animi habitus, secundum quem ex fide Christi, in charitate Dei, omnia mala fugimus, æternæ legi contraria, & bona operamur, æternæ legi conformia, iuxta illud *Psal.* 33. Declina à malo (*non solùm operationis, more Pharisaico; sed & locutionis & cogitationis, more Christiano*) & fac bonum. *Vel etiam* iustitia generalis, idem est, quod omnis perfectio Christiana, omnes includens virtutes: aut omnium virtutum imperans & ordinans actus ad suum finem, ac ad bonum commune pluribus debitum. *Specialis* iustitia, distincta scilicet ab alijs virtutibus, est habitus constituens æqualitatem ad alteram

alteram singularem personam. *Vel*, est virtus per quam rectificantur & ordinantur actus voluntatis ad commune bonum, singulari personæ debitum: & hæc iustitia, est virtus cardinalis, cuius partes integrantes sunt duæ. *Altera* consistit in abstinere à faciendo malum proximo. *Altera* in facere bonum proximo debitum.

Partes subiectiuæ specialis iustitiæ sunt *duæ*, iustitia scilicet commutatiua, & iustitia distributiua. *Commutatiua* iustitia, posita est in emptionibus, venditionibus, commutationibus, &c. *Distributiua* consistit, tum in distribuendis præmijs, honoribus, & alijs bonis communibus ad æqualitatem, attenta ratione meritorum, & non personarum: tum in pœnarum inflictione. Et sic distributiua iustitia, distinguitur in *remuneratiuam*, quæ præmia distribuit; & in *punitiuam* quæ delicta castigat.

Partes potentiales, seu virtutes annexæ speciali iustitiæ sunt *nouem*, religio scilicet, pietas, obseruantia, veritas, gratitudo, vindicatio, affabilitas, liberalitas, epicheia. *Religio* est virtus moralis, quæ inclinat hominem, vt Deo debitum cultum & honorem exhibeat. *Actiones seu actus* istius virtutis interiores, sunt deuotio & oratio: exteriores verò sunt, adoratio, sacrificium, votum, iuramentum, adiuratio, laus. *Deuotio* est actus paratæ voluntatis ad præstanda ea, quæ ad Dei cultum & gloriam spectant. *Oratio* est petitio decen-

tium

tium à Deo. *Adoratio* est, quâ non solùm mente, sed etiam externâ corporis significatione Deo reuerentiam exhibemus. *Sacrificium* est oblatio rei alicuius externæ, Deo religiosè facta, quâ nos ipsius imperio subditos esse profitemur. *Votum* est promissio facta Deo de aliquo bono. *Iuramentum* est assumptio diuini nominis in alicuius rei testimonium. *Adiuratio*, est inuocatio diuini nominis, quá quempiam deprecando aut compellendo, ad aliquid faciendum vel non faciendũ inducimus. *Laus* est assumptio diuini nominis in vocali cantu. *Hinc nota*, quòd religio in præsenti accipitur pro habitu virtuoso, & non pro statu aliquo, vel scilicet vniuersali, vel speciali Christianorum fidelium, vbi hæc virtus exercetur, siue secundum legem præcepti, siue consilij, *Vt est* Religio Catholica, & Religio Minoritana, &c. in quâ ad inuicem vinculo charitatis religati, Deo alligari debemus, tanquàm indeficienti principio, quo omnis nostra actio dirigenda est. In hoc autem differt virtus religionis à virtutibus Theologicis, & ab alijs moralibus: quia non versatur circa Deum, vt materiam seu obiectum, sicut versantur virtutes Theologicæ, sed solùm circa actus quibus Deus colitur, vt vltimus finis. Vnde Deus colitur fide, spe, & charitate, prout scilicet istæ virtutes imperio suo causant actũ religionis: & quia propinquiùs accedit Deo, cæteris virtutibus moralibus.

Porrò

Porrò religlio apud Latinos idem est quod latria apud Græcos, à quâ differt dulia & hiperdulia in hunc modum: quia cultu latriæ solum Deum adoramus propter eius excellentiam infinitam: duliæ verò, excellentes creaturas; quæ scilicet excellentiam Dei completè participant, vt sunt Sancti in gloria, inter quos excellentissima est & coniunctissima Deo Beatissima V. M. & ideo soli debetur cultus hiperduliæ. Dum autem imaginibus Dei idem cultus exhibetur, qui & Deo; & imaginibus Sanctorum, idem qui & ipsis Sanctis: tunc non considerantur in seipsis, sed vt ducunt nos in ipsum Deum, & in sanctos eius, quos repræsentant. *Pietas* est virtus, quâ quis exhibet se beneuolum erga alios & subuenit miseris. *Obseruantia*, est virtus, per quam homines aliqua dignitate antecedentes, cultu ciuili & honore dignamur. *Gratitudo*, est virtus, quâ ijs, qui de nobis benemeriti sunt, gratias non solùm habemus & agimus, sed etiam referimus cùm possumus. *Vindicatio*, est virtus, per quam vis aut iniuria, & omninò omne quod obfuturum est, defendendo aut vlciscendo propulsatur: quæ vindicatio vt sit recta, debet fieri per publicã potestatem, seruatis omnibus iustitiæ modis & terminis. *Veritas*, est virtus, quâ quis verbis & factis talem se demonstrat, qualis in se est. *Affabilitas*, est virtus, quâ quis in communi consuetudine mediocriter, & vti decet

se habet,

se habet, studetque quantum potest omnibus benignè obsequi. *Liberalitas*, est habitus qui in quærendis erogendisque pecunijs, seu ijs quæ pecunijs comparantur, decorem seruat. *Epicheia* seu æquitas, est virtus, quæ facit, prætermisso rigore iuris, amplectendum esse, quod recta ratio dictat; & quod in tali casu probabiliter faceret legislator vel prælatus si adesset.

Dicendum septimò, quod fortitudo dupliciter accipitur. *Primo* modo, pro robore seu virtute corporali. *Secundo*, pro virtute animi: & sic fortitudo est virtus generalis & specialis. *Fortitudo* vt est virtus generalis, significat firmitatem animi in quouis bono ac honesto proposito, seu stabilitatem animi in quolibet opere virtuoso: quia secundum Philosophum ad virtutem requiritur firmiter & immobiliter operari. *Vt autem* est virtus specialis, ac vna ex cardinalibus, significat firmitatem animi in aggrediendis & sustinendis his, in quibus difficile est habere firmitatem, & hoc propter bonum virtutis: ac maximè in aggrediendo bello & sustinendâ morte, siue fiat contrapugnatio ex parte hominis, vt accidit militibus; siue non fiat, vt accidit martyribus, de quibus illud dicitur. Fortes facti sunt in bello, æquo & firmo animo aduersa & ipsam mortem ferendo propter Christi fidem ac imitationem. Vnde opus ac munus fortitudinis specialis, est moderari secundum re-

ctitudinem rationis, timorem & audaciam, antequam scilicet venerit vel acciderit malũ: iam autem superueniente vel accidente malo, est moderari tristitiam ac mœrorem, ne ex nimia afflictione animi, aliquid indecori agatur.

Fortitudinis partes integrales puta esse magnanimitatem, fiduciam, securitatem, magnificentiam, patientiam, longanimitatem, perseuerantiam, & constantiam. *Magnanimitas* est virtus ad opera magna & heroica in omni virtutum genere inclinans. *Fiducia* est virtus perficiens animum, vt sit promptus ad aggrediendum opera ardua. *Securitas* est virtus, quæ sedat nimias anxietates & curas solicitas, quas timor concitare solet. *Magnificentia* est virtus inclinans animum ad rectè faciendos magnos sumptus, vbi expedit. *Patientia* est virtus, quæ animum firmat aduersus tristitias, ne ab illis oppressus desinat ab officio rectæ rationi consentaneo. *Longanimitas* est virtus, quæ perficit animum, vt moderatè ac sine anxietate expectet id, quod rationabiliter sperat & diu differtur. *Perseuerantia* est virtus, quæ facit animum in opere virtuoso permanere finaliter. *Constantia* est virtus, per quam animus in proposito honesto stabilis est.

Dicendum octauò, quòd temperantia, vt est virtus *generalis*, retrahit appetitum ab his, quæ ipsum contra dictamina rectæ rationis alliciunt; vel ab his, in quibus aliquam dele-

ctationem inordinatam habere potest. Vt verò dicitur virtus *specialis*, ac vna ex cardinalibus, est habitus moderans delectationes carnis, in cibo, potu, & rebus venereis.

Partes temperantiæ speciales integrales sunt *duæ*, verecundia nimirum, & honestas: *duo* enim officia habet temperantia, vtpotè fugiendi turpia, & prosequendi decora: ad fugam turpitudinis iuuat verecundia;ad amorem decoris, iuuat honestas.

Partes subiectiuæ sunt *quatuor*, scilicet abstinentia, sobrietas, castitas, & pudicitia: quia temperantiæ *quadruplex* est materia, *vtpotè* delectatio circa cibum, potum, carnis coniunctionem, & circa oscula. Vnde *abstinentia* est virtus, quæ cupiditates seu delectationes refrenat ciborum; & in ipso vsu debitam moderationem constituit, valetudini & officijs personarum congruentem. *Sobrietas* cupiditates & delectationes circa potum refrenat, & se inebriare valentē moderatur; ne per inebriationem sanitas mentis lædatur, aut ne mens notabiliter obtenebretur. *Castitas* refrenat cupiditates & delectationes venereas, ne his homo vtatur contra præscriptum rectæ rationis: & hæc duplex est, *perfecta* scilicet & *imperfecta*. Perfecta castitas est, quæ ab omnibus venereis voluptatibus tam licitis quàm illicitisperpetuò abstinere proponit. Et talis est virginitas,& castitas ascetica. Imperfecta est,quæ vel ad tempus proponit,vel tan-

tùm ab illicitis abstinet: & talis vocatur coniugalis, cuius moderatio consistit in vsu debito, loco, modo, tempore, & fine. *Pudicitia* non est distincta à castitate: nam non est castus, qui non abstinet ab osculis libidinosis.

Partes potentiales temperantiæ sunt *quatuor*, continentia scilicet, mansuetudo, clementia, & modestia. *Continentia* hic non accipitur pro castitate, vt plerumque in sacra scriptura & à sanctis Patribus accipi solet: sed pro firmitate animi, seu pro firmo proposito continendi se in bono rationis contra impulsus concupiscentiæ, quibus ad voluptates carnis impellitur. *Mansuetudo* temperat irã, ne animus plus irascatur quàm oportet, cui, vbi, & quando. *Clementia*, moderatur vindictam seu externam punitionem, quantum iustitiæ ratio patitur. *Modestia* est virtus, quâ quis mediocritatem seruat circa motus suos internos & externos; & omnem rerum suarum apparatum, intra mensuram sibi congruam coërcet.

ARTICVLVS VIII.

De gradibus virtutum asceticarum.

DIcendum est primò, quòd fides acquisita per studium asceticum, mediâ scilicet fide infusâ, tres habet gradus. *Primum*, ipsa constituit prima fides, quâ incipiens credit Deũ, Deo, in Deum; propter se, & supra omnia. *Secundum*, ipsa deinde secunda fides, quâ proficiens

ficiens credit Deum, Deo, & in Deum; propter se, & supra omnia. *Tertium* fidei gradũ constituit, nuda, pura ac excessiua fides, quâ perfectus aliquis (alienatus nimirum ab omni absoluto mysticorum, seu ab omni similitudine abstracta creaturarum) purè ac nudè credit Deum, Deo, & in Deum; propter se, & supra omnia. *Vel etiam*, fides, quâ quis miracula Dei operatur, dum id sancta postulat necessitas. *Vel item* fides, quæ habet magnum desiderium, omne genus persecutionis, aut cuiussuis diræ mortis sustinendi, propter sui prædicationem & confessionem. *Hinc nota primò*, quòd ascetæ non ita strictè accipiunt primam fidem & secundam, sicut Theologi scripturales, *id est*, sacræ Scripturæ interpretes: hi namq; per primam fidem intelligunt ipsum habitum fidei infusum, qui cælitùs datur nouiter conuersis ab infidelitate; aut qui de nouo charitate formatur in animabus fidelium per pœnitentiam à morte peccati resurgentium. *Vel aliàs*, scripturales per primã fidem, intelligunt primum fidei actum, in aliqua necessitatis ad Deum conuersione (*id est*, aut ab infidelitate, aut ab iniquitate) internè elicitum. Per secundam verò fidem, intelligunt ipsius fidei formatæ conseruationẽ, nouisque actibus elicitis ipsius augmentationẽ; ac per bonorum operum studium, illius confessionem & manifestationem. Ascetæ verò per primam fidem, intelligunt ipsum infusæ

fidei vſum, exercitiũ, & continuum augmentum, ſeu ipſam fidem practicam & anagogicam in acquirendo. Per ſecundam verò fidem, ijdem aſcetæ intelligere volunt, eandẽ fidem in eſſe acquiſito, *id eſt*, plenum ac intenſum fidei habitũ, ſtudio aſcetico comparatum: aut quoque intelligunt magnam myſteriorum fidei intelligentiam acquiſitam; & vſum eadem myſteria ordinariè contemplandi, explicandi, & prædicandi.

Nota ſecundò, quòd fidem puram ac nudam huius tertij gradus, habet aliquis ipſo actu, dum mens eius, actibus contemplationis extraordinariæ (*id eſt*, actibus ecſtaticis, ſeu myſticis deſideriorum ardoribus) ſurſum, ſupra omnem intelligentiam diuinorum agitur (vtpotè ſupra æternas architypias. *id eſt*, ſupra rationes exemplares omnium creaturarum, & fidei myſteriorum, quæ in Deo ſunt: quarum intellectuali inſpectione, Deum ac eius myſteria cognoſcimus, ordinarièque contẽplamur; quibus aliàs nihil diuinius oculis intellectualibus intuemur) & in caligine incomprehenſibilitatis Dei conſtitutâ, ipſi radio diuino exemplaris fidei infigitur: vbi credit Deum (*id eſt*, videt Deum per fidem eandem, omninò incircumuelatum, ſimilitudinibus videlicet exiſtentium & non exiſtentium) credit Deo, & in Deum, & hoc purè propter Deũ (non autem iam, ſicut fit communiter, propter miracula, teſtimonium ſacræ Scripturæ,

& auctoritatem Ecclesiæ) & supra omnia, *pura*, supra omnia documenta mysteriorum fidej acquisitæ, & supra omnia principia per se nota.

Nota tertiò, quòd fides miraculorum, aut omnia impetrans (de qua *Mar.* 11. Habete fidem Dei: Amen dico vobis, quia quicunque dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunque dixerit fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis & eueniet vobis) complectitur spem, charitatem & omnem fiduciam; & excludit omnem hæsitationem & temeritatem. Cùm autem Apostolus dicit 1. *Cor.* 13. Etsi habuero fidem, ita vt montes transferam, nihil sum. Non est intelligendum, quasi fides miraculorum, aut impetratoria omnium, in sensu composito possit esse sine charitate; quia peccatores Deus non exaudit, nisi in sensu diuiso: nam potest quis post patrata miracula perdere charitatem, & fidem retinere informem, cum qua nihil est coram Deo, seu nullius pretij ac æstimationis. *Vel* vult Apostolus hæc verba intelligi conditionatè, vt sit sensus. Si fides miraculorum esse posset sine charitate, nihil per se prodesset ad salutem. *Vel* si quis velit intelligere Apost. loqui absolutè, ac tenuerit in sensu composito, posse aliquem habere fidē miraculorum, aut omnium impetratoriam

ſine charitate, hoc puta concedi poteſt antecedenter,ſed non comitanter. *Exempli causâ.* Si quis habens peccatum mortale, ac videns periclitari Eccleſiam Dei,ſubitò erigeret ſe in talem fidem, quòd pro defenſione fidei Catholicæ, aut vtilitate fidelium ſpirituali magnâ, vellet Deus per ſe patrare miraculum; talis fides antecedenter, *id eſt*, ex opere operantis, nihil prodeſt ad ſalutem,quia ei charitas deeſt: ſed comitanter, *id eſt*, ex opere operato, prodeſt; quia in illa eleuatione mentis, mox diuinitùs iuſtitiâ donatur ac formatur. *Fiducia*, vel aliàs confidentia, alia eſt fidei, *alia* ſpei *alia* charitatis; & differt *primò* à fide, ſpe, & charitate, tanquam effectus à cauſa, particulare à generali, & probabile ab infallibili. Vnde fides *dicit*,Deus eſt omnipotens,ſapiens verax, bonus; ac proinde poteſt, ac vult nobis quaſi filijs ſuis omnia facere ac donare, ſicut promiſit,quæcunq; petierimus ab eo iuxta eius voluntatem. Fiducia verò fidei (quæ eſt quædam credulitas ſeu perſuaſio obtinendi id, quod petimus) *dicit*. Quod oro fieri, probabiliter puto illud eſſe ſecundum voluntatem Dei;ac proinde confido illud mihi dari à Deo, qui ſicut ſeipſum negare nequit, ita nec promiſſa ſua violare. Spes *dicit*: Deus omnia quæ dare nobis promiſit, dabit; ſi fecerimus ea quæ præcipit. Fiducia ſpei *dicit*. Hoc dare promiſit,& ego facio quod præcipit. Igitur hoc mihi dabit. Charitas *dicit*.
Amo

Amo Deum super omnia, propter se, in se, & secundum se. Fiducia charitatis *dicit.* Amo Deum supra hoc mihi charum, & supra hoc & hoc, &c. propter se, in se, & secundum se. *Secundò*, fiducia differt à fide, spe, & charitate in eo, quòd fides, spes, & charitas rectè aspiciunt Deum; fiducia verò, reflexè. Vnde fides *dicit*: Credo Deum, Deo, & in Deum. Fiducia verò, Credo seu fido me benè ac infallibiliter credere, propter quod libenter expono vitam. Spes *dicit.* Spero veniam, gratiam, & gloriam. Fiducia spei *dicit*, fido me benè sperare, & omnes conditiones spei habere. Charitas *dicit*: Amo Deum supra omnia, propter se, in se, & secundum se; & proximum propter Deum, in Deo, & secundum Deum. Fiducia charitatis *dicit*, fido me esse in gratia Dei, seu fido me verè Deum ac proximum amare, & quod me verè diligat Deus, iuxta illud *Prou.* 8. Ego diligentes me diligo.

Tertiò, fiducia differt à fide, spe, & charitate, *quasi* gratia sensibilis à gratia habituali, seu iustificante; *Vel quasi* deuotio accidentalis, à deuotione substantiali: *Vel quasi* spiritus transiens à spiritu permanente. *Vnde* fiducia, est quasi fides, spes, & charitas affectuosa, intensa, & experimentalis, ex Deo concepta, & in Deum erecta; quæ abesse potest absque habitus fidei, spei, & charitatis corruptione ac deformatione. *Vel* fiducia est ipse feruor, nec

non constans & secura fidei, spei, & charitatis audacia: aut etiam quædam affectio suauis, fortis, & prudens, mentem in Deum eleuans, & in illo quiescere faciens. *Hinc patet*, duplicem esse fiduciam seu confidentiam, *vtpotè*, acquisitam & infusam: acquisita quidnam sit, iam constat: infusa verò confidentia, nihil aliud est, quàm instinctus diuinus, quo exhilaratur anima ob quandam certitudinem inspiratam, quod propter merita præsentia sit Deo, cui innititur grata ac dilecta. Ex his, passim habetur confidentia mixta seu composita, *id est*, partim acquisita, partim infusa. *Hinc deinde* est, quod fiduciam tria promouent: *primò*, eorum quæ in Deo sunt consideratio, vtpotè bonitatis, veracitatis, &c. *Secundò*, instinctus Dei, per quem Deus orantes animat, & quodammodo promittit se daturum id, ad quod petendum eos impellit ac instigat: *aut quoque*, infusio Dei gratuita & suauis, mentē illustrans, exhilarans, inflammans, eleuans, &c. *Tertiò* cordis seu conscientiæ nostræ testificatio, iuxta illud 1. *Ioan.* 3. Si cor nostrū non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus. *Hinc tandem dicendum*, duo esse quæ fiduciam deprimunt: *primum* est hæsitatio, *secundum* verò temeritas. Hæsitatio fidei, est infidelitas; qui enim pertinaciter dubitat in fide, est infidelis,

& hæreticus: hæſitatio ſpei, eſt deſperatio, ſaltim inchoata: hæſitatio charitatis eſt acedia, & conſequenter mentis quædam à Deo auerſio. Hæſitatio fiduciæ fidei, eſt credulitas ſeu opinio ac perſuaſio non obtinendi id, quod petimus, pro fundamento habens deuotionis tepiditatem: hæſitatio fiduciæ ſpei, eſt quædã dubitatio de petita re obtinenda; ac de ſuis meritis diffidentia, ex animi puſillanimitate proueniens: hæſitatio fiduciæ charitatis, eſt quædam mentis perturbatio, ex ariditate ac ſiccitate ſpirituali ortum habens; aut ex peccatis venialibus commiſſis, ac ipſis ſcrupulis acquiſitis naſcens. Temeritas (quæ fundamentum habet ignorantiam ſui) idem eſt, quod animi audacia, præſumptio, inconſiderantia, præcipitatio, reique non præmeditatæ approbatio ac ſuſceptio. *Vnde* concludendum eſt: ſi cor noſtrum non reprehendit nos (vtpotè de hæſitatione, quæ eſt defectus ſeu vnũ extremum confidentiæ: & de temeritate, quæ eſt exceſſus ac alterum extremum eiuſdẽ confidentiæ) fiduciam habemus ad Deum: & eo maiorem ac perfectiorẽ, quo etiam maior ac perfectior ineſt nobis fides, ſpes, & charitas.

Dicendum ſecundò, quòd ſpes acquiſita, ſeu ſtudio aſcetico per actus frequentatos comparata, tres habet gradus. *Primus* eſt, quando quis habet primam ſpem in Deo, quâ ſperat primam veniam, primam gratiam, & primam gloriam. *Secundus* eſt, quando quis

habet secundam spem in Deo, quâ sperat secundam veniam, gratiam, & gloriam. *Tertius* spei gradus est, quando quis excessu spei perfectè Deo vnitus, sperat se statim esse cum Christo post mortem, ac in æterna gloria cum eo gaudere. *Nota*, quòd scripturales Theologi, per spem *primam*, intelligunt, vel ipsum habitum spei nouiter conuersis infusum; vel actum spei primum, vtpote ex potentia naturali cum Dei auxilio speciali elicitum: per *secundam* spem, intelligunt infusæ spei conseruationem, ac pluribus actibus elicitis illius augmentum: similiter per *primam* veniam, mortalis culpæ intelligunt remissionem: & per *secundam* relaxationem ac diminutionem pœnæ, aut quoque quotidianorum indulgentiam venialium peccatorum: per *primam* gratiam, intelligunt gratiam Dei, impium iustificantem, & gratum Deo reddentem; & per *secundam*, quemlibet iusti in hoc dono profectum, seu quodlibet gratiæ augmentum: per *primam* gloriam, intelligunt gloriam, quæ datur infantibus baptizatis propter sola Christi merita, & adultis modò primum in articulo mortis verè pœnitentibus; per *secundam*, quæ datur, multa bona in charitate & ex charitate operantibus. *Asceta* verò, per *primam* spem intelligunt ipsum vsum & profectū spei continuum; & per secundam, ipsum spei habitum in esse acquisito, seu spem completam ac satis intensam. *Primam* veniam (secundum asce-

tas)

tas) habent, qui purgantur à peccatis mortalibus; & pugnant contra motus secundò secundos passionum suarum, sicut faciunt incipientes: & *secundam*, qui purgantur à peccatis venialibus ex quadam malitia seu ex industria prouenientibus; & pugnant contra primos motus sensualitatis seu vitiorum, sicut faciunt proficientes. *Prima* gratia & *prima* gloria, datur illis (iuxta ascetas) qui stabiliter seruant mandata Dei ex charitate: *secunda* verò, qui seruant Christi consilia, ac virtutibus perfectè insistunt.

Dicendum tertiò, quòd charitas ascetica, seu studio ascetico acquisita, tres habet gradus. *Primus* consistit in prima charitate, quâ incipiens diligit Deum, propter se, in se, & secundum se; & proximum suum sicut seipsum, *puta*, propter Deum, in Deo, & secundum Deum. *Secundus* consistit in secunda charitate, quâ proficiens diligit Deum, propter se, in se, & secundum se, ac proximum, &c. *Tertius* consistit in charitate, quâ perfectus diligit Deum & proximum excessiuè: seu, quâ in ipsum Deum excedit, secundũ practicam, aut etiam & anagogicã ecstasim. *Nota*, quòd scripturales, per *primam* charitatem, intelligunt ipsum habitum charitatis nouiter conuerso infusum, aut etiam primum actum, vtpotè ex potentia naturali diuinitùs specialiter adiutâ elicitum; per *secundam* verò, conseruationẽ, profectum, & augmentum charitatis.

Ascetæ verò, per *primam* charitatem intelligunt, tam ipsam charitatem infusam, ac vsum eius primum, quàm omnes alias virtutes cum primo earum vsu (*vtpotè*, obedientiam, paupertatem, castitatem, humilitatem, patientiam, prudentiam, temperantiam, iustitiã, & fortitudinem) quæ naturâ suâ ad charitatem, tanquam dispositiones vel proprietates ad formam, pertinent; & quarum primis actibus, charitas, instante malâ occasione ac irruente tentatione, à peccatis mortalibus defenditur, (*vtpote* à mortali inobedientia, proprietate, imprudentiâ, impatientiâ, incontinentiâ, &c.) ac in sua honestate & in amicitia Dei conseruatur. Per *secundam* charitatem, ijdem ascetæ intelligunt, ipsum plenum habitum charitatis meritoriè acquisitum; seu charitatem in esse acquisito, *vtpotè*, intensam, ac vsu continuo roboratam, & aliarum virtutum habitibus exornatam, omniumque vitiorum ac passionum victricem.

Nota deinde, quòd primus vsus charitatis ac aliarũ virtutum, vel alias primi earum actus, illi dicuntur: quibus incipientes superant suarum passionum prauos habitus, ac vehementes ad pristina peccata mortalia propensiones compescunt, & omnem transcurrunt vitæ spiritualis difficultatem. *Secundus* vsus, vel secundi actus charitatis, ac aliarum virtutum asceticarum illi sunt: quibus proficientes, reliquas suarum passionum inordinationes,

vanaq; ac terrena desideria prorsus extinguere laborant, & contendunt; ac ipsa etiam peccata venialia, ea præcipuè, quæ ex animi adhæsione ad temporalia oriuntur, quæque animæ quietem turbant & puritatem maculant, prorsus excludunt: nec non, quibus charitatem ipsam depurant, roborant, & exornant, ac alias virtutes multiplicant & augent. *Tertius* charitatis ac aliarum virtutum vsus, seu tertij actus virtutum asceticarum illi sunt: quibus perfecti, iam penitùs ignorantes vitia, seu rarò iam sentientes primos motus sensualitatis, in ipsum festinè transferuntur Deum.

Dicendum quartò, quòd omnes asceticæ virtutes ad exemplũ charitatis, tres gradus habere volunt, *vtpotè* dispositionem, habitum, & excessum. Dispositio propriè ac strictè considerata, seu dispositio vt dispositio, non est aliquid asceticæ virtutis, aut aliquis eius gradus; sed largè accepta, significat initium ac primum gradum eius, & est triplex: *Primam* dispositionem constituit ipsa virtus diuina, quâ disponuntur ac facilitantur potentiæ rationalis animæ, ad eliciendos actus virtuosos, vtpotè rectæ rationi ac ipsi fidei, spei, & charitati conformes. *Altera* dispositio consistit in amotione omnium impedimentorum acquirendæ virtutis, vt est cura huius sæculi, familiaritas cum dissolutis, &c. *Tertium* constituit ipse conflictus & congressus liberi arbitrij cum vitijs, seu prima resistentia prauis

moti-

motibus: via enim ad virtutes acquirendas non alia est, quàm ipsa vitijs resistentia; quæ semper prima dicitur, quousque cum vitiorū motibus secundò secundis pugnat; vel quousque sui laboris difficultatem, per vsum continuum non conuertit in facilitatem: talis autem dispositio, iam est aliquid acquisitæ virtutis ac habitus eius.

Habitus, vt constituat secundum gradum virtutis, proficientibus deseruientem, tria adferre debet: *Vtpotè*, facilitatem spiritualis laboris; ad quam per actus virtuosos frequenter elicitos & imperatos, ac diutinam assuetudinem, deuenitur: *deinde* illuminationem practicam, seu intelligentiam fidei mysteriorum, ac eorum quæ ad fidem spectant affectuosam cognitionem; quæ continuo asceticæ meditationis exertitio, & iugi virtutum studio, cælitùs donatur: *tandem* gustum seu suauitatem, vtpotè maturescentis virtutis; ex iugi imitatione Christi, & passionis eius piâ consideratione scaturientem. Hic status virtutis, est proprius ordinariæ contemplationi vacantium: & aliquando diuidi solet, ita, vt facilitas secundum virtutis gradum; & suauitas tertium constituat.

Excessus virtutis in bonam & malam partē accipitur: in malam partem acceptus, significat alterum virtutis extremum, sicut & defectus primum: inter duo enim vitia, vtpotè defectum & excessum, virtus medium habet

locum

locum; cuius rei est exemplum in liberalitate, quæ est media inter auaritiam & prodigalitatem. In bonam verò partem acceptus, tertiū virtutis gradum perfectis deseruientem constituit. Præsens autem excessus virtutis, contingit alicui, dum per continuum ac diutinum studium virtutum, ita alienatur ab amore, voluntate, & iudicio proprio; vt deueniens in quandam vitiorum ignorationem, suauissimè impellatur ad excellentes quosdam & heroicos virtutum actus, tum Deo ipsi gratissimos, tum alijs hominibus admirabiles: vbi *voluntas* eius nimis inflammata, magno ac cæco quodam affectu fertur in suum opus, donec compleat illud; ita, vt nullo auocari possit proprio incommodo: *intellectus* etiam ad illud obiectum applicatus, aliud non cogitat, non æstimat, non apprehendit, nisi ipsum Dei beneplacitum, nisi imitationē Christi ac sanctorum eius, nisi honestatem, excellentiam, ac meritum virtutis: *memoria* quoque in sui profundo, cum sola non nisi virtute cōmoratur & deambulat: ac *tandem* quælibet animæ illius vis corporalis, circa illud opus, sic tenetur occupata; vt nihil aliud quàm virtuti consentaneum videre, audire, loqui, & agere videatur. Huiusmodi fuit virtutis exercitium Patriarchæ Abraham, qui accepto Dei præcepto, vt suum immolaret filium, nihil aliud apprehendit, quàm citò obediendi voci diuinæ, ac voluntatem Dei adimplendi.

Talis

Talis fuit charitas Moysis & Pauli, quorum alter propriæ salutis oblitus, deleri de libro vitæ voluit; & alter anathema esse cupiuit pro fratribus suis. Similis fuit castitas S. Benedicti, quam dum tuetur, nihil cogitat de vitæ periculo, ac valetudinis discrimine; nihil æstimat acutissimis spinarum aculeis dilacerari corpus, sanguineque perfundi; sed in eius toto affectu, toto intellectu, totâ memoriâ, & in omnibus sensibus, vna solummodò castitatis species versatur; ita, vt ad cætera omnia cæcus, surdus, & insensibilis sit. Non dispar etiam fuit paupertatis desiderium in S. P. Francisco, & amor aliarum virtutum in alijs sanctis: quibus dum daretur vel tuendæ, vel augendæ virtutis occasio; nullam famæ, honoris, aut dignitatis retinendæ, nullam commodorum proprij corporis, nullam denique etiam ipsius vitæ conseruandæ rationem ducebant.

Dicendum quintò, quòd eædem virtutes asceticæ in communi consideratæ, exemplo virtutum philosophicarum, in tres deinde gradus seu status diuidi possunt. Antiqui enim morales Philosophi virtutum capitalium seu cardinalium (*vtpote* prudentiæ, iustitiæ, temperantiæ, & fortitudinis) tria genera seu tres gradus constituebant; *primi* generis dici volebant politicas, *alterius* purgatorias, *tertij* virtutes purgati animi; his superaddebant virtutes exemplares, quas in sola mente diuina

esse

eſſe docebant, à quibus omnia genera virtutum in nos defluunt. *Per politicas* (vt ipſi aiebant) inſtruitur homo, quomodo iuxta dictamen rectæ rationis ſeipſum honeſtè regat, ac ſuas paſſiones moderetur; & quomodo ſe ordinatè reſpectu aliorum habeat: ſic autem ſe habet, ſi parentes veneratur, liberos amat, proximos diligit, reipublicæ conſulit, ciues ſeu ſubditos benè gubernat. *Per* purgatorias, ſequeſtratur homo à rerum publicarum actibus, & expurgatur à contagione paſſionum ac vitiorum, conſtituiturque capax contemplationis diuinorum. *Per* virtutes purgati animi, quieſcit homo ab omni paſſionum ac vitiorum perturbatione, rarò iam ſentiens motus prauos in ſe conſurgentes; & in æternis defigitur. Ecce quam ſublimiter Philoſophi per ſtudium ſuæ moralis diſciplinæ in Deum eleuabantur; verùm non ſicuti ſufficit ad meritum vitæ æternæ apprehendendum, eò quòd fide illius diuinâ, ac verâ charitate, carerent.

Aſcetæ quoque inſiſtendo veſtigijs Philoſophorum, tres ſtatus virtutum capitalium accomodant tribus ſtatibus ſpiritualium, *ſcilicet* politicas ſtatui incipientium, purgatorias ſtatui proficientium, & purgati animi ſtatui perfectorum. *Hinc* aſceticæ prudentiæ *primum* gradum aliquis habet, dum omnia quæ cogitat, loquitur, & operatur, ad ſuperioris rationis normam dirigit. *Secundum*,

quan-

quando mundum istum, & omnia quæ in eo sunt, comparatione diuinorum despicit. *Tertium*, quando diuina, quasi iam nihil aliud sit, aut quasi nihil iam aliud nouerit, simpliciter intuetur. Iustitiæ *primus* gradus est, seipsum ab omni iniquitate custodire, & cum omnibus pacificè conuersari. *Secundus*, sensualitatem spiritui subiugare, & ipsum spiritum in æterna directè erigere. *Tertius* est, cum diuinâ mente perpetuo fœdere sociari. Temperantiæ *primus* gradus est, nihil pœnitendum appetere, & in nullo legem moderationis excedere; fugiendo videlicet in quolibet vsu rerum temporalium, excessum & defectum. *Secundus* est, omnia quæ corporis vsus requirit, relinquere, in quantum natura patitur; & seipsum plenè abnegare. *Tertius* est, mentem cupiditatibus terrenis expeditã in æternis figere. Fortitudinis *primus* gradus est, quando quis bonum operando, aut aliorũ vtilitati seruiendo; animum supra periculi metum erigit, nihilque timet, nisi turpia. *Secundus* est, nullo incursu aduersitatis frangi ac deijci; nec aliquo prosperitatis blandimento eleuari; ac ad æterna perseueranter anhelare. *Tertius* est, expeditam mentem ab omnibus passionibus, infigere diuinis.

Dicendum sextò, quòd sicut triplices actus ac officia cuiuslibet virtutis sunt: *primò* purgare, & custodire, conseruareque animam à peccatis mortalibus; ac defendere eam à qui-

bufuis

busuis tentationum incursibus: *secundò* illuminare, aut exornare eam cognitione suiipsius, ac intelligentiâ mysteriorum fidei; & in victoriâ vitiorum constituere: ac tandem *tertiò*, quiescentem Deo reddere vnitam. Ita tres sunt gradus victoriæ cuiusque vitij: *Primus* est, quando actibus virtutum ita compescuntur motus secundò secundi; vt nihil possint ad Dei amicitiam, seu charitatem labefactandam. *Secundus* est, quando sic coërcentur motus vitiorum secundò primi, vt ne quidem ad veniales lapsus ita crebrò ac facilè mentem impellant. *Tertius* est, quando omnes eorum motus ita comprimuntur, vt vix exigua eorum vestigia remaneant; quod si aliquando leues eorum pulsus sentiuntur, statim absque labore sedantur.

ARTICVLVS IX.

De modo impugnandi & mortificandi vitia, ac virtutes asceticas acquirendi, augendi, & conseruandi.

MOdus impugnandi & extirpandi vitia, ac virtutes asceticas acquirendi & augendi, talis est. *Primò* vt vniuscuiusque vitij & virtutis, cognitio intellectualis, ex lectionibus librorum spiritualium, aut ex doctrina spiritualis alicuius magistri habeatur; quid nimirùm sit, & quos gradus habeat, quidque vitiũ mali, & quid virtus boni afferat: nam D. Chrysostomus ait, quòd præcedere debet scientia

entia, virtutis cultum; quia nemo potest fideliter appetere, quod ignorat: & malum, nisi cognitum sit, non timetur. *Secundò* persæpè institui debet feruens oratio ad Deum, pro gratiâ eius præueniente, ac excitante voluntatem nostram ad odium vitiorum, & ad amorem virtutum: nec non, pro auxilio eius concomitante, adiuuante, & corroborante vires nostras, ad fortiter & perseueranter pugnandum contra vitia, & laborandum fideliter ac diligenter pro virtutibus acquirendis; nam hoc ipsum, à nobismetipsis habere non possumus, nisi à Deo. Vnde *S. Amb.* Non est potestatis nostræ desiderare, sed gratiæ Dei. Et *S. Aug.* Nostrum est velle, sed voluntas ipsa, & admonetur vt surgat, & sanatur vt valeat, & dilatatur vt capiat, & impletur vt habeat. *Tertiò*, voluntas nostra pigra ac desidiosa, stimulis rationum spiritualium, & considerationum piarum pulsanda ac excitanda est, ad magnam vitij abominationem concipiendam, & ad virtutis desiderium vehemens accendendum; vt inde alacris, audax, ac fortis euadat ad pugnandum contra vitium, assiduaque, anxia, ac solicita hoc ipso reddatur pro virtute acquirenda; nec non, vt facile illi sit supra omnem cuiusuis laboris ac difficultatis timorem sese erigere, sua videlicet proposita firma debilitare adnitentem. *Quartò*, cessandum est ab operibus vitiorum, & in actionibus virtutum sese exercendum; tam enim de-

sue-

ſuetudo habitum tollit, quàm aſſuetudo conſeruat & auget. Quemadmodùm autem operationes ſeu actiones vitiorum ſolent eſſe tum internæ, tum externæ; ſeu, cordis, ſigni, oris, & executionis, vt clarè demonſtratum eſt in articulo quinto & ſexto : ita etiam & virtutum.

Exercetur itaque actio virtutis *in corde, id eſt* in memoriâ, intellectu, & voluntate: cùm memoria nihil tam libenter cogitat, quàm virtutem, *id eſt*, quàm obedire, humiliari, patienter iniuriam ferre, &c. cùm intellectus nihil diligentiùs conſiderat, quàm virtutis vtilitatem, voluptatem, & honeſtatem : cùm voluntas nihil ardentiùs appetit, quàm virtutis acquiſitionem, conſeruationem & multiplicationem ; ac in nullo magis delectatur ſaltim appretiatiuè ſi non intenſiuè, quàm in virtute, ac eius diſciplinâ & ſtudio. Vnde propoſita ſua creberrime renouat; ac optimis reſolutionibus, & continuo aſpectu Chriſti ſui magiſtri, qui eſt exemplar virtutum, imitationeque ſanctorum eius, à quibuſuis difficultatibus illa protegit & firmat. *In ſigno* operatio virtutis, eſt ipſa compoſitio vultus decora, benignus oculorum aſpectus, linguæ modeſta & circumſpecta locutio, ac omnium membrorum religioſa mortificatio : necnon familiaritas cum viris ſpiritualibus, lectiones librorum ſpiritualium; fuga vaniloquij, otij, ignauiæ, & malæ ſocietatis; correptionũ quoq;

grato

grato beneuoloque animo susceptio, cum sui videlicet emendatione. *In Verbo* actio virtutis est, cùm quis sanctis ac pijs assuescit colloquijs. Vnde *F. Massæus* quendam admonens dixit: quòd ille, qui libenter de moribus malis aliorum loquitur, si ipse bonus est, citò fiet malus; si verò est malus, inde mox peior euadet: qui autem bona & sancta libenti animo narrare, & loqui consueuit; si ipse malus est, citò fiet bonus; si verò bonus est, mox adhuc meliorabitur. *Vel*, cùm quis mente in Deum erectâ, crebris acclamationibus gratulatur ac benedicit virtutibus; vitijs autem maledicit, tam nimirùm in communi, quàm in particulari. *Vel*, cùm quis de seipso loquitur submissè, & de alijs honorificè; ac in familiari colloquio iudicium suum postponit alieno. *In opere* actio virtutis, est ipsa externa bonorum operatio, *nec non* humiliatio, obeditio, iniuriæ perpessio, possessionū temporaliū pauperibus distributio, &c.

Quintò, vt dum ipso actu declinatur vitiū, acopus virtutis exercetur, id fiat necesse est bona intentione, debito modo, & recto ordine. *Intentionem* quippè hocce studium, requirit bonam, castam & rectam, quæ nimirum finem sibi statuit ipsam virtutis (quam cupimus) honestatem obiectiuam, ipsam Dei gloriam, ipsum nostri spiritualem profectum, ac ipsum Deo magis placere: nam qui actiones virtutum absque vlla prouidentia animi-

que

que designatione (*id est*, sine recta intentione
actuali) operatur, iuxta communem doctri-
nam magistrorum spiritualium non acquirit
virtutem, seu virtutis habitum : quia non per
actus virtutis materiales, sed per formales,
habitus constituitur. *Modum* autem debitum
huiusmodi studium habet, quando actiones
virtutum fiunt in charitate & ex charitate,
vtpote feruenti : nam virtutes actibus remis-
sis non crescunt, quamuis conseruentur. Vn-
de est, quòd tepidi ac negligentes pigrique re-
ligiosi, nunquam possident plenas virtutes.
Ordinem rectum seruat quis, huic nimirum
addictus exercitationi, dum congruo tempo-
re, & loco opportuno, iuxta præscriptum vo-
cationis propriæ, actiones virtutum exequi-
tur, minimas earum non contemnendo. *Vel*,
dum in bello vitiorum & in studio virtutum
vitat confusionem: non vitaret autem quis
confusionem, si vno ac eodem tempore simul
omnibus vitijs indiceret bellum, vtpotè of-
fensiuum (secus dicendum est de bello defen-
siuo) quia aliàs, iuxta patrum doctrinam spi-
ritualium, non nisi aduersus vnum quodpiam
particulare (præsertim verò, quod nos magis
infestat, vel alios magis offendit) peculiariter
ac offensiuè pugnandum est; ne fortè laboris
multitudine fatigatus animus, aliquando defi-
ciat. Similiter propter eandem rationem, non
omnes simul virtutes exercendæ sunt, sed sin-
gillatim, quarum per singulas septimanas stu-

dium distribui debet: nam potentia nostra cùm sit infirma, non potest simul pluribus benè intendere. Illa autem virtus eo tempore exercenda est, cuius vitium contrarium expugnatur. *Sextò*, examen particulare saltim duabus vicibus in die, proficere cupientem, facere necesse est, (quod quidem incorporari potest exercitio conscientiæ quotidiano, seu recollectioni tam matutinæ, quàm vespertinæ, dum aliud tempus commodum non habetur) an videlicet statim ab ipso initio primis motibus illius vitij restiterit, vel non; an actibus virtutis contrariæ, illos vitij motus fortiter expugnauerit, vel languidè; an proposita sua de vitio minuendo & virtute augenda obseruauerit & custodierit, vel non; an occasiones virtutis exercendæ & vitij mortificandi neglexerit ac omiserit, vel non; quonam quoque modo se habuerit cum virtute secundum voluntatem, rationem, & sensualitatem: sæpè enim accidit vitium esse in ratione, dum est virtus in voluntate; & dum est virtus in ratione, vitium esse in voluntate; & dum est virtus in voluntate & ratione, adhuc vitium esse in sensualitate. *Exempli causâ:* amplectitur quis voluntate virtutem, obedientiam videlicet bonâ intentione implendo, patientiam in aduersis seruando, &c. sed hoc ipsum actu intellectûs non probat: quia præcipientem superiorem (cui omnino parere vult) iudicat esse indiscretum, inhumanum, &c.

&

& eum qui sibi aduersatur iudicat iniustum, oppressorem, &c. *Iterum*, iudicat aliquis rectè actu suæ rationis, omninò sibi esse bonũ, hanc iniuriam pati, huiusque virtutis opus implere, &c. sed deliberatâ voluntate, id ipsum hâc vice detestatur. *Porro*, potest quis abnegare voluntatem, & rationem seu iudicium sui intellectus subdere superioribus, in obsequiumque virtutis captiuare spiritum; sed adhuc sensualitate reluctante, ex qua motus tristitiæ, indignationis, tædij, desperationis, abominationis, odij, & alij similes, contra disciplinam spiritualem non raró consurgere solent. *Vnde*, dum se aliquis animaduertit motibus vitij tardè restitisse; *vel* actus virtutis contrariæ, languidè exercuisse; *vel* certè in aliquod peccatum illius vitij quod oppugnat, & in defectum virtutis cuius morem gerit, incidisse: tunc seipsum reprehendat, pœnam sibi exteriorem vitio proportionatam imponat, Deum pro venia humillimè exoret, proposita sua coram illo constantissimè renouet, voluntatem considerationibus pijs & resolutionibus sanctis confirmet, de viribus proprijs desperet; & in solo Dei auxilio omnem suam spem ac fiduciam firmiter collocare studeat: & sic de vitio triumphabit, ac de possessione virtutis gloriabitur.

DISTINCTIO III.

De tertio statu spiritualium.

ARTICVLVS I.
De diuisione perfectionis.

PErfectio hominis, *alia* habetur naturalis, *alia* supernaturalis. Naturalis, *vel* est entitatiua, *vel* essentialis, *vel* accidentalis. Perfectione *entitatiuâ*, omnis homo perfectus est (siue scilicet claudus, siue cæcus, siue surdus, siue phreneticus: hoc enim non facit, vt non sit verum ens) sicut & omnia opera Dei perfecta sunt, iuxta illud *Deut.* 37. Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia. Hæc autem perfectio, idem est quod bonitas naturalis, seu integritas ipsius entis particularis. *Essentiali* perfectione homo perfectus dicitur, in quantum est animal rationale, ac pollet libero arbitrio: hoc enim facit, vt ei nihil desit, vt verus homo sit, veramque habeat naturam humanam. Perfectione *accidentali* homo perfectus habetur: & hoc, vel ratione alicuius proprietatis corporalis, *vt est* rubedo, albedo, & nigredo faciei: hoc modo Æthiops est perfectè niger. *Vel* ratione alicuius qualitatis spiritualis, *vt est* sapientia, intellectus, scientia, prudentia, ars in intellectu; & in voluntate fortitudo, iustitia, &c. Hâc perfectione perfectus est aliquis Philosophus, iudex, miles, medicus, artifex, &c. Perfectio *supernaturalis* (ad quam viribus naturæ nemo venire potest, nisi supernaturali auxilio Dei adiutus) vel aliàs, Christiana & gratuita (de qua est

illud *Matth.* 5. Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. Non quidem perfectione æqualitatis, sed imitationis) *alia* est inchoata, *alia* completa.

Perfectione *inchoatâ* perfectus est, qui in baptismo, vel in primâ conuersione, gratiam sanctificantem cælitùs accipiens, deinceps spiritualiter viuere intendit, ac ex inimico perfectus fit Dei amicus. Et hanc ob causam S. Paulus (*Rom.* 1. Et 1. *Cor.* 1 *& passim in alijs Epistolis*) fideles vocat sanctos, *id est* perfectos: hæc enim duo idem sunt, sanctitas & perfectio,

Perfectio completa, *vel* est completa secundum quid, *vel* completa absolutè. Perfectione completâ secundum quid, perfectus aliquis dicitur, dum est in actu perfecto alicuius singularis virtutis: vel in aliquo exercitio eorũ, quæ ad virtutem seu perfectionem spectant. Hoc pacto perfectus dicitur patiens, vel timens Deum, vel linguam suam compescens, vel cognitioni imperfectionum suarum vacans, vel aliorum defectibus compatiens, &c. iuxta illud *Iacob.* 1. Patientia opus perfectum habeat, vt sitis perfecti. Idem *cap.* 3. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est. Et *D. Greg.* Ille verè perfectus est, qui erga imperfectioné proximi impatiens non est. *Idem.* Magna est perfectio, suæ imperfectionis cognitio. *Idem.* Tantò quisque perfectus est, quantò perfectè sentit alienos dolores.

Perfectio absolutè completa, vel aliàs consummata, *altera* est, quam in futura ac beata vita expectamus: quæ essentialiter consistit in clara Dei visione, seu in cognitione intuitiua æternæ sapientiæ; in secura tentione ac possessione infinitæ maiestatis, seu omnipotentiæ; & in iucunda summæ bonitatis fruitione. *Altera* est huius vitæ ac viæ: quæ in tribus consistit. *tum scilicet* in plena Dei ac proximi charitate, quæ iam omnem superauit inordinationem vitiorum, à cupiditate ac passionibus proficiscentem; quamuis non transcendit omne peccatum veniale, præsertim fragilitatis; quia hoc ipsum non conuenit illi in hac vita: *tum* in solida virtutum possessione: *tum* in perpetua spiritus nostri adhæsione & intentione, quâ soli Deo adhæret, intendit, ac infigitur. *Hac tamen* perfectio respectu perfectionis patriæ, inchoata dici solet, quâ ratione S. Paulus & perfectum, & nondũ perfectum se esse ostendit, ad *Philip.* 3. Non quod iam perfectus sim. *Et paulò infra.* Quicunque perfecti sumus, &c. Vbi *S. Aug.* ait Apostolum *Vers.* 12. negâsse se esse perfectum, perfectione patriæ; hic verò *Vers.* 15. asserere se esse perfectum perfectione viæ, seu, tali, qualis in hac vita haberi potest. Et. *D. Ans.* De duabus perfectionibus loquitur Apostolus, ostendens omnem hominem & vniuersam creaturam, quamuis ad perfectionem venerit, indigere tamen misericordia Dei, & plenam perfe-

perfectionem ex gratia, non ex merito possidere: & ideo perfectus erat Apostolus, iuxta modum humanæ possibilitatis; sed adhuc perfectionem expectabat ex dono supernæ largitatis, vt æqualis fieret Angelis: erat perfectus viator, sed nondum perfectus patriæ possessor. *Item* præsens perfectio dicitur proficiens, eo nimirum, quòd illi semper aliquid decedere & accedere solet. *Vnde* est, quòd perfectus hâc perfectione, semper proficere debet: non tam in mortificatione vitiorum ac passionum, & in studio virtutum, vt contingit aliis proficientibus; quàm in continuo amoris ipsius exercitio, & in ardentissimo desiderio maiorem ac maiorem animæ suæ cum Deo assequendi vnionem, donec ad illam futuræ vitæ beatam ac plenè consummatam felicissimè perueniat. Hinc *S. Bern.* Nemo perfectus, qui perfectior esse non appetit: & in eo quisque perfectiorem se probat, quo ad maiorem tendit perfectionem. Et *S. Leo Papa.* Hæc est perfectorum vera iustitia, vt nunquā præsumant se esse perfectos; ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes, incidant in deficiendi periculum, vbi proficiendi deposuerint appetitum. Et *S. Aug.* Proficite fratres, discutite vos, semper sine dolo, sine adulatione, sine palpatione: semper tibi displiceat quod es, si vis peruenire ad id, quod non es: nam vbi tibi placuisti, ibi remansisti: si autem dixeris, sufficit, & perijsti.

Perfecti perfectione præsenti, dicuntur propriè spirituales, non iam accessiuè ac in fieri, sicut incipientes & proficientes, sed in facto esse: quia illorum corpus seu sensualitas, iam non resistit suo spiritui, in his quæ Dei sunt (vt ait *D. Bonauent.*) quinimo plenè ac promptè illi obtéperat, nec videlicet concupiscendo mala, nec horrendo dura, nec fastidiendo bona: ipse præterea spiritus illorum totus est ad Deum erectus, & Deo plenus, & Deo perfectè coordinatus seu conformis. *Vel etiam*, quia pleniùs à Spiritu sancto, quàm incipientes & proficientes illuminantur ac inflammantur: & abundantiùs diuino spiritu aguntur ac impelluntur, ad spiritualem cum Deo celebrandam vnionem. *Vel tandem*, quia spiritus illorum, ad ipsum spiritum diuinum, finem scilicet vltimum, curâ præcipuâ anhelat ac suspirat, & quantum fieri potest, secundum possibilitatem vitæ præsentis, eidem vnitur, ac in illo suauiter conquiescit: non sicut spiritus incipientium, qui respicit ad terminum à quo recedit, quod est peccatum: nec sicut spiritus proficientium, qui respicit ad media, per quæ tendit in finem vltimum, qualia sunt studia internæ mortificationis & exercitia virtutum.

Perfectio viæ huius, absolutè completa, adhuc à D. Bonauentura *in apol. resp.* 1. *cap.* 3. tripliciter diuiditur, in perfectionem scilicet necessitatis, supererogationis, & priuilegiatæ

sancti-

sanctitatis. *Prima* quidem perfectio, dicitur necessitatis: quia de necessitate salutis æternæ cuilibet fidelium habenda est. *Item* dicitur sufficientiæ: quia possidenti eam, sufficit ad vitam æternam obtinendam. *Item* dicitur communis: quia communis est omnium saluandorum. *Secunda* dicitur supererogationis, vel aliàs superabundantiæ, specialis, & ascetica: quia ipsos specialiter concernit ascetas seu religiosos, Christum imitantes, non solùm secundum legem præcepti (vti fit in prima perfectione) verum etiam secundum legem consilij. *Tertia* perfectio est vltimatæ plenitudinis, seu priuilegiatæ sanctitatis; nec non, specialissima & mystica: quia ad illam nonnisi extraordinariè ac modo mystico venitur. Differt autem prima & secunda perfectio, à tertia, sicut meritum à præmio: media verò ab infima, sicut consilium à præcepto. Vnde etiam iuxta hunc triplicem statum perfectionis, triplices sunt huius vitæ perfecti, *vtpotè*, infimi, medij, & supremi statûs.

ARTICVLVS II.

De tribus officijs perfectorum, perfectione necessitatis.

PErfectorum huius generis ac statûs, *tria* sunt studia ac officia, ad quæ vniuersaliter omnes fideles ex diuina obligatione tenentur: *vtpotè* declinare à malis, prosequi bona, & ferre aduersa, secundum obligationem legis præ-

cepti, ad exemplum videlicet seu imitationem Christi, iuxta illud 1. *Petr.* 2. Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini (*patientiæ nimirum, ac bonorum operum*) vestigia eius: qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. *De primo* quidem speciatim officio ac studio perfectorũ huius statûs illud est *Deut.* 18. Perfectus eris, & absque macula (*vtpotè, criminali, seu mortalis culpa*) coram Domino Deo tuo. *De secundo* Gen. 17. Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus. Ambulare autem coram Deo, idem est hoc loco, quod proficere in obseruantia mandatorum Dei; ac imitari Christum in his, quæ sunt de lege præcepti, iuxta illud *Eph.* 5. Estote imitatores Dei (*Christum intelligit*) sicut filij charissimi: & ambulate in dilectione (*modum tradit imitationis*) sicut & Christus dilexit nos.

De tertio officio perfectorum huius status, *id est*, de tolerantia aduersitatum, illud est *Luc.* 21. In patientia vestra possidebitis animas vestras. Et *Hebr.* 10. Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis repromissionem. Et *Iacob.* 1. Patientia (*vestra*) opus perfectum habet (*vel* habeat, *vt alij legunt*) vt sitis perfecti & integri, in nullo deficientes. *Primus* sensus verborum istorum est talis. Patientia vestra habeat opus perfectum. *id est*, sit constans, continua & plena, nullis cedens aduersitatibus, & nullâ dura-

tione

tione fatiſcens, vt ſitis perfecti & integri. *Hinc* eſt, quòd qui patienter ac perſeueranter vult pati, quamuis videlicet iniuriam & aduerſitatem, modò non iſtam: à quouis perſecutore, modò non ab iſto: per vnum diem, menſem, annum, modò non per tot annos ſine ſpe exitûs ac finis. Iſte habet patientiam impatientem, & impatientiam patientem: nam patientia vera & perfecta, æquo fert animo omne malum, à quocunque, quantumcunque, & quomodocunque irrogatum fuerit. *Secundus* ſenſus eſt: Patientia opus perfectum habet. *id eſt*, patientia eſt res eximia & magnæ efficaciæ: illa enim facit, vt ſitis perfecti & integri, in fide ſcilicet, ſpe, & charitate: nam vera fides diu perſiſtere nequit, niſi per patientiam muniatur: veram ſpem, veniæ ſcilicet, gratiæ, & gloriæ, nemo diu cuſtodire poteſt, niſi qui patientiam habuerit in laboribus & aduerſitatibus vitæ præſentis: vera charitas non eſt, quæ per patientiam non tolerat malum ſibi obuium: vnde eſt quod ait Apoſtolus 1. *Cor.* 13. Charitas patiens eſt (*& infra*) Omnia ſuffert, omnia ſuſtinet.

Eſt autem aduerſitatis malum *quadruplex*, quod Chriſtianus infimæ perfectionis patienter ferre tenetur, *vtpotè*, malum innatum, illatum, alienum, & aſſumptum. Mala *innata* ſunt quæuis miſeriæ, tam corporales, quàm ſpirituales. Mala *illata*, ſunt quæuis iniuriæ, tentamenta & flagella, prouenientia ſcilicet

à Deo, ab homine, & à diabolo. Vnde *S. Greg.* Tribus modis virtus patientiæ exerceri solet: alia namque sunt quæ à Deo, alia quæ ab antiquo aduersario, alia quæ à proximo sustinemus: à proximo namque persecutiones, damna, & contumelias, ab antiquo verò aduersario tentamenta, & à Deo flagella toleramus. Sed in his omnibus malis vigilanti oculo semetipsam debet mens circumspicere; ne contra mala proximi protrahatur ad retributionem mali: ne contra tentamenta aduersarij seducatur ad delectationem vel consensum delicti: ne contra flagella Opificis, proruat ad excessum murmurationis.

Mala *aliena*, sunt defectus ac vitia proximorum, maximè verò domesticorum, *vtpotè* vxoris, filiorum, subditorum, &c. Vnde S. Paulus *ad Galat. 6.* Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Et *S. Greg.* Nulla sunt bona quæ agimus, si non æquanimiter proximorũ mala toleramus. *Idem.* Non est perfectè bonus, nisi qui fuerit & cum malis bonus: bonus enim non fuit, qui malos tolerare recusauit. *Idem.* Patientia vera est, quæ & ipsum amat, quem portat: nam tolerâsse & odisse, non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris. *Idem.* Nullus perfectus est, qui inter mala proximorum patiens non est. Qui enim æquanimiter aliena mala non tolerat, ipse sibi per impatientiam testis est, quia à boni plenitudine longè distat.

Mala

Mala *assumpta*, sunt quæuis exercitia voluntariæ pœnitentiæ. Hinc *S. Aug.* Ad agendum pœnitentiam non sufficit mores in meliùs commutare, & à malefactis recedere: nisi & de his, quæ facta sunt, satisfacias Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.

ARTICVLVS III.

De tribus officijs perfectorum, perfectione supererogationis.

PErfectorum perfectione medij statûs, tria etiam sunt officia, *utpote* propter imitationem Christi, supererogatiuè seu secundum legem consilij declinare mala, prosequi bona, & ferre aduersa. Vnde *D. Bonau. loco citato*, hanc describens perfectionem, sic ait. Perfectio Euangelica, est conformitas viatoris ad Christum, per illum virtutis habitum, quo supererogatiuè declinantur mala, efficiuntur bona, & aduersa perferuntur.

Declinantur autem mala supererogatiuè, quando non solùm ipsa peccata toto corde fugiuntur, cum suis proximis occasionibus; verùm etiam, quando & ipsæ peccatorum occasiones remotæ ex consilio Christi, per solemnia vota, obedientiæ nimirùm, paupertatis & castitatis deseruntur. Est autem *proxima occasio* peccati in primo perfectionis statu fugienda, idem quòd immoderatus amor mun-

di ac bonorum eius temporalium (*vtpotè*, honorum, possessionum & voluptatum) ex quo omne peccatum trahit originem. Vnde est 1. *Ioan*. 2. Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo. Et *D. Aug.* Fuge mundum, si vis esse mundus: si tu es mundus, iam non delectat te mundus. Fuge creaturas, si vis habere Creatorem: omnis creatura vilescat, vt Creator in corde dulcescat. Et *S. Leo.* Æternis bonis inseparabiliter inhærendũ, temporalibus verò transeunter vtendũ est: vt peregrinantib⁹ nobis, & ad patriã redire properantibus, quidquid de prosperitatibus mundi huius occurrerit, viaticũ sit itineris, non illecebra mansionis. *Remota verò* peccati occasio, est ipse vsus ciuilis bonorum temporalium: bona enim huius mundi semper apta sunt appetitum nostrum originali peccato vulneratum, ad sui immoderatum amorem & concupiscentiam irritare, allicere, & permouere: animumque incautum à dilectione Dei auocare, & præsentibus infigere: quam ob rem Christus Dominus perfectis huius status, ea spernenda, & relinquenda esse censuit, & consuluit, dicens *Matt*. 19. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me. *vtpotè*, in obedientia paupertate, castitate, humilitate, patientiâ, &c.

Nota

Nota autem, quòd huiusmodi consilia Christi dupliciter seruari possunt, *vel nimirùm* ex merâ voluntate specialiter se non obligante: & tunc dicunt quandam perfectionem actionis & meriti. *Vel* ex spontaneâ voluntate, se votis liberè emissis obligante: & tunc dicunt perfectionem status, in quo aliquis actibus perfectis non solùm est deditus, verùm etiam ad actus perfectionis adstrictus. Quæ quidem adstrictio (*vt ait S. Bonau.*) de perfectione non minuit, sed potiùs culmen superinducit: quia de temporali facit æternum, dum non licet resilire à voto: & de nostro diuinum facit, dum non solùm actum, sed etiam voluntatem dedicans Deo, totum illi offert & redigit sub iure diuino. *Idem.* Si igitur perfectiùs possidet, qui possidet ad vsum & proprietatem, quàm qui, quo ad vsum tantùm: perfectius se dedicat, qui Deo se offert, & quo ad vsum operis, & quo ad arbitrium voluntatis.

Prosequitur bona supererogatiuè aliquis religiosus; quando secundum regulas vitæ actiuæ condescendit ad proximum: & secundum vsum vitæ contemplatiuæ, mente sursũ agit in Deum, iuxta illud 2. *Corin.* 5. Siue enim mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus, vobis: charitas enim Christi vrget nos.

Vita actiua, *vel alias* vita actuosa & laboriosa duplex est, quarum *alia* dicitur externa, *alia* interna. Vita actiua externa triplex habet offi-

officium seu laboritium. *Primum* dicitur corporale seu manuale, ad quod reducitur quodcunque mechanicum & seruile opus, in quo quis alteri propter imitationem Christi (qui venit ministrare, non ministrari) seruire potest. In hoc laboritio, exemplo sui magistri exercebat se S. Paulus cum alijs Apostolis, in quorum personâ, ait 1. *Corin.* 4. Laboramus, operantes manibus nostris. Quod ipsum suos etiam discipulos facere voluit, cùm diceret, 1. *Thess.* 4. Rogamus vos fratres, operamini manibus vestris, sicut præcepimus vobis. Huic laboritio fratres nostri incumbunt, dum pro alijs eleemosynas conquirunt, coquinam faciunt, infirmis seruiunt, scutellas lauant; domum, chorum & Ecclesiam scopant, & huiusmodi alia quæuis vilia obsequia ex charitate & humilitate sibiipsis inuicem præstant.

Secundum laboritium dicitur ciuile: non quidem vt Ciuitatis terrenæ ac mundanæ (quale est negotiari, militiam exercere, iustitiam administrare, &c.) sed vt Ciuitatis cælestis, si nimirum debito modo fiat. Hoc autem laboritium, solis quasi prælatis conuenit: quod quidem exercent, dum suis subditis exemplariter præesse student, pro lege Dei & obseruantia regulari zelosè agunt; infirmis spiritu compati sciunt, & charitatiuè ac humiliter eos corripiunt; sanos virtutibus, in bono confirmant; & omnibus tam in spiritualibus quam in corporalibus, propter amorem ac imitationem Christi, omnia fiunt,

Tertium laboritium dicitur spirituale: non quòd & præcedentia laboritia non sint spiritualia, sunt etenim; sed non nisi reductiuè, quod fit per intentionem rectam: hoc autem propriè dicitur spirituale: & consistit *primò* in distributione pauperibus bonorum terrenorum propter charitatem Christi; quæ quidem distributio fieri solet siue in toto, siue in parte. De *primâ* illud est *Psal.* 111. Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi. Et *Matt.* 19. Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. De *alterâ* distributione facta corde contrito illud est. *Luc.* 11. Verumtamen quod superest, date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis. Et *Matt.* 25. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere, &c. *Secundò* præsens laboritium spirituale, consistit in distributione bonorum spiritualium, ob charitatem Christi & zelum animarum: vt puta esse disseminationem verbi Dei, decantationem laudum diuinarum, celebrationem missarum, dispensationem sacramentorum: quibus adde opera misericordiæ spiritualia:

Vita actiua interna triplices habet actus, propriæ saluti deseruientes. *Primi* sunt, quibus detestamur peccata supra omnia detestabilia, propter offensam Dei: ac tentationes

quas

quascunque cum auxilio Dei superamus. *Secundi* sunt, quibus radices peccatorum in nobis mortificamus. *Et sunt* motus superbiæ, auaritiæ, gulæ, luxuriæ, iræ, inuidiæ & acediæ: & quibus propriam voluntatem abnegamus; propriumque iudicium ac proprium amorem repudiamus *Tertij* sunt actus, quibus nos in virtutibus exercemus, ad Christi imitationem.

Vita contemplatiua largiùs accipitur, quàm ipsa contemplatio: vnde significat & ipsam actualem diuinorū contemplationem, & quodlibet ad eam præambulum, seu quamlibet præparationem ac dispositionem remotam. *Et sunt* lectiones sacrarum literarum, intellectualis meditatio diuinorum, mortificatio passionum, & studium virtutum: & sic ad vitam contemplatiuam, reducitur interna vita actiua. Inquantum autem vita contemplatiua significat ipsam actualem contemplationem, dicitur alias vita interna, vita subleuata, vita affectiua: quemadmodùm & illi qui hanc profitentur vitam, vocantur interni, subleuati, & affectiui: *Interni quidem*, quia asceticæ introuersioni vacant, in intimo sui cum Deo deambulantes. *Subleuati verò*, quia superato amore ac timore mundanorum, supra se eleuati, toto corde in Deum se transferunt. *Affectiui tandem*, quia expediti ab omni obliquitate, proprietate ac tepiditate suæ voluntatis, dulci affectu inhærent Deo, ac in solo ipso iucundè conquiescunt. Ex

Ex his duabus vitis, actiua nimirùm & contemplatiua, consurgit tertia, quæ dicitur vita mixta. Vnde est illud D. Bern. *in assump. Virg. serm.* 3. Bonum acquirit gradum, qui bene ministrauerit: fortè meliorem, qui bene vacauerit Deo: optimum autem, qui perfectus est in vtroque.

Perferuntur aduersa supererogatiuè, quando mala illa, *vtpotè* innata, illata, aliena, & assumpta, non solùm patienter tolerantur: verùm etiam & cum gaudio propter imitationẽ Christi, gratiarumque actione sustinentur.

Mala innata supererogatiuè sustinuit S. Paulus, vti patet ex ipsius verbis 2. *Corin.* 12. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Et *Philip.* 1. Coarctor autem è duobus: desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multò magis meliùs: permanere autem in carne necessarium propter vos. *quasi dicat.* Coarctor *id est* vndique arctor, teneor, ac premor: hinc desiderio dissolutionis (seu mortis) vt sim cum Christo: inde necessitate permanendi in carne mortali ac multis miserijs repleta, propter vestram consolationem, & in fide gratiaque Dei promotionem.

Mala illata à Deo, supererogatiuè sustinuit Tobias, cùm diceret *cap.* 11. Gratias tibi ago Domine: quia castigâsti me, & sanâsti me. Similiter Iob, cùm diceret *cap.* 1. Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domi-

Domini benedictum. Mala à Diabolo illata supererogatiuè sustinere docemur, *Iacob.* 1. Omne gaudium existimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis, *quasi dicat:* Nolite vos vltrò inijcere in tentationes, sed vbi incideritis, sustinete eas cum gaudio. *Vnde* cuidam tentato Abbas Victor dixisse fertur: Pusillanimes ex modica tentatione perturbantur, & magnam illam existimant: qui verò animâ sani sunt, magis in tentationibus gaudent.

Mala illata ab hominibus supererogatiuè sustinuit S. Paulus, cum diceret *Rom.* 5. Placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo. Et *S. Saturninus* cùm diceret durum obiens in martyrio dolorum agonem. Breuiter patior, libenter patior: gratias ago, nec agere sufficio. Christe da sufferentiam. Tibi laus, tibi decus.

Hinc nota, quòd mala ab hominibus illata supererogatiuè sustinentur; si propter imitationem Christi, pro illis malis de persecutore nulla vindicta iustæ punitionis ac satisfactionis, tam in præsenti, quàm in futuro sæculo expetitur ac expectatur (quam alias licitè expetit perfectus, perfectione necessitatis) ita, vt persecutor, neque coram Deo, neque coram hominibus à patiente iniuriam, aliquatenùs incusetur, sed magis excusetur, iuxta illud Christi *Luc.* 23. Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.

Nota deinde, quòd, qui sustinet mala illata supererogatiuè, potest esse *aut* nocens, *aut* innocens, *aut* omninò iustus. *Nocens* quidem patitur mala supererogatiuè, meritò sibi pro suis peccatis inflicta, quando magna ductus pœnitentia, libenter & cum gratiarum actione illa sustinet. *Vt* latro ille, qui dum gratanter subijsset pœnas, alterum zelosè arguebat, dicens, *Luc.* 23. Neque tu times Deum, qui in eâdem damnatione es, & nos quidem iustè: nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali gessit. *Innocens* aliquis patitur mala supererogatiuè, dum videlicet calumnijs opprobrijs, ac iniurijs afficitur, nec tamen se defendit: *tum scilicet* propter imitationē Christi, sicut fecit Frater Iuniperus, dum in patibulo suspenderetur: *tum* propter amorem inimici, ne videlicet sui defensione aliquatenùs lædatur ac diffametur. Sic fecit (vt habetur *Gen.* 39.) Ioseph Dominæ suæ in Ægypto. Vnde est *Rom.* 12. Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. *id est*, sustinete iram aduersarij vestri in patientia Christi. *Iustus* aliquis patitur mala supererogatiuè, quando omnem aduersitatem, quam sustinet pro Christo, reputat suum lucrum & honorem, vti Apostoli de quibus *Act.* 5. Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati. Vnde *S. Greg.* Sapientia iustorum est, pro veritate contumeliam lucrum reputare.

Mala

Mala aliena (*id est*, defectus domesticorum, *vtpote* superiorum, inferiorum & æqualium) supererogatiuè tolerantur, quando *aut* non considerantur, ac penitùs non videntur ex humilitate: *aut* excusantur ex charitate: *aut* prudenter ac benigne corripiuntur ex zelo iustitiæ: *aut* ex mansuetudine bono exemplo vincuntur.

Mala assumpta supererogatiuè aliquis patitur, quando, *tum* propter abundantiorem satisfactionem pro suis peccatis, *tum* propter pleniorem Christi imitationem, seipsum Deo in aliqua benè institutâ religione consecrat in perpetuum; ad exercendum se cum lætitia spirituali, in omni genere mortificationis ac disciplinæ regularis.

ARTICVLVS IV.

De tribus officijs perfectorum, perfectione sanctitatis priuilegiatæ.

PErfectorum huius vitæ, supremâ, videlicet perfectione, triplex etiam est officium: *vtpote* declinare mala mystica, prosequi bona mystica, & pati aduersa mystica.

Declinantur autem mala mystica, dum transcurruntur omnia irretentibilia & absoluta, per ignotam mentis consurrectionem in Deum actibus ecstaticis: quibus irretinetur seu indetinetur principalis affectio, & circumuelatur simplex intelligentia; ita, vt illa non possit amare Deum amore puro, & hæc

non

non possit videre Deum in deiformi pura eius imagine.

Prosequitur quoque aliquis bona mystica, quando tum actioni tum contemplationi extraordinariæ vacat. Actiones seu operationes vitæ actiuæ extraordinarias, puta esse idem, quod miraculosas. *Vt sunt* miraculosæ infirmorum sanationes, mortuorum suscitationes, cæcorum illuminationes; delinquentium excessiuè punitiones, ac iuri communi & ordinario non conformes; vigilationes quædam priuilegiatæ, abstinentiæ inusitatæ, prædicationes verbi Dei modum humanũ transcendentes, quales fuerunt S. P. Francisci, S. Antonij, S. Vincentij. Actiones vitæ contemplatiuæ extraordinarias, puta esse actus ecstaticos & actus infusos, quibus ipsa contemplatio extraordinaria perficitur.

Patitur tandem aliquis aduersa mystica, quando languore spirituali affligitur. *Duplex* autem est languor spiritualis, asceticus nimirùm & mysticus. *Asceticus* idem est, quod animi vehemens tristitia; ex desolatione diuina proueniens: quam anima patitur suis diligenter insistens asceticis exercitijs & contemplationibus ordinarijs, absque suâ culpâ. *Mysticus languor* idem etiam est, quod insueta tristitia, ac nimius dolor internus, quem patitur anima, quando vnionem cum spiritu diuino nullatenus assequi potest (ad quam se inuitatam extraordinario ac infuso desiderio

&

& permotam senserat ineffabiliter) non quidem per suam culpam, sed per diuinæ præsentiæ abscessum: ita enim ibi amans à feruore amoris aut desiderij læditur, vt omninò languere illum necesse sit: nam feruor amoris, est ipsa intensio, quæ idem facit in anima quod calor in corpore: vnde sicut nimius calor languorem corporis causat; ita & feruor amoris ac desiderij excessiuus, languorem spiritus efficit. *Vel quoque* languor mysticus, idem est quod tartareus ac infernalis cruciatus. Sicut autem *duplex* est infernus scripturalibus, *superior* nimirum, tum in quo olim detinebantur sancti Patres ante Christi aduentum, tum in quo adhuc purgantur animæ iustorum: & *inferior*, in quo torquentur condemnati. Ita & mysticis: qui per *infernum inferiorem* significare volunt in anima continuum malæ conscientiæ remorsum, ac desperationis cruciatum. De hoc inferno illud est *Ps.* 85. Quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori. Per *superiorem* verò significare volunt præsentem languorem tartareum, de quo illud est *Ps.* 15. Quoniam non derelinques animam meam in inferno: adimplebis me lætitia cum vultu tuo. *Hoc languore laborantis animæ, sunt huiusmodi gemitus ac aspirationes.* Quando veniam & apparebo ante faciem tuam? Quis me liberabit de corpore mortis huius? Cupio dissolui, & esse tecum. Tu scis Domine, quia amo

te. Vulneratâ charitate ego sum. Nunciate dilecto, quia amore langueo. Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Mors mihi est in desiderio, & vita in fastidio cum patientia.

In huiusmodi spiritualem languorem incidit anima, dum illud desiderium quod habet in se extraordinariè concitatum, per quamuis mortem dirissimam perueniendi ad sui dilecti clarâ præsentiâ fruendum, in dies videlicet ac annos dilatum, conuertitur tandem ei in hunc tartareum cruciatum. Vel tandem incurrit anima præsentem languorem, dum cælitùs succenditur inusitato quodam desiderio patiendi aduersa grauia ob amorem ac imitationē dilecti, & illa vel non inuenit, vel præ amoris magnitudine non sentit: *Vnde ex amoris impatientia, post dilectum clamare non cessat.* Da pati & contemni. Da aut pati, aut mori. Da mihi vulnera: si dare non vis, maiora hinc heu accipio vulnera.

ARTICVLVS V.

De alijs perfectionibus spiritualium diuersi status.

DIcendum est primò, de perfectione materiali & formali. *Perfectio materialis* (iuxta D. Bonau. *in cap.* 1. *Regulæ*) consistit in congregatione consiliorum, vel legum, facientium seu ducentium ad statum perfectionis. *Formalis verò*, consistit in habitibus & actibus

virtutum. *Vel item*, materialem habet aliquis perfectionem, quando ex ipsa consuetudine ac sui decentia statûs, declinat mala, operatur bona & suffert aduersa. Formalem autem, quando id ipsum ob Christi imitationem ex charitate facit, quietè intendens ac inhærens Deo.

Dicendum secundò de perfectione cuiuslibet Religionis, quòd nimirum ex quinque cognoscitur indicijs. *Primum est*, si in studio omnis virtutis vt communiter personæ illius Ordinis feruenter & frequenter exercentur, maximè charitatis & humilitatis, & internæ deuotionis. *Secundum indicium est*, si omnia vitia & scandala odio habent, & solicitè cauent, & occasiones amputant & extirpant, & munditiam diligunt & conseruant. *Tertium* est, si boni apud eos diliguntur & fouentur, & despectis alijs in regimine animarum soli assumuntur, & per eos maximè gubernatur Ordo. *Quartum*, si à sæculari frequentia se subtrahunt, & honores fugiunt, diuitias non ambiunt: & conformari huic sæculo, tam in moribus quàm factis, seu quâlibet apparentiâ erubescunt. *Quintum*, si damnum & iniurias illatas ac despectiones tacitè sufferunt, nec per querimonias vindicare se cupiunt; sed Deum omnium inspectorem attendunt, qui suos, cùm vult, potest defendere. Hæc D. Bonau. *quæst.* 18. *in Determinationibus quæs. circa regulam.* Porro de eadem perfectione in sex alis

alis Seraphim *cap.* 3. sic ait. In hoc differunt laudabiles religiones, & iam dilapsæ: non quòd nullus peccans in laudabilibus reperiatur, sed quòd nullus impunè peccare sinatur, & peccandi aditus studiosè præcludantur; & incorrigibiles & alios inficientes eliminentur, & boni foueantur & diligantur, vt perseuerent, & in meliùs semper proficiant.

Dicendùm tertiò, de perfectione & imperfectione, vtpotè in genere, ex circumstantia, & secundum se. *Imperfectio quippe in genere*, est actio seu operatio facilis, ad quam homo ex sua fragilitate inclinatur, *Vt* est fugere mortẽ, contemptum, improperium, &c. *Imperfectio ex circumstantia*, est actus infimæ ac infirmæ virtutis. *Vt* vim facienti dimittere vestem, propter fugam maioris iniuriæ: *Vel* non repetere damnum iure coram iudice, ne plus perdatur: *Vel* promptè superiori obedire, ne fauor illius amittatur. *Imperfectio secundum se*, est actio, quæ nullo modo stare potest cum perfectione Euangelica. *Vt* est ducere vxorẽ, fugere paupertatem, bona huius mundi appetere & conquirere. *Perfectio in genere*, est actus difficilis & excellens. *Vt* est relinquere omnia, & intrare religionem. *Perfectio ex circumstantiâ*, dicitur actus difficilis & excellens debitis circumstantijs adornatus, *Vt* est relinquere omnia gaudenter, & intrare aliquam religionem benè ordinatam propter imitationem Christi, & proximi ædificationem. *Per-*

fectio secundum se, est actus difficilis & excellens, ex habitu plenæ charitatis proueniens, *vt* est motus feruidæ & exactæ dilectionis in Deum, ac puræ & completæ dilectionis ad inimicum.

Hinc nota, quòd sicut malum ex genere, potest fieri bonum ex circumstantia. *Vt* est, occidere hominem; quia maleficus est, quia hoc ipsum reipublicæ vtile est, quia lex iubet. Et è conuerso, sicut bonum ex genere, potest fieri malum ex circumstantia, *Vt* est dare eleemosynam propter vanam gloriam. Ita etiam perfectio in genere, potest fieri imperfectio ex circumstantia, *Vt* est relinquere bona sua modica, vt possint obtineri maiora bona Ecclesiastica. Et è conuerso, imperfectio in genere, potest fieri perfectio ex circumstantia, *Vt* est fugere mortem, vt quis gloriosiùs, fructuosiùs, & opportuniùs patiatur pro Domino, quomodo fecit Christus & Apostolus Paulus. Hæc ex D. Bonau. *Apolog. paup. in respon* 1. *cap.* 1. Vnde quoque dicere est, quòd perfectio & imperfectio non differunt sicut duo contraria, *Vt potè* sicut malum & bonum, aut sicut virtus & peccatum: quia sequeretur absurdum, scilicet aliquam charitatem quæ dicitur imperfecta, esse vitium seu peccatum; sed differunt, sicut maius bonum, & minus bonum; sicut magis meritorium & minus; sicut magis deiforme & minus. Hoc ibidem colligitur apud D. Bonau. *cap.* 2.

Dicen-

Dicendum est quartò, de perfectione ascensionis, & perfectione condescensionis. *Perfectio ascensionis*, seu sublimitatis illa dicenda est, cui aliquid sublime tam ex opere externo quàm interno semper accedit: seu, quæ habet opera secundum se perfecta, quorum multiplicatione seipsam sublimat & adauctat. *Perfectio condescensionis* illa est, cui videtur de sublimitate sua aliquid decedere, dum aspicitur solum illius opus externum; tamen in rei veritate nihil decedit, sed accedit ex opere nimirum interno. *Nota autem* quòd opus internum, significat actum perfectæ voluntatis, nempè intentionem ex plena charitate procedentem; opus verò externum, solam significat externam actionem. Hanc vtramq́; perfectionem coluit ac suo sancto verbo & exemplo docuit Christus Dominus: *perfectionem quidem ascensionis*, dum nihil possidere voluit, dum loculos non habuit, dum morti voluntariè sese obtulit, dùm animam pro ouibus suis posuit, &c. *Perfectionem verò condescensionis*, dum aliquando loculis vsus est, dum à facie persequentium fugit & sese abscondit, dum pro amotione calicis exorauit, dum tristis fuit, dum timuit, &c. *Vt* hoc ipso infirmos ac imperfectos, ne deficerent, consolaretur & corroboraret, quos videbat posse conturbari, venturâ aliquâ aduersitate, necessitate, ac morte. De hac etiam perfectione D. Bonau. *eodem loco supra citato tractat.*

Dicendum est quintò, de perfectione prælationis, quòd nimirum sex illam constituunt, sicut docet *D. Bonau.* de sex alis Seraphim. *Primum*, zelus iustitiæ. *Secundum*, pietas seu compassio fraterna. *Tertium*, patientia in laboribus, in expectatione spiritualis profectus fratrum, & in malis à falsis fratribus illatis. *Quartum*, vita exemplaris, iuxta illud *Tit.* 2. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum. *Quintum*, discretio seu prudentia in agendis. *Sextum*, deuotio, per quam zelus iustitiæ accenditur, pietas compassionis promouetur, patientia roboratur, exemplum bonum conditur, discretio clarificatur. *Vel quoque* alia sex prælati seu superioris perfectionem constituunt. *Primum* est, vt priùs ipse optimè præesse suis passionibus, & prodesse sibiipsi virtutibus, subesse & coësse alijs addiscat; antequam prælationis munus accipiat. *Vel* priùs subesse & coësse sciat, antequã alijs præesse & prodesse velit. Vnde *S. Greg.* vsus rectæ conuersationis est, vt præesse non audeat, qui subesse non didicerit; nec obedientiam subiectis imperet, quam prælatis non nouit exhibere. Et *S. Bern.* Non vos felices, quia præestis, & non prodestis, imo si non prodestis vos infelices putate; vt autem securè præesse possitis, subesse & vos, si cui debetis non dedignemini. *Secundum*, vt inuitus prælationis munus suscipiat, vt illud de ipso dici possit. Benedictus qui venit in nomine Domi-

Domini. Vnde *S. Greg.* virtutibus pollens, coactus ad regimen veniat: virtutibus vacuus, nec coactus accedat. *Idem.* Quia homo quod sibi tribuitur, quo iudicio disponatur ignorat: nec ad appetendum locum superiorem procax insistere, nec ad repellendum contumax debet inueniri. *Tertium,* vt priùs optimè proficiat in dilectione Christi, antequam suscipiat curam animarum sanguine eius redemptarum. Vnde *S. Bern.* Non otiosè toties repetitum est. Petre amas me, in commissione ouium. Ego quidem id significatum prouidè puto, ac si dixisset illi IESVS, nisi testimonium tibi perhibente conscientiâ, quòd me ames, & valdè perfectè ames; hoc est plùs quàm tua, plusquam tuos, plùs etiam quàm te, vt huius repetionis meæ numerus impleatur, nequaquam suscipies curam hanc de ouibus meis, pro quibus vtique meus effusus est sanguis. *Quartum,* vt sic diligat suos fratres, quòd pro illorum bono paratus sit quibusuis sese exponere malis, iuxta illud *Ioan.* 10. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. *Vel,* quòd non suam, sed illorum quærat vtilitatem. Vnde *S. Bern.* Præsis vt prouideas, vt consulas, vt procures, vt serues: Præsis vt prosis, præsis vt fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Ad quid? vt des illis escam in tempore: *hoc est,* vt dispenses & imperes. *Idem.* Pascere tripliciter debemus, exemplo con-

uersationis, verbo prædicationis, fructu orationis; & pascere ad mandatum Christi, vt nemo sibi hunc sumat honorem, sed qui vocatus fuerit à Deo tanquam Aaron. *Quintum*, vt in dignitate positus contineat se potiùs in benignitate & humilitate, quàm in seueritate & singularitate, iuxta illud *Eccl.* 32. Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis, quasi vnus ex ipsis. Et *cap.* 4. Noli esse sicut leo in domo tua, euertens domesticos tuos, & opprimens subiectos tibi. Vnde *S. Isid.* Talem te redde subditis, vt magis ameris quàm timearis: reuerentia enim ex amore procedit; odium verò timor efficit. Et *S. Chrysost.* Vis apparere sanctus, circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus; audiant te homines parua mandantem, & grauia facientem. *Idem.* Si erramus, modicam pœnitentiam imponentes; nonne meliùs est, propter misericordiam dare rationem, quàm propter crudelitatem succumbere pœnitentem. *Sextum*, vt talem se semper studeat exhibere suis subditis qualem sibiipsi cuperet esse superiorem. Vnde *S. Bern.* Nec præceps eris in sententiâ, nec vehemens in vindictâ, non in corrigendis remissior, non in parcendis seuerior, non pusillanimis in expectandis, non superfluus in victu, non notabilis in vestitu, non citus ad promittendum, non tardus ad reddendum, non prodigus dator, non tenax ad largiendū.

Dicendum est sextò, de perfectione subiectio-

ctionis, quam quilibet subditus religiosus habere debet respectu sui superioris, vt quietè cum illo viuat: quæ quidem requirit duodecim regulas, iuxta Laurentium de Peyrinis. *Prima est.* Honora, reuerere, cole prælatum. Vnde *S. Bonau.* Honora prælatos in corde tuo, non spernas, ne fortè Deum spernas, cuius vicem gerunt. Ordinationes eorum & constitutiones ne fastidias, quia non sine causa eas faciunt, licet tu nescias omnes causas. *Secunda.* Pare illis alacriter & hilariter, & noli ad præcepta dedignari neque irasci. Vnde *Thomas à Kempis* Citò erit in pace, qui citò se subijcit, & obedit. *Idem.* Nemo tam quietè viuit, nemo tam securè moritur, sicut verus obediens. Et *Hebr.* 13. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri; vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes. *Tertia.* Caue ne illis detrahas, neq; cum quauis persona, quantumuis intima murmures; & noli illorum actionũ censor fieri. Vnde *Eccl.* 10. In cogitatione tua regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti: quia & aues cæli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas, annunciabit sententiam. Et *D. Bonau.* Habe semper pacem cum prælatis, non eis detrahas, nec libenter audias eis detrahentes, non ponderes excessus eorum, sed ignosce illis quasi hominibus. Et *Thomas à Kempis.* Caueat omnis bonus subditus, ne

prælatum suum temerè iudicet, nec vias eius curiosè scrutetur; sed potiùs eius facta & dicta in meliùs interpretetur. Et *Climacus*. Institutorem tuum penitùs iudicare non licet, etiamsi in illo aliqua delicta aduerteris, homo enim est. Et suggerenti dæmoni, vt prælatum diiudices aut de illo murmures respondendũ est: ô malignissime seductor, non ego ducem meum iudicandum suscepi, sed ille me: non ego illius, sed ille mei iudex est. *Quarta*, ad eorum præsentiam ne loquaris absque eorum licentia. Vnde *Eccl.* 31. Loqui in medio magnatorum non præsumas. *Ibidem*. Vbi sunt senes, non multum loquaris. *Quinta*. In capitulis semper illorum opinioni te conforma. Quod si quid sit boni contra illorum opinionem propter monasterij vtilitatem dicendum, modesta & humili dubitatione condito. Vnde *S. Bern.* Nunquam pertinaciter aliquid affirmes & neges, sed sint tuæ affirmationes & negationes dubitationis sale conditæ. *Sexta*. De quacunque re tibi ab ipsis facta, etiam iniustè, siue repræhensio sit, siue castigatio, caue ne conqueraris, sed patienter ferre memento. Vnde *Rom.* 12. Noli vinci à malo (*id est*, ob iniuriam tibi illatam, noli vinci à tua impatientia; nemo enim læditur ac vincitur nisi à seipso. Vnde *S. Chrysost.* Vindicare se, non est actus fortitudinis, sed abiectionis & timiditatis: vincitur ab inimico, non vincit, qui se vindicat) sed vince in bono malum, *id est*, malitiam

sitiam alienam, vince tuâ bonitate, vince patientiâ, vince mansuetudine, propter Christi imitationem. Hinc *S. August.* Non vincit in bono malum, qui in superficie bonus est,& in alto malus; opere parcens, corde sæuiens; manu mitis, voluntate crudelis. *Hoc modo*, vicit malum in bono, quidam *Stephanus Monachus*, qui dixisse fertur. Crucem hanc, si merui, feram; vt pro peccatis satisfaciam: si non merui, feram eandem, vt coronam augeam: vt vt erit, laudem habebo, decusq; vel pœnitentiæ, vel patientiæ. *Septima.* In casu discordiæ prælati cum alijs fratribus, tu prælato semper adhære. Et rectè, nam sicut se habet corpus abscisso capite, ita se habet subditus imprudenter dissentiens suo superiori. Vnde *S. Bonau.* Cum ipso prælato contendere nefas est, & execranda in subdito irreuerentiæ turpitudo. Verum si ipsi superiores inter se dissiderent, tunc securiùs forsan esset, neutralitatem sequi, nam neutralis neminem offendit Vnde *Cic. lib.* 10. *ad Atticum Epist.* 7. Nihil, inquit, viro bono & quieto magis conuenit, quàm abesse à ciuilibus controuersijs. *Octaua.* Si habet aduersum te aliquid prælatus tuus, fac vt citò eum placatum reddas, ne sinas morbum ingrauescere: nam eò periculosior, quò diuturnior. Antequam autem sit placatus, caue tibi in omnibus, & per omnia, quomodo & cum quibus loquaris. Vnde *Sen.* Vt vlcera ad leuem tactum, deinde etiam, ad

suspicionem tactus, condolescunt: ita affectus animus, nimis offenditur; adeò vt quosdam salutatio, epistola, oratio & interrogatio ad litem euocent, & nunquam sine quærela ægri tanguntur. *Nona*. Fuge tanquam pestem disputationem cum prælatis, & abhorre te illis doctiorem videri. Vnde *Eccl*. 7. Penes regem noli videri sapiens. *Decima*. Nimiam prælatorum familiaritatem deuita. Vnde *Thomas à Kempis*: Sapienter facit, qui magnorū hominum notitiam, & prælatorum familiaritatem deuitat. *Vndecima*. Si quando contigerit tibi facere aliquid laude dignum, vel vltimam manum non apposueris, sed illud terminandum prælato reliqueris; vel si non poteris non terminare, terminasse vitus fueris ope & auxilio prælati. Atque ita totum id, quod laudem meretur, illi attribuas. Sic fecit Ioab 2. *Reg*. 12 vbi dicitur. Misitq; Ioab nuncios ad Dauid dicens. Dimicaui aduersum Rabbat, & capienda est vrbs aquarum, nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside ciuitatem, & cape eam, ne cum à me vastata fuerit vrbs, nomini meo adscribatur victoria. *Duodecima*. Caue tamen, ne contra Regulam tuam, vel contra Deum, vt prælato tuo morem geras, quidquam præstes. Vnde *Act*. 5. Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus.

Dicendum est septimo, de perfectione cohabitationis, quòd nimirum tria requirit, iuxta doctrinam *D. Bern*. dicentis. Arbitror, quòd

quòd tu qui in congregatione es, benè viuis, si viuis ordinabiliter, sociabiliter, & humiliter. Ordinabiliter tibi, sociabiliter alijs, humiliter Deo. *Ordinabiliter*, vt in conuersatione tua solicitus sis obseruare vias tuas in conspectu Domini, & in conspectu proximi; caueas & tibi à peccato, & illi à scandalo. *Sociabiliter*, vt studeas amari & amare, & blandũ te & affabilem exhibere: supportare non solùm patienter, sed & libenter infirmitates fratrum tuorum, tam morum, quàm corporum. *Humiliter*, vt cùm hæc omnia feceris, spiritum vanitatis studeas exsufflare, qui ex huiusmodi nasci solet, & quantumcunque illum senseris, nega omnino consensum.

Dicendum est octauo, de perfectione nouitij, quòd nimirùm tria ad illam concurrere debent, vtpotè natura, disciplina, & exercitatio. *Natura* seu complexio naturalis probatur in nouitio. *Primò* ex debitâ proportione membrorum corporis eius, præsertim verò ex decentibus indicijs oculorum. Vnde D. Bonau. *lib. 2. Theol. Verit. cap. 59.* Membra quæ in proportione sunt naturali, quo ad figuram, colorem, quantitatem, situm, & motum; indicant mentis bonam habitudinem naturalem. Membra verò quæ non habent proportionem debitam, in figurâ, quantitate, situ, & motu, peruersam mentem indicant. *Ibidem.* Sciendum quoque, quòd in oculis principaliter consistit omnis perfectio physi-

ognomiæ;&sic oculorum indicium confirmat cæterorum membrorum indicium: si autem contrariantur, tunc prævalent indicia oculorum: propter quod omnes Physiognomi affirmauerunt oculum esse verum cordis nuncium. Hinc *S. August.* Impudicus oculus, impudici cordis est nuncius. *Secundò*, si secundum corpus fortis ac robustus est, ad sufferendos religionis labores, genuflexiones, vigilias, &c. Si quoque promptus, expeditus, & alacris est, ad omnia ritè ac rectè agenda. *Tertiò*, si secundum voluntatem est tractabilis, *id est*, mollis, facilis, ac flexibilis: ille autem nouitius talis esse probatur, qui admonitionem libenter accipit, qui in suis displicet sibi defectibus, & pro illis pœnam subire non detractat: nam è contra, duræ, pertinacis, ac propriæ voluntatis, & passionatus, non recipit exhortationem, complacet sibi in suis defectibus, procaciter corripienti resistit; aut turbulenter, tanquàm innocentem sese excusat ac defendit. *Quartò*, si est secundum intellectum docilis: ille autem nouicius probatur esse docilis, qui facilis & clari est ingenij in suscipiendâ spirituali doctrinâ, & qui non nititur proprio iudicio, & non abundat inferioribus rationibus. Est autem differentia inter docilem, docibilem, & ingeniosum: quia *docilis* est, qui facilè docetur; *docibilis*, qui aptus est doceri; *ingeniosus* verò, qui facultatem inueniendi ac intelligendi, & agendi ingeni,

genitam habet, quæ ab alijs non didicit. *Vnde* & ingenium, est vis animi ingenita, quâ se extendit & exercet ad cognoscendorum cognitionem. *Vel* est extensio intellectus ad intelligendorum intellectionem. *Quintò*, si nouitius secundum animam est simplex homo: per simplicem autem hominem hoc loco intelligere est, non quidem ignorantem mysteria fidei, ignorantiâ videlicet aliquâ culpabili, talis enim simplex reprobatur, iuxta illud 1. *Cor.* 14. Si quis autem ignorat, ignorabitur. Sed ignorantem sapientiam ac prudentiam huius mundi, per abnegationem omnis malitiæ, duplicitatis, doli, mendacij, astutiæ, falsitatis, fraudis, calliditatis, inconstantiæ, &c. In his enim ac similibus sapientia huius mundi consistit, sicut testatur *S. Greg.* dicens. Huius mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt falsa demonstrare. Vnde S. Paulus *Rom.* 16. Volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo. Et *Iacobi* 1. Vir duplex animo (*id est*, duplicis propositi ac intentionis) inconstans est in omnibus vijs suis. Est igitur simplex, idem quod purus, apertus, sincerus, fidelis, nihil tectum, nihil simulatum habens, ac omne malum deserere, & bonum prono animo apprehendere cupiens. Tales esse voluit suos Dominus, cum diceret *Matt.* 10. Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.

Disci-

Disciplina quæ strictè ac propriè hoc loco ad perfectionem nouitiorum spectat, triplicem habet significationem. *Primò*, idem est quod ars, doctrina, & instructio spiritualis, à Doctore nimirum veniens discipulo. Disciplina enim à discere dicitur. Discere autem propriè est rem ignotam intelligere, quod vel meditando fit, vel ab alio discendo. Hinc qui docet, doctor; qui discit, discipulus dicitur; à quo disciplina, ipsa ars, doctrina, ac instructio appellatur; & disciplinosus, qui facile discit. Vnde *Sap.* 1. Sapientiam enim & disciplinam (*id est* doctrinam, quæ est via ad sapientiam) qui abijcit, infelix est. Et *Prou.* 12. Qui diligit disciplinam, diligit scientiam: quia nimirùm per disciplinam ad scientiam venitur. *Secundò*, significat correptionem, iuxta illud *Ierem.* 2. Frustrà percussi filios vestros, disciplinam non receperunt. Et *Psal.* 28. Et disciplina tua correxit me in finem. Vnde *S. Aug.* Disciplina ad duo diuiditur, in correctionem & instructionem; quorum primum timore, secundum amore perficitur. *Tertiò*, disciplina ad spiritualem exercitationem spectans, significat fugam vitiorum, exercitium virtutum, cultum honestatis, studium vitæ spiritualis, obseruantiam regularem, mortificationem & compositionem animæ virium omnium. Vnde *S. Cyprianus*, Disciplina est morum ordinata correctio, & maiorum præcedentium patrum regularis obseruatio. Et

Hugo

Hugo de S. Victore. Disciplina est conuersatio bona & honesta, cui parum est, non facere malum, sed studet in his quæ benè agit, per cuncta irreprehensibilis apparere. *Item.* Disciplina, est omnium membrorum motus ordinatus, & dispositio decens in omni habitu & actione. Et *S. Ambr.* Si quæris vitam sapientiæ & disciplinæ: colere Deum atque ei subditum esse sapientia est; abstinere autem à peccato disciplina est. *Item.* Prima instituti onis est disciplina, culpam auertere; & secunda, virtutem infundere. Et *S. Bern.* O quam compositum reddit omnem corporeũ statũ, nec non, mentis habitum, disciplina? ceruicem submittit, deponit supercilia, vultum componit, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, gulam frenat, iram sedat, format incessum.

Exercitatio nouitiorum debet esse corporalis & spiritualis. *Corporalis* in quadruplici studio exteriori consistit. *Primum* est, habitum exteriorem proprij instituti semper honestè deportare, in vestibus nimirùm, tonsura, & similibus: hæc tamen per se religiosum non faciunt, sed sunt tantùm signa internarum virtutum. *Vnde* sicut circulus ad tabernam, potum venalem designat, & vexillum super Ecclesiam denunciat dedicationem: quod si signa falsa fuerint, decipiuntur homines, putantes inuenire significata: ita de ficto religioso, qui exteriùs in habitu prætendit, quod non

non habet in moribus & vitâ. *Secundum* est, diligenter custodire exteriores cerimonias, vtpotè inclinationes, geniculationes, & omnes gestus, quibus vtuntur fratres in diuino officio, ac in alijs spiritualibus exercitijs. De his tamen sæpè (sicut obseruat D. Bonau. *lib. 2. de prof. relig. capit. 22.*) minùs virtuosi maiorem vim faciunt, quàm perfecti & magis deuoti. *Tertium* constituit exteriorum membrorum honesta ac religiosa compositio: nec non, cultus disciplinæ in loquendo, in gradiendo, in comedendo, in bibendo, in conuersando cum alijs, & in similibus: quod ipsum etiam curiales sæculares commendabiles reddit: vnde & sæcularis virtus appellatur; sed religiosis magis competit, licet humiliori & planiori modo. *Quartum*, consistit in operibus pœnitentiæ, vt sunt ieiunia, vigiliæ, flagella, & aliæ corporales mortificationes, exercitationes & castigationes: quæ licet magis propinquant virtuti quam præcedentia, tamen non sunt puræ virtutes, quia illa & hypocritæ possunt habere, & in mortali peccato positi sæpè in talibus exercent seipsos. *hæc D. Bonau loco citato.* Vel quoque opera pœnitentiæ duo constituunt, vtpotè subtractio delectabilium secundum carnem, & assuefactio asperitatum, laborum, obsequiorum, mortificationum, lectionum, solitudinum, &c. verùm hæc fieri debent cum magnâ prudentiâ, sicut admonemur *Rom. 12.* Rationabile sit obse-

obsequium vestrum. *Glossa.* id est, cum discretione, ne quid minùs vel nimis fiat; sed cum temperantia, vestra corpora castigetis, vt non naturæ defectu cogantur dissolui, sed vitijs mori. Et D. Bonau. *lib. 2. de prof. cap. 1.* Oportet carnem restinguere non extinguere, seu reprimere non opprimere; vt seruiat, non lasciuiat, ancilletur, non dominetur. Terra fertilis si diu inculta fuerit, siluescit; si nimis cogitur fructificare, fit macra: sed si medium tenetur, fertilis perseuerat. Sic etiam de agro corporis est agendum, vt nec de nimio otio, vel de delicijs lasciuiat; nec inediâ, vel labore deficiat. *Ibidem aliud exemplum idem sanctus adfert.* Dictum est Leuit. 2. In omni oblatione tuâ offeres sal, scilicet discretionis: vt nec ad dexteram per nimium laborem, nec ad sinistram per nimium teporem à viâ regiâ declines. Anima enim est immortalis & non potest deficere, & ideò corpus corruptibile & vas fictile, non potest æqualiter contendere cum eâ currendo, & tantum ferre laboris, quantum illa potest capere feruidæ voluntatis.

Exercitatio spiritualis in quadruplici studio interiori consistit. *Primum* est, orationi Dei ac meditationi diuinorum diligenter insistere. *Secundum,* in detestatione ac odio æterno peccatorum sese iugiter exercere; & in proposito perpetuo, Deo ac legi eius semper nimis adhærendi (nullis nimirùm ceden-

do tentationibus) magis ac magis continuè proficere. *Tertium*, in abnegatione propriæ voluntatis, proprij iudicij, proprij amoris, sensualitatis, inferioris rationis, & in mortificatione vitiorum inde prouenientium constantissimè persistere. *Quartum* est, in locum vitiorum assiduo ac perseueranti studio virtutes subrogare ac plantare, quæ quidem sunt respectu cæterarum externarum obseruationum in religione, sicut nucleus respectu corticis: (vt ait D. Bonau. *lib. 2. de prof. cap. 22.*) Omnia enim quæ in obseruantiâ religionis apparent, inuenta & statuta sunt propter obtinendas & conseruandas virtutes: cætera autem sine virtute sunt, sicut testa carens nucleo. *Ibidem*. Sicut autem ex nucleo pinguedo olei exprimitur: ita ex affectu virtutis, sapor deuotionis procedit, nec non diuini amoris, & desiderij cælestis, & gaudij spiritualis, qui nobilior & efficacior est, quàm compunctio timoris & mœroris.

Dicendum est nonò, de perfectione fratris recenter nostram religionem professi, quòd nimirum quatuor illam constituunt, quæ recensentur apud *D. Bonau. lib. 1. de prof. relig. cap. 1.* *Primum* est, vt ab illâ voluntate, quâ ad religionem venit, & à primo nouitiatûs feruore non tepescat. Vnde quidam volens religionem ingredi de sæculo, quæsiuit ab Agathone Abbate alias viro sancto, quomodò viuere deberet. At ille dixit ei. Vide qua-

lis

lis primo die fueris, & sic semper viue. *Hoc est* considera statum voluntatis tuæ, in prima die, quâ ad religionem ex Spiritu sancto intrare disposuisti, quàm videlicet tunc solicitus fueris vt emendares vitam tuam, & quàm paratus ad implendum omnem Dei ac superiorum voluntatem; nec non, ad patienter & humiliter sufferendum correptiones, penurias, labores, & despectus: quàm feruide contempsisti mundum & omnia quæ in eo sunt, & quomodo fugisti & abiecisti omnes carnales affectus & effectus, & te totum obtulisti Domino holocaustum viuum, vt nihil deinceps in te viuat de vitâ peccati. Igitur secundum hanc formam semper postmodùm stude viuere; ne aliter in schola religionis dediscere & retrocedere magis, quam proficere, videaris. *Vnde quidam* corripitur, qui primum feruorem & deuotionem, ac studium mortificationis & exercitium virtutum deseruerat, *Apoc.* 2. Habeo aduersus te pauca, quòd charitatem primam reliquisti; quapropter pœnitentiam age, & prima opera fac.

Secundum est, vt non moueatur malis exemplis tepidorum ad imitandum ea, sicut quidam infirmi spiritu, videntes alios desides in seruitio Dei, otiosos & verbosos, elatos & rebelles, ambitiosos & alijs modis vitiosos, dicunt apud semetipsos: si alijs hoc licet, quare non & mihi. Et proniores ad malum, exemplum sumunt de his quos deteriores vident,

dent, & gaudent se socios inuenisse vitiorum, ne soli possint erubescere: quia si parcitur alijs, volunt & sibi in similibus parci. Contra hoc deuotus Dei seruus apud se respondere debet. Ego veni purè pro Deo, non pro aliquo alio, & ideò nolo aliquem sequi ad hoc, vt à Deo retrocedam; vnde solos illos imitari debeo, qui ad hoc informant me, propter quod religionem intraui. *id est*, vt apprehendam Deum, vt satisfaciam ei pro peccatis meis, vt promerear gloriam sempiternam. *Pictor & artifex* notabile opus volens facere, quærit non alia quam meliora exemplaria, quæ potest habere; & viator non quærit viam ab ignorantibus, sed à scientibus eam: ideô noli imitari malum sed bonum. *hæc D. Bon.*

Tertium est vt non iudicet temerè facta aliorum, maximè vbi nescit quâ de causa, vel quâ intentione fiant. *Vnde est*, quòd quidquid aliquomodo potest excusari, semper ad meliorem partem interpretetur, si vult tranquillum cor habere, & alios non turbare, & Deum non offendere.

Quartum est, vt non frangatur aliqua aduersitate vel tentatione; sed cogitet quia ad hoc venit ad religionem, vt omnia quæ ei in hâc vitâ possunt accidere, sustineat propter Deum: sicut qui intrat bellum, scit, quòd non quietem & delicias, sed laborem & vulnera oportet eum expectare. Vnde *Eccl.* 2. Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore,

more, & præpara animam tuam ad tentationem, deprime cor tuum, & sustine. Et *Act.* 14. Oportet nos per multas tribulationes intrare in regnum Dei. Et *Luc.* 24. Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. *Ergo* aduersitas est via ad regnum Dei; & qui recusat viam, recusat ad regnum peruenire. *Hinc discursus.* Siue sis nocens, iniustus, impius, ac peccator; siue verè pœnitens pro tuis iniquitatibus; siuè omninò innocens, iustus, & sanctus, pati te aduersa necesse est: quia & latro impœnitens, & latro alter contritus & iustificatus, & Christus innocentissimus, iustissimus, ac sanctissimus crucem sustinuerunt vsque ad mortem. *Igitur*, fac tibi de necessitate virtutem. *Deinde* oportet te pati aduersa, & ab inferioribus, & ab æqualibus, & à superioribus; quia & Christus quem imitaris passus est ab hominibus infimæ, mediæ, & supremæ conditionis. *Tandem* omninò debes aduersa pati, vel à malis; vel à non bonis, seu à non malis; vel à bonis; quia & Christus sustinuit persecutionem à peccatoribus, desertionem à discipulis, & derelictionem à Patre. *A malis* quidem te necesse est pati mala: quia mali non sciunt benè facere, nisi malè. Vnde *Matt.* 7 Omnis arbor bona, fructus bonos facit; mala autem arbor, malos fructus facit. Et *Ierem.* 4. Sapientes sunt, vt faciant mala, benè autem facere nescierunt. *A non bonis* quoque, vel à non malis (*id est*, à tepi-

dis,

dis, inconstantibus, passionatis, falsis fratribus, fictis ac apparentibus Christicolis; qui tamen euidentibus indicijs, nec probari, nec reprobari possunt) mala te pati oportet: quia idipsum Christus suis discipulis prædixit ac promisit. *Matt.* 10. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & surgent filij in parentes, & morte eos afficient: & eritis odio omnibus hominibus, propter nomen meum; qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. *A bonis denique* sufferre te aduersa oportet, siue in patientiâ, siue in charitate. *In patientiâ quidem:* quia reperiuntur aliquando superiores seueri nimis, qui 1. *Petr.* 2. tolerari iubentur. Serui, estote subditi in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis (*id est* inhumanis, fastidiosis, asperis, morosis, seueris, difficilibus, sæuis) Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam (*id est*, quæ Deo patet, vel quâ Deo aliquis placere studet) sustinet quis tristitias, patiens iniustè. Et quia nonnisi in patientia est tibi necesse possidere animam tuam, & consequenter in impatientia perdere; & hoc propter odium, quod ex impatientia sæpius iterata nasci & concipi solet, *aut nimirum* contra totam religionem, quod est ipsum retrò aspicere; *aut* contra partem eius aliquam, vtpotè contra proprium institutum, seu propriam Prouinciam, quod ipsum est fons omnis tuæ instabilitatis, inconstantiæ,

turba-

turbationis & tepiditatis; *aut* contra superiorem, quod est ipsum spirituale homicidium, vel aliàs Christicidium: nam sicut ille (vt dicitur 1. *Ioan.* 3.) qui odit fratrem suum, homicida vocatur: ita & qui odit antistitem Dei, Christicida est. *In charitate verò* sustinere te oportet aduersa à bonis: quia ipsi etiam (sicut tenentur) inferunt illa tibi ex charitate, tum videlicet propriâ, tum alienâ; *id est*, tum ex impulsu propriæ charitatis, tum ex impulsu ordinationum ac instructionum sanctorum Patrum, & religionis constitutionum, vt nimirum hoc ipso te, vel corrigant, vel virtutem tuam probent, excitent, & acuant. Et quia (vt dicitur *Philip.* 1.) tibi donatum est pro Christo, (nimirum ex charitate Patris) non solùm vt in eum credas, sed vt etiam pro illo patiaris.

Dicendum est decimò, de perfectione Magistri spiritualis, tum nouitiorum, tum recenter professorum. Ad perfectionem spiritualis magistri quid requiratur? ipsa suæ appellationis indicant vocabula: Magister enim propriè significat præceptorem seu doctorem, qui magis, quàm cæteri, aptus est ad alios erudiendos, & instruendos. Spiritualis quoque significat, quasi spiritum alis instructum, actionis videlicet & contemplationis. Dupliciter autem quis potest dici spiritualis, *vel inprimis* solo officio, ac ipsâ iurisdictione, & auctoritate spirituali, nec non vocatione & statu: &

hoc modo omnes Ecclesiastici dicuntur spirituales. *Vel deinde*, vitâ & moribus, diuinorumque cognitione ac experientiâ: & hoc modo, non omnes Ecclesiastici sunt spirituales. Porro præsentes spirituales, vel sunt in acquirendo; quales puta esse incipientes & proficientes: vel sunt in esse acquisito; quales puta esse formaliter perfectos, de quorum collegio eligi debet magister spiritualis, qui *Primo* suis discipulis sanâ doctrinâ, & bono exemplo, sit religiosè ac spiritualiter norma viuendi; vt nimirum quæ docet verbis, ostendat actionum figuris: sicut qui geometriam docet, pingit in sabulo demonstrationes, vt quod dicit, meliùs capiatur. *Secundò*, vt statim à principio conuersionis, curet in eis efficere æternum odium peccatorum, & æternum propositum in lege Dei ambulandi, iuxta illud *Ps.* 1. Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, &c. Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Et *Psal.* 118. Et custodiam legem tuam semper, in sæculum & in sæculum sæculi. Aliàs vanum ac perniciosum esset illis perseuerare in religione: solis enim à peccato elongatis vnctio spiritus datur, quæ facit illos omnia faciliter & suauiter intelligere, quæ Dei sunt. iuxta illud *Ps.* 44. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitaté, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ pro consortibus tuis. *Tertiò*, vt abstra-

hat

hat eos ab amore mundi, ac bonorum eius temporalium, demonstandoillis quomodo totus mundus in maligno (*id est*, in malo igne, *vtpotè*, multiplicis concupiscentiæ) positus est: quomodo etiam citò cursu transit cum suis concupiscentijs. *Quartò*, vt doceat illos abnegare non solùm sua & suos, sed etiam multò magis seipsos, *id est*, proprium amorem, propriam voluntatem, ac proprium iudicium, & hoc propter imitationem Christi dicentis, *Matt.* 16. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, (*id est*, sua aduersa) & sequatur me *vtpotè*, in humilitate, patientiâ, paupertate, castitate, obedientiâ, &c. *Quintò*, instruat illos, libenter sufferre quæuis aduersa huius vitæ, spe futuri præmij: quia dicit *Apostolus*. Quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. *Sextò*, doceat illos amare suam propriam religionem, ac suam ad illam specialem vocationem, supra omnes alias, tanquam securissimum medium suæ saluationis, & certissimũ ac proprijssimum effectum suæ prædestinationis, iuxta illud *Rom.* 8. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit (*efficaci nimirum ac speciali vocatione*) & quos vocauit, hos & iustificauit; quos autẽ iustificauit, illos & glorificauit. Secùs enim facientes adulteris similes sunt, qui in suis vxoribus defectus nimis considerant, & in alienis è contra perfectiones

amplificant; vnde etiam magis sibi placent in alienis, quàm in proprijs. *Septimò*, vt modum mentaliter orandi, & mysteria fidei ascetìcè meditandi, nec non, regulas mortificationis tam internæ quàm externæ, & virtutum acquirendarum, ipsiusque spiritualis perfectionis, latere illos nos patiatur. *Octauò*, vt semper se illis affabilem præbeat, & magnâ circa eos discretione vtatur; *nec non*, vt semper illis ministrare non solùm in spiritualibus, verùm etiam in corporalibus paratus esse inueniatur, & hoc exemplo Christi, qui venit ministrare non ministrari. *Nono*, vt varijs tentationibus vexatos benignè consoletur; ostendendo illis necessitatem & vtilitatem tentationum, aliudque esse illas sentire, & aliud illis consentire. Et certos faciat eos de præsentissimo illis auxilio Dei, tum generali tum speciali contra tentationes. *Generale*, omnibus nobis datur, adhuc ante postulationem, secundum quod protegit nos Deus, ne supra vires nostras tentemur, iuxta illud 1. *Cor.* 10. Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari, supra id, quod (*vincere*) potestis. *Speciale* auxilium, omnibus nobis efficaciter adest, post inuocationem sui, iuxta illud *Psal.* 90. Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione (*tentationis*) eripiam eum, & glorificabo eum. *Decimo*, vt zelo Dei ac amore religionis succensus, corrigat eos cum omni prudentia: proximi quoque

que pietate & charitate instructus, toleret eorum communes defectus in omni patientia: nam si illorum defectus aliquos tolerare nescierit, ipsi etiam zelum eius sufferre non poterunt. Sed specialiter defectuosis, *vtpotè* inquietis, turbulentis, incorrigibilibus, suo sensui innitentibus, tepidis, negligentibus, inconstantibus, Religionem suam non amantibus, vehementer passionatis, ac recidiuis in aliquod suæ adinuentionis peccatum carnis; omnino persuadeat egressum de religione: ne maiori se periculo exponant damnationis æternæ, per emissionem professionis: cùm illud, quod Deo vouere intendunt, non habeant, nec seruare possint. *Vndecimò*, dubia illis proponat; vt inde occasionem illos erudiendi accipiat, & alia sibi ab eis proposita faciliter soluat. *Duodecimò*, proxima pericula à quibus in profectu spiritualis viæ cauere sibi debent, fideliter illis enunciet; ac futura mala seu aduersa, quæ illos propter Christum sufferre oportet, cautè illis prædicere non dubitet. Huiusmodi actus Magistri nouitiorum, ipse etiam exercuit Christus respectu suorum discipulorum, (sicut facilè videre est in Euangeliorum libris) tempore, quo cum eo, vt nouitij conuixerunt.

ARTICVLVS VI.

De discretione spirituum.

NOn omnes qui dicuntur ſpirituales, in ſuis aſceterijs ſpiritu Dei aguntur; ſed magis alieno ac adulterino: quod ipſum non conſiderant nec plenè animaduertunt: quia ſpiritus alieni non diſcernunt vt oportet impulſus, ab impulſibus diuini ſpiritus: vt autem perfectè diſcernant, & non cuilibet ſpiritui credant, ac regi & gubernari ſe ſinant, ſciendum eſt illis, quintuplicem eſſe ſpiritum adulterinum. *Primus*, dicitur ſpiritus proprius, qui *aliquando* naturaliter conſideratur, *aliquando* moraliter. Conſideratus *naturaliter*, ſignificat vitalem animam, quá homo naturaliter viuens, impellitur ad quaſuis actiones vitales, tam internas quàm externas: quæ nimirum, eò quòd præcedant actum intellectus, nec laudabiles ſunt (moraliter loquendo) nec vituperabiles. Conſideratus *moraliter*, ſignificat iudicium particulare, quod ſecundum impulſum proprij amoris & affectionum ſenſualitatis, pertinaciter de rebus ſentit ac iudicat, contra iudicium commune, *ſæpè*, antiquiorum in religione Patrum, ſuperiorum, & aliorum proborum virorum. Qui hoc ſpiritu aguntur, ſæpè impelli ſolent ad contentioſas diſputationes; ad oſtentationem ſui iudicij, ſuæq; ſcientiæ, prudentiæ & dexteritatis; ac exiſtimant ſe ad omnia religionis officia præ alijs magis eſſe idoneos, quare iactanter dicere ſolent. Ego in huiuſmodi negotio aliter me geſiſſem. Ego ſic alijs præeſ-

ſem.

sem. Ego &c, &c. ac inde ab Ascetis vocantur Egoistæ. *Secundus*, dicitur spiritus humanus: qui, *Vel* est intra nos, *Vel* est extra nos: *Spiritus humanus intra nos*, significat teneritudinem, facilitatem, ac promptitudinem naturalem animi, ad omnia bona exequenda & mala fugienda, secundum communem aliorũ fratrum consuetudinem. Qui hoc spiritu aguntur, miserrimè decepti, putant se esse religiosos bonos ac satis in vita spirituali institutos; sed reuera non sunt tales: quia non habent virtutes supererogatiuas, ad quarum vocati sunt continuum exercitium Religiosus enim à religione dictus est: Religio autem *dupliciter* consideratur, vt virtus, & vt status. Religio *Vt Virtus*, alia est necessitatis, alia supererogationis, secundum differentiam actuum virtutum Theologicarum, quibus colitur Deus, vel secundum legem præcepti, vel secundum legem consilij. Religio *Vt status*, vel est vniuersalis, vel specialis: secundum *Vniuersalem* statũ, omnes fideles dicuntur Religiosi, qui insimul religati, Deum colunt actibus (nempe imperatis) virtutum, fidei, spei, & charitatis, non nisi secundum legem præcepti. Secundum statum *specialem*, soli Ascetæ dicuntur Religiosi, qui Deum colunt actibus (nempè imperatis) fidei, spei, & charitatis, secundum legem consilij; imitanturque Christum, exercitio obedientiæ, paupertatis, castitatis, humilitatis, patientiæ, & aliarum

virtutum asceticarum, *Spiritus humanus extra nos*, notat quendam impulsum amoris specialis, quo alter ab altero (ac præsertim iunior à seniore, ac inferior à superiore) sensualiter diligitur: ex quo amans amato facilè vituperabiliter conniuere solet, ac vanè blandiri. Qui hoc spiritu aguntur, communiter suos amatores contemnunt, maioribus adulantur, defectus fratrum obseruare & ad superiores deferre solent; in se ipsi immortificati, tanquam nullam experti vexationem, alios de interna immortificatione procaciter iudicare audent: quod si aliquando tempus correptionis, tentationis, ac probationis eorum aduenerit; mox nimis turbantur, animo deijciuntur, de iniurijs sibi factis grauiter conqueruntur, dolent quod religionem intrauerint, de perseuerantia sui desperant, &c.

Tertius, dicitur spiritus carnis, secundum cuius impulsum, quæruntur oblectamenta sensualia ac voluptates carnales: maior habetur cura sanitatis corporalis, quàm sanctitatis spiritualis: crebra cum mulierculis colloquia instituuntur, familiaritatesq; earum sub specie deuotionis appetuntur: ascetica mortificatio tanquam superstitiosum quid contemnitur, &c. *Quartus*, dicitur spiritus mundi: quo aguntur, qui ab aliis cupiunt specialiter amari, honorari, laudari; qui amant primos discubitus; qui Domos suas & Oratoria, vellent habere tanquam quasdam Basilicas; qui con-

congregandis eleemosynis nunquam aliquem terminum imponere cogitant, &c. *Quintus*, dicitur spiritus diaboli: secundum huius spiritûs impulsum, omnes passionati seu internè non mortificati, facilè in aduersis turbantur horribili iracundiâ, odio, & inuidiâ: in prosperis verò, nimis insolescunt, superbiunt, ac alios despiciunt: & respectu diuinorum acerbi, tædiosi, ac tristes efficiuntur.

Porro sciendum est illis, duplicem esse spiritum Dei: *alium scilicet* Angelicum, qui datur nobis à Deo ad nostram custodiam, iuxta illud *Ps.* 90. Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. *Aliū* Diuinum, qui tria dicit, *tum scilicet* Deum, vt absolutè consideratum: *tum* Spiritum sanctum, vt tertiam Personam SS. Trinitatis: *tum* spiritum bonum, rectum, sanctum, vt effectū ipsius Spiritus sancti. Et hic spiritus Domini, idem est *generatim* consideratus, ac internum incitamentum, impetus, instinctus, afflatus, impulsus, feruor, ardor; quò animus hominis ad aliquid conandum diuinitùs excitatur, permouetur, inducitur, inflammatur, trahitur, agitur, stimulatur. *Distinctè* autem consideratus, *alius* est transiens, *alius* permanens.

Spiritus transiens, *vel est*, quo agimur in causâ nostræ salutis: *vel est*, quo agimur in causâ honoris Dei. *Priore* agimur, *tum* quando diuinitùs illuminamur & excitamur ad

bonum & contra malum: *tum* quando occulto testimonio Dei, in bono contra malum consolamur, iuxta illud *Rom.* 8. Ipse enim spiritus, testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. *Posteriore* agimur, quando diuinitùs impellimur per modum actus, ad aliquid singulare ac arduum, pro maiori gloria Dei patrandum seu sustinendum. Talis fuit spiritus, qui irruit in Samson aduersus Philistijm: & qui impulit Phinees ad cædem fornicarij: & quo Mathathias est actus ac pulsus contra sacrilegum.

Spiritus permanens ille est, qui dicitur super aliquem requiescere, seu habitualiter permanere: & hic duplex habetur, quorum *alius* datur de sursum, ad faciliorem alienæ salutis procurationem: *Vt est*, donum Apostolatus, Doctoratus, discretionis spirituum, & reliqua dona, quæ aliàs gratiæ gratis datæ vocantur. *Alius* cælitùs datur, ad facilem salutis propriæ comparationem, ad facilioremque profectum in studio virtutum faciendum. Hic deinde spiritus, *vel* est ordinarius, *vel* extraordinarius. *Ordinarius quidem*, si est communis, ponitur in anima iusti, tanquam principium inclinans potentiam rationalem ad eliciendos actus virtutum necessitatis: si verò est specialis, ponitur in anima iusti, tanquam principium actuum virtutũ supererogationis eliciendorum ac imperandorum. De *primo* spiritu illud est, quod habetur *Ps.* 50. Ne proijcias

ijcias me à facie tua ; & spiritum sanctum tuũ ne auferas me. De *altero*, illud, quod habetur sequenti versu. Redde mihi lætitiam salutaris tui : & spiritu principali confirma me. *Vterque autem* spiritus (tam *scilicet* communis, quàm specialis seu principalis) ordinarius dicitur : quia ad hoc datur homini iustificato, vt suas actiones ac operationes dirigat secundum normam rectæ rationis, & secundum legem diuinam, siue necessitatis, siue supererogationis : & vt ordinario seu connaturali ac vsitato modo habeat se in Deum, insistens contemplationi diuinorum, *Extraordinarius* autem est, qui datur nonnullis perfectis spiritualibus, vt secundum impulsum & afflatum huiusmodi spiritûs diuini vehementiorem, in extraordinariâ vitâ actiuâ & contemplatiuâ, supra modum humanũ promoueantur. De hoc spiritu illud est *Ezech.* 1. Vbi erat impetus spiritûs, illuc gradiebantur : nec reuertebantur cùm ambularent.

Hinc est, quod quidam iusti aguntur spiritu diuino, vt non nisi secundum modum communem agant, vtpotè secundum legis necessitatis præscriptum, & rectæ rationis consilium : vti sunt omnes Religiosi statûs vniuersalis, *id est*, omnes iusti ac fideles Christiani. Vnde S. Aug. *ser.* 13. *in Verba Apost. Rom.* 8. Dicet mihi aliquis. Ergo agimur, non agimus? Respondeo, imo & agis & ageris ; spiritus enim Dei, qui te agit, adiutor est agentibus, &c.

Quidam verò aguntur spiritu diuino, vt agant opera nobiliora, secundum videlicet ordinariæ vitæ actiuæ & contemplatiuæ præscriptū, vtpotè non absq; rationis humanæ consilio ac deliberatione: vti sunt Religiosi status specialis, *id est*, omnes veri Ascetæ. Vnde S. Ansc. *in eadem verba Apostoli Rom.* 8. Qui spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Aguntur spiritu Dei (*inquit*) vt & ipsi quod agendum est, agant: & cùm egerint, illi, à quo aguntur gratias agant: spiritus enim Dei qui eos agit, agentibus est adiutor & ductor. Aguntur ergo vt agant, cum dilectione & delectatione iustitiæ: quia qui spiritu Dei aguntur, charitate aguntur & excitantur. *Inde aduertendum est*, quod, qui spiritu diuino acti sunt in religionem, *id est*, vocati ad specialem statum Religiosorum; & non agunt id, ad quod agendum acti & vocati venerunt: ij non sunt filij Dei, sed filij adulterini. *Quidam denique* aguntur spiritu diuino, *tum* ad aliqua opera præclara, præter modum humanum ac vsitatū patranda, *vtpotè*, absque rationis deliberatione & consilio: *tum* ad supermundana extraordinariè contemplanda & experienda, absque nimirum cooperatione rationis & concursu phantasmatum. Vbi Deus, palam facit suam nudam essentiā animæ iustæ, in essentia etiam ipsius nuda resplendentem: quod fit, quando menti depuratæ ac denudatæ ab omni mysticorum absoluto & irretentibili, nudam

Deus

Deus præsentiam suam (*id est*, phantasmatibus non obuolutam) videndam & contemplandam in specie ac imagine sui deiformi manifestat.

Hinc deinde est, quod in palæstra spiritualium aliquando idem significat agi spiritu diuino, quod & pati diuinâ. Quilibet autem spiritualis cuiuscunque statûs dici potest aliquomodo pati diuinâ, inquantum scilicet agitur ac trahitur à spiritu sancto ad agenda & ferenda ea, quæ sunt voluntatis diuinæ, iuxta illud *Ioan.* 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. *In qua verba* S. Aug. Noli *inquit* cogitare te inuitum trahi; trahitur animus & amore. *Et inferius.* Si Poëtæ dicere licuit. Trahit sua quemque voluptas, non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio: quanto fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitiâ, delectatur sempiternâ vitâ, quod totum Christus est. hæc ille. *Incipiens quidem* patitur diuinâ, dum in studio spiritualis vitæ, prius se habet secundum gratiæ impulsum, sed magis secundum naturam: quod inde dignoscitur, quia scilicet, quando operatur seu agit, ad quod agitur, non adeo illo labore delectatur: quod si delectatur, sed non nisi labor ille communis ac vsitatus esse censetur, non autem arduus ac difficilis. *Proficiens verò* patitur diuinâ, dum

in ſtudio ordinariæ vitæ actiuæ & contemplatiuæ, æqualiter ſe habet ſecundum gratiã & naturam, quamuis tamen prius ſecundum gratiam. *Perfectus perfectione ſupererogationis* diuinâ patitur, dum in eodem ſtudio magis ac prius habet ſe ſecundum gratiam quàm naturam; quod inde dignoſcitur, quia labor ille arduus ac difficilis vtrique ſpirituali vitæ ordinariæ annexus, præ ſobria dilectione & delectatione, penitus ab eo non ſentitur: quod ipſum etiam de dolore & quauis confuſione ac aduerſitate dicendũ eſt, iuxta illud *Act.* 5. Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati. *Myſticus* patitur diuinâ, dum in exercitio extraordinariæ vitæ contemplatiuæ, habet ſe ſecundum gratiam operatiuè; & ſecundum naturam, nonniſi cooperatiuè.

TRACTATVS V.

De tentationibus ſpiritualium, ac de remedijs earum: & de peccatis, ad quæ huiuſmodi tentationibus perſonæ ſpirituales prouocantur.

INTRODVCTIO.

QVamuis Deus optimus plurima ſua dona homini abſque aliquibus eius meritis

præcedentibus conferre soleat; nulla tamen ratione vult ei largiri ipsum donum vitæ æternæ ac præmium cælestis gloriæ, nisi aliàs benè merito, ac victori omnium tentationũ: quibus in hoc præsenti certaminis campo, eius propositorum fidelitas, & in obseruantiâ mandatorum Dei & consiliorum Christi stabilitas, constantia, ac perseuerantia exploratur. *Vndè*. S. Iacobus *cap*. 1. Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Et S. Paulus 2. *Tim*.2. Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Ille autem legitimè certare probatur, qui tentationes suas, quæ suum conantur impedire profectum, ac frangere propositum, perseueranter expugnat, plenè debellat, & finaliter superat. Non est enim magnũ (*Vt ait* Auctor apud S. Aug. *serm* 8. *ad fratres in eremo*) inchoare quod bonum est; sed consummare, hoc solum perfectum est. Et S. Hier. *lib*. 1. *contra Iouin*. Cæpisse, multorum est; ad culmen peruenisse, paucorum. *Idem alibi*. Non quæruntur in Christianis initia, sed finis: Paulus malè cæpit, sed benè finiuit: Iudæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur. *Vt igitur* natura tentationum, cum quibus bellum nobis est in præsenti vitâ, perspecta habeatur, necesse est in primâ distinctione huius tractatus, genera, modos, & species earum prodere: in secundâ verò, remedia tentatis adhibenda, ex dictis

patrum spiritualium recensere oportet: tandem in tertiâ distinctione, adijcienda est aliqua breuis declaratio peccatorum, ad quæ communiter tentationibus huiusmodi stimulamur ac prouocamur.

DISTINCTIO I.

De quinque generibus tentationum, & viginti speciebus suggestionum diabolicarum.

ARTICVLVS I.

De tentatione à Deo, & ab homine.

VBi homo ille simplex & rectus ac timens Deum S. Iob, ipse per suam experientiã didicit, statim etiam nos commonere voluit, vitam nimirùm nostram, militiam (seu, iuxta *septuaginta interpretes:* tentationem) esse super terram, & meritò, quia vni tentationi succedit alia & alia, alterius sæpè generis ac materiæ, sicut fluctus succedit fluctui, & ventus vento, & annulus annulo in catena; imò etiam sæpenumero simul plures nos inuadunt, prouenientes nimirum tum à Deo, tum ab homine, tum à carne, tum à mundo, tum à diabolo. *Primum itaque* genus tentationis, à Deo venit. Sed *nota*, quòd nullâ tentatione à Deo procedente, in malum tentamur. *Vnde* S. Iacobus *cap.* 1. Nemo cùm tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est, ipse enim neminem tentat. Quod explicans D. August. *lib.* 2. *de consensu Euangelij cap.* 30. sic ait. Aliâ significatione intel-

intelligitur tentatio, de quâ dictum est: Deus neminem tentat: & alia de quâ dictum est. *Deut.* 13. Tentat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat vtrum diligatis eum, an non: illa seductionis est; hæc probationis. *Hinc est*, quòd Deus non alio fine suos electos tentat, quàm pater suum filium, herus seruum, vir vxorem, magister discipulum: vt videlicet ingenium eius, studium, fidelitatem, & affectum, partim exploret; partim acuat, accendat, & promoueat.

Tentat autem Deus homines, aliquando *exterius*, aliquando *interius*. Exteriùs quidem tentare dicitur; *Vel* dum illis bona præsentia confert, vt videlicet appareat, num benè aut malè illis vtantur; quod patet *Matt.* 25. ex illâ parabolâ. Accedens qui quinque talenta acceperat, &c. *Vel* dum illis eadem bona deinde subtrahit, ac præterea nonnunquam multis eos malis afficit, sicut Iob & Tobiæ facere voluit, quos semper tam in prosperitate, quàm in aduersitate, fideles ac iustos inuenit: *Vel* dum eis mandata sua seruare præcipit, arduaque virtutum exercitia prosequi iubet: quo pacto tentauit Abraham præcipiens ei immolare Isaac, hæredem videlicet suæ diuinæ repromissionis, vt ostenderetur magna deuotio obedientiæ Abraham, & fidei ad Deum; quia nec in hoc casu hæsitauit de eius promissione, quin impleret etiam de occiso, sicut erat ei pollicitus. *Interius* quoque tentat

tentat suos Deus, *Vel* affluentiâ suauitatis cælestis, *id est*, infusione deuotionis sensibilis, vt eo ipso ad omnem permoueantur mortificationem, palàmque fiat vtrum velint & conentur cooperari gratiæ ac inuitationi suæ diuinæ: *Vel deinde*, dum easdem consolationes cælestes subtrahit eis, ad probandam nimirùm eorum patientiam, & in oratione perseuerantiam, ac in bonis propositis constantiam: *Vel insuper* dum eos in tribulatione, ac aliqua vrgente necessitate instanter & affectuosè clamantes ad se non exaudit, puta ad eorum votum seu voluntatem, vt videlicet exaudiat illos ad maiorem illorum profectum. Hoc modo tentati vox illa est, *Habacuc*. 1. Vsquequo Domine clamabo,& non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non saluabis? Et *Psal*. 12. Vsquequo obliuisceris me in finem, vsquequo auertis faciem tuam à me. Et *Psal*.43. Exurge quare obdormis Domine, exurge & ne repellas in finem. *Vnde* & S. Paulus, dum tertiâ vice Deum oraret pro amouendo stimulo carnis, cælitùs talem vocem audiuit. 2. *Corin*. 12. Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.

Secundum genus tentationis venit ab homine, vnde etiam hæc tentatio humana dicitur, de qua est illud 1. *Cor*. 11. Tentatio vos non apprehendit nisi humana. Illa autem *primo* dicitur tentatio humana, quâ spiritus noster (qui alias dicitur, homo interior) à sensua-

sualitate (quæ alias dicitur homo exterior) primis motibus ad consentiendum malo, stimulatur: hæc tentatio omnibus hominibus quantumuis iustis ac sanctis communis est, & facilè per auxilium Dei vincibilis, modò tantùm primis impulsibus, quibus non nisi infima portio animæ rationalis apprehenditur, statim ab initio resistatur. *Vnde* S. Ansel. in hunc sensum ait: Angelicum est tentationem malignam non sentire: humanum, sentire & non consentire; seu sentire & vincere: Diabolicum, à malignâ tentatione vinci & ex certâ scientiâ peccare. *Secundò* humana tentatio illa dicitur, quâ homo præsertim vitæ religiosæ nouiter addictus, seipsum tentare & probare solet ac debet, in sui videlicet introuersione seu recollectione; velitne ac possit viuere & perseuerare in religione, quam ingreditur, vsque ad mortem in verâ Christi obedientiâ, paupertate, & castitate: sitque paratus sequi Christum, tàm tempore prosperitatis in humilitate, quàm tempore aduersitatis in patientiâ: aliàs sine hâc tentatione ac probatione sui, non potest se absque periculo, damnationis suæ, adstringere votis religiosorum. *Vel item*, quâ bonus, ac strenuus religiosus semper se tentat, probat ac examinat, vtrum proficiat aut deficiat in viâ spirituali. Hanc tentationem sui, S. Apostolus suis discipulis intimare voluit, dicens 2. *Cor.* 13. Vosmetipsos tentate, si estis in fide (*vtpotè*,

staba-

stabiles: *supple:* & in cæteris virtutibus firmi)ipsi vos probate. *Tertiò*, humana tentatio illa est, quâ superiores religiosorum, suos subditos ac inprimis nouitios tentare & probare solent ac tenentur; subindè illis ardua ac naturæ & sensualitati repugnantia, proprioque eorum ingenio ac iudicio, & rationi inferiori contraria, præcipiendo; & diuersis eos mortificationibus vexando, ac fictis aliquando improperijs afficiendo: vt inde conijciatur, vtrum sciant, velint, ac possint seipsos propter Christi imitationem abnegare: ne fortè aliquis illorum, homo videlicet passionatus, immortificatus, sui amore vinctus, & pluribus vitijs irretitus, per solemnem professionem, ex eorum incuriâ aut detestabili aliquâ conniuentiâ, sacræ religioni adscriberetur; vtpotè, contra intentionem Ecclesiæ ac sanctorum Patrum instituta, in magnum dedecus ipsius religionis, & in immensum ipsius profitentis spirituale detrimentum. *Vel item*, quâ ijdem superiores suos subditos non solùm nouitios, verùm etiam & professos tentant ac vexant; aut nimirùm negando illis nonnulla, aliàs dari solita; aut subtrahendo concessa; aut præcipiendo insueta: vt hoc ipso iuxta morem antiquorum sanctorum Patrum, virtutem eorum probent, excitent, acuant, & promoueant. *Quartò*, tentatio humana illa est, quâ homo ab alio homine ex proposito ad peccandum inducitur. De hâc tentatione illud

lud eſt, quod ait V. Beda, *hom. in cap.* 12. *Lucæ.* Duo ſunt genera perſecutorum: vnum palàm ſæuientium, alterum fictè fraudulenterque blandientium.

ARTICVLVS II.

De tentatione à carne, & mundo.

TErtium genus tentationis prouenit à carne. *id eſt*, à concupiſcentia. Carnem enim, non vt mortuam, ſed vt animatam (animâ videlicet originali peccato infectâ) ſæpiſſimè ſacri ſcriptores, pro ipsâ concupiſcentiâ accipiunt: quia caro, eſt velut officina animæ vitiatæ, quæ in carne, quaſi figulus in ſuâ figulina & luto, ſuarum concupiſcentiarum ac turpitudinum varias ideas & imagines imprimit ac efformat, per illamque eaſdem peragit & conſummat. Eſt autē præſens concupiſcentia nihil aliud, quàm ægritudo, febris, ac vulneratio animæ, & iuſtitiæ illius originalis corruptio: hæc autem erat natura iuſtitiæ originalis (vt ait D. Bonau.) quòd quamdiù fuit ſpiritus Deo ſubiectus ac præceptis eius obediens, tam diu etiam illius imperio ſubijciebantur omnes vires inferiores cum ſuis motibus; ſed rebellante ſpiritu Deo, rebellauit etiam ſpiritui corpus, vt dicat S. Paulus *Rom.* 7. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. *Vel deinde*, præſens concupiſcentia idem eſt, quod fomes peccati, poſt ipſam etiam regenerationem bapti-

baptismalem, in pœnam originalis peccati in sensitiuo appetitu nostro remanens, ac inde in omnes alias vires animæ, virus suum diffundens. Cuius quidem *fomitis* natura est, quendam videlicet recipere ardorem ad peccandum, *tum* ab obiectis à mundo repræsentatis, *tum* à suggestionibus & impulsibus diabolicis: ac *deinde* solicitare spiritum suis blanditijs, quasi meretricijs; & pulsare incitamentis irreuerentibus ad consentiendum peccato: quâ etiam de causâ, stimulus carnis dicitur.

Hinc imprimis est, quòd tentamur in inferiori portione animæ nostræ à carne seu concupiscentiâ tribus modis, iuxta numerum trium virium inferiorum animæ rationalis. *Primò*, dum in sensitiuo appetitu nostro concupiscibili, excitantur desideria turpium delectationum, *vtpotè*, luxuriæ, gulæ, &c. *Secundo*, dum in irascibili appetitu sensitiuo, consurgunt motus iræ, impatientiæ, odij, inuidiæ & aliorum huiusmodi vitiorum. *Tertiò*, dum in vi rationali, quæ nimirùm bona inferiora, terrena & caduca, considerat; suscitatur motus elationis, superbiæ, ac præsumptionis, & auiditas inutilis scientiæ, &c. *Deinde* tentamur à concupiscentia alijs tribus modis in ipso spiritu *Primò*, dum sentimus & aduertimus esse, in superiori nostro appetitu concupiscibili, seu in voluntate, *vt est*, concupiscibilis, acediam, torporem, & negligentiam ad bonum pera-

peragendum, ad orandum, virtutibus insistendum, &c. *Secundò*, dum noster spiritualis appetitus irascibilis, seu, voluntas rationalis vt est irascibilis, horret media ad bonum, ob laborem difficilem eis annexum; dumque propter sui debilitatem, fragilitatem ac infirmitatem desperat, quòd iam non possit vincere ac transcurrere impedimenta studiorum spiritualium. *Tertiò*, dum ratio superior sic tenebris ignorantiæ obuoluitur, vt in viâ spirituali, quid agendum, aut quomodò sibi procedendum sit, nesciat. *Vnde est*, quòd nisi hæ vires spiritûs nostri, gratiâ septiformi cælitùs formarentur, omnes hâc tentatione vinceremur; nec aliquando malignos eius impulsus cohibere possemus. *Quartum* genus tentationis venit à mundo. Tentat autem nos mundus dupliciter. *Primò*, obiectis bonorum suorum (*Vt sunt*, honores, adulationes, curiositates, possessiones, voluptates, & hominum familiaritates) dum illis ab amore bonorum spiritualium ac æternorum nos abducere, & ad sui amationem trahere nititur. Experientiâ enim docemur, quòd obiecta bonorum huius mundi sensitiua ac præsentia, magis permouent ac alliciunt ad se appetitum nostrum sensitiuum, quàm obiecta spiritualia ac æterna appetitum rationalem. *Vnde est*, quòd homo immoderatè appetens præsentia, aut nimis sibi in eis complacens: facilè ab æternis mente alienatur, ac varijs per propriū

con-

consensum sese implicat peccatis. *Secundò*, tentat nos mundus, ac præsertim contemnentes bona sua præsentia, & voluntati diuinæ seriò obedire cupientes; dum suis malorum obiectis (*Vt sunt*, odia falsorum fratrum, scandala, irrisiones, subsannationes, contemptus, detractationes, & quæuis aliæ persecutiones) nunquam nos terrere & affligere cessat: vt sic aliquando animo fractos, à verâ iustitiâ timoreque Dei deuios reddat.

ARTICVLVS III.

De tentatione diabolica.

QVintum genus tentationis prouenit à diabolo. In hâc autem diabolicâ tentatione quatuor aduertenda sunt. *Primum* est, ipsa videlicet causa seu origo tentationis in ipso dæmone; quæ non alia est, quàm odium Dei, & inuidia nostri: odit enim diabolus Deum, odio æterno; & nobis inuidet, æternâ inuidiâ, vitam sempiternam: ratio est *primi*, quia diuino eius iudicio ad pœnas æternas se esse detrusum cognoscit: ratio *alterius*, quia in locum suum, nos sufficere animaduertit: & quoniam non potest de Deo vlcisci hanc suam (vt iudicat) iniuriam; ideò de nobis, tanquàm de ipsius Dei viuâ imagine, eam vlcisci conatur, per callidam videlicet nostri tentationem, & dolosam ac tyrannicam persecutioné. *Secundum* quod aduertendum venit, est finis seu intentio diaboli tentantis; vnum autem

è duo-

è duobus tentatione suâ ac importunâ solicitatione nostri, diabolus efficere intendit: *Vel* desertionem nostram, inchoatæ nimirum spiritualis viæ ac iustitiæ Dei, per consensum in mortale peccatum; & consequenter condemnationem ad pœnas infernales: *Vel* saltim, ipsam refrigerationem ac remissionem affectûs nostri, in cultu virtutum & studio spiritualis profectûs: & consequenter, minutionem meritorum ac præmiorum. *Tertium* est, materia & subiectum eius tentationis. *Materia* quidem tentationis diabolicæ, sunt obiecta bonorum & malorum huius mundi: *subiectum* verò, est nostra sensualitas, *id est*, sensus corporales interni ac externi, & infimus appetitus concupiscibilis ac irascibilis. *Aliàs* ista obiecta, & sensualitas, dicuntur arma diaboli, quibus ille contra nos pugnat; obiecta quidem nobis repræsentando, sensualitatem verò commouendo. *Quartum* est, ipse modus tentationis diabolicæ, quem quidem modum S. Paulus, sub nomine colluctationis, his verbis prodidit. *Eph. 6.* Non est nobis colluctatio (*id est*, lucta, pugna, certamen, duellum) aduersus carnem & sanguinem (*id est*, talis, ac tam facilis, quàm est aduersus homines, qui ex carne & sanguine constant) sed aduersus principes & potestates tenebratum harum. *id est*, aduersus dæmones, qui sunt spiritus inuisibiles, magnæ fortitudinis & potentiæ, magnæ iræ & inuidiæ,

magnæ calliditatis & astutiæ. *Vnde*, sicut moris est luctatoribus secum decertantibus inuicem sese manibus complecti, non quidem ex amore amicitiæ, sed ex cupiditate victoriæ, vnius videlicet de altero, in terram antrorsum aut retrorsum, dextrorsum aut sinistrorsum prostraturo reportandæ. Ita nequissimi nostri hostis diaboli mos est, amplecti nos quodammodo adinstar amici (*videlicet* grata nobis & quasi rationi consentanea offerendo) ac vicissim à nobis mutuum consensûs nostri requirere amplexum, dum nimirum nos luctâ suæ tentationis vno quopiam è quatuor modis astutè inclinare, prosternere, ac superare nititur. *Primò* itaque modo, antrorsum videlicet, aliquem deijcere cupit, quando illum expresse & apertè retrahere à bono, & inducere ad malum contendit, solicitatione nimirum suâ & allectione, per delectabilia carni, oculis, & cordi. *id est*, per voluptates, possessiones, & honores mundanos. *Vel deinde* antrorsum aliquem prosternere conatur, dum eum similiter à bono retrahit, ac inducit ad malum; terrendo illum difficultate resistendi vitijs, & insistendi virtutibus; ac perseueranter rigorem, asperitatem, labores, correptiones, & mortificationes religionis sustinendi. *Secundo* modo, id est, retrorsum, optat aliquẽ diabolus prosternere, dum eum occultè ac fraudulenter, *vtpote* sub specie boni ad malũ pulsat, aut à bono reuocare curat: quod facit,
quan-

quando priori modo contra illum prævalere nequit, eò quòd iam plenè abominetur peccatum, & virtuté amplectatur. *Vnde* S. Bern. Bonus, nunquam nisi boni simulatione deceptus est. *Quatuor autem* actibus (sicuti benè aduertit D. Bonau. *lib.* 7. *de prof. relig. cap.* 5.) sub specie boni diabolus tentando gradatim procedit: vt enim faciliùs eius recipiatur persuasio, *primo* loco sola bona proponit: *secundo*, bona malis mixta: *tertio*, ficta ac falsa bona, sed vera mala: *quarto*, cùm iam incautum aliquem sic irretierit ac illaqueauerit; in aperta eum peccata deijcit. *Exempli gratiâ:* Aliquem deuotum fratrem nouitium volens seducere ac è religione ad mundum reuocare, *primò* illi proponit ac persuadet, quod nimirum potuisset vitam æternam ita in sæculo sicut & in religione consequi; mandata Dei seruando, eleemosynas faciendo, & alios verbo & exemplo ad bonum incitando, præsertim cùm iam modum mentaliter orandi & praxim spiritualiter viuendi acceperit. Ecce *primo* loco, sola bona proponit, *id est*, obseruandi mandata Dei propositum. *Postea* suggerit & commendat illi libertatem in sæculo, quòd videlicet liberum sibi esset ibi orare, ieiunare, recreationem honestam capere, comedere, bibere, dormine, ac omne opus bonum ac indifferens implere, aut etiam in causâ rationabili omittere quandocunque vellet. Ecce bona permixta malis, *id est*, propriâ voluntate,

quæ occaſionem præbet omnium malorum. *Tandem* affectum illius excitat ad amorem ſociorum, parentum, amicorum, & bonorum temporalium. Ecce iam falſa bona: quia incautum fallunt hominem; & occaſionaliter vera mala. *Poſtremo* ſic iam illaqueatum ac è religione eductum, in aperta peccata deijcit; ita, vt peiora illius fiant nouiſſima, plùs quàm prima. Ecce ſcorpius, qui blandam habet faciem; ſed caudam quâ occidit venenoſam.

Eodem quoque modo, hic noſter occultus hoſtis, ſeſe in Angelum lucis transformans, contra quemlibet bonum religioſum in aciem procedere ſolet: cùm enim nequam cognoſcit illum, omne apertum deteſtari peccatum, tunc ſuggerit illi vitia ac peccata ſub ſpecie virtutum; vt putans veras virtutes, quarum eſt amore captus, illa non abhorreat, ſed appetat; quo ipſo tanquam piſcis homo, aut auis laqueo, ab illo comprehenſus proſternatur: vt qui erat humilis, manſuetus, obediens, caſtus, deuotus, &c. mox ſub ſpecie zeli, pietatis ac diſcretionis, inueniatur verè ſuperbus, rixoſus, impatiens, proteruus, impurus, acedioſus, &c. *Sic* aliquando nonnullos ſub prætextu boni regiminis & fulciendæ regularis obſeruantiæ, ad ambigendam & alijs inuidendam prælationem ſe induxiſſe gloriatur. *Sic* quibuſdam incautis, ſub ſpecie deuotionis ac ſpiritualis dilectionis, frequentem cum aliquibus deuotis feminis conuerſationem & collo-

colloquutionem persuadet; vt paulatim affectionem eorum erga illas spiritualem, degenerare faciat in amoré carnalem. *Sic* multos sub pallio purioris conscientiæ, non in paucos deducere solet scrupulos, errores, & perplexitates: *Sic* denique in similibus casibus, simili pelle ouinâ indutus, quemuis bonum religiosum, minùs videlicet cautum & circumspectum, capere ac decipere conatur. *Vel quoque* retrorsum diabolus prosternere vult, quando alicui solicitè coram Deo ambulanti conuitiatur, quòd iam consenserit peccato; quòd malè orationi & virtutibus institerit; quòd proposita sua rarò, aut nunquam ad effectum deduxerit, &c. vt nequam de ipsius desperatione aliquando gloriari possit. *Tertio & quarto* modo, seruos Dei infernalis luctator deijcere studet, dextrorsum videlicet ac sinistrorsum; quando in quacunque prosperitate aut aduersitate, siue nimirum spirituali siue mundana, à Deo constitutos, tam per seipsum, quàm per addictos sibi homines, *Vel* adulationibus malè succendit, *Vel* irrisionibus malè humiliat; ita vt quandoque cogantur, quamuis non sufficienter tamen efficienter, *aut* in vanis inaniter gloriari, *aut* à bonis viliter desistere, *aut* etiam mala nequiter operari. *Porro* dextrorsum diabolus tentare dicitur, quando aliquem ad peccandũ solicitans, facit illi spem peruersam de misericordia Dei, ac facilem promittit veniam, & ci-

tam à peccato pollicetur resurrectionem, verbum illud iniquum constituens aduersus eum. *Ps.* 40. Numquid qui dormit, non adijciet vt resurgat? Senistrorsum verò, quando labentem criminaliter, in abyssum desperationis præcipitare quærit. *Vnde* S. Chrys. vtrumque periculosum est, & confidentia peruersa, & desperatio: Nam confidentia nimia, stantem euertit; & desperatio post lapsum non permittit resurgere. *Denique* diabolus nos tentat dextrorsum & senistrorsum, quando deuios nos facere conatur à rectitudine iustitiæ ac virtutis, siue per excessũ, siue per defectũ. Verũ vt adhuc magis perspecta habeatur calliditas inimici nostri diaboli, magisque ac magis laquei eius cognoscantur, conculcentur, & conterantur; non abs re erit in sequentibus articulis prodere eius aliquas tentationum ac astutiarum species, quibus vel maximè nouellos ascetas infestare, decipere, ac irretire consueuit.

ARTICVLVS IV.

De septem speciebus tentationum: vel aliàs de septem diabolis, quorum nomina sunt, Cur, Nequaquam, Plus, Minus, Melius, Medicus, Scrutator.

PRima species tentationis, seu, *primus* diabolus dicitur Cur. Hâc specie, primi parentes nostri decepti sunt in paradiso, cùm dixisset eis serpens infernalis, *Gen.* 3. Cur præcepit

cepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradiſi? Hâc etiam ſpecie fratres noſtri præſertim iuniores tentari ſolent, quando ex impulſu diaboli curiosè rationes inquirunt piarum ſuæ religionis traditionum, conſtitutionum, conſuetudinum, ac ordinationum, ſenſualitati videlicet ipſorum contrariarum: non quidem vt illas fideliter approbent, ac melius cuſtodiant; ſed potiùs, vt aliquam occaſionem accipiant, eas cauillandi, reprehendendi, & contemnendi: ac inde ſuos ſuperiores, tanquam ſuperfluarum & inutiliũ cerimoniarum ac obſeruationum inuentores vel promotores, temerè iudicandi, carpendi, & odiendi.

Secundus diabolus dicitur Nequaquam. Ab hoc tentatore primi parentes noſtri ſic dementati fuerunt, vt potius credere maluerint diabolo, mendaciter pollicenti & dicenti. Nequaquam morte moriemini, quàm Deo ſuo veraciter ſententianti, *Gen.* 2. De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas; in quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris. Eâdem tentatione pulſari ſolent noui religioſi, vt nimirum non credant Magiſtris ſuis & alijs Patribus ſenioribus; dum eis prædicunt, quod ex certa diuinaque experientia exploratum habent, eos videlicet facilè peiores effici in religione, quàm fuiſſent in ſæculo: ſi nimirum ab initio ſuæ conuerſionis, ingrati beneficiorum Dei, præſertim verò

vocationis eius ad sanctam religionem, extiterint: si exercitium orationis mentalis neglexerint: si mortificationi tam externæ, quàm internæ studiosè non vacauerint: si principia politica & habitus prauos ante professionem non vicerint: si à quolibet peccato mortali diligenter ac perseueranter sese non custodierint: si quascunque correptiones humiliter ac patienter acceptare non studuerint, &c.

Tertius diabolus dicitur Plùs. & *quartus* Minùs, quorum *alter* suadet incipientibus, vel maximè animo promptioribus ac deuotioribus, plùs orare, quàm pia suadet discretio, & sancta religionis consuetudo postulat; plùs laborare, quàm exigit obedientia; plùs affligere corpus mortificationibus, vigilijs, ac ieiunijs, quàm rationabiliter superiores concedere volunt: vt hinc apud se in multam veniant, de suâ perfectione & sanctitate existimationem; caputque suum & pectus nimis debilitent, & vires corporis naturales eneruent; ac tandem ad onera religionis sustinenda inhabiles omnino reddantur. *Alter* verò è contra inducere vult incipientes, præsertim animo segniores, ac ad bonum tardiores, ad minùs (videlicet, alijs fratribus) orandum, legendum, meditandum, vigilandum, laborandum & mortificationibus vacandũ, quàm pia religionis consuetudo & rationabilis superiorum præceptio requirit; vt sic sensim otio assuef-

assuefacti, multiplicibus tandem vitiorum laqueis implicentur.

Quinta species diabolicæ tentationis vocatur Melius. Hostis enim noster diabolus, dum etiam sub specie boni seruos Dei decipere nequit, tunc quærit illos capere sub specie maioris boni, seu, melioris. *Vnde* sicut ille dicitur, 2. *Cor.* 11. Sathanas transfiguratus in Angelum lucis: ita hic appellatur *Ps.* 90. Dæmonium meridianum: quasi speciem maioris claritatis, seu imaginem maioris boni præseferens, ad decipiendum quos tentat. Præsens itaque diabolus, ruinam suas ignorantibus astutias molitur, dum eos pulsat, potiùs ad vacandum studijs in se melioribus, *Vtpotè* internis ac spiritualibus (*qualia sunt*, cultus silentij ac solitudinis, lectio, meditatio, oratio, &c.) quàm exercitijs externis seu corporalibus, quæ à superiore committuntur ac demandantur; vt sic fratrem, obedientiæ virtutem ignorantem, contra suum superiorem, tanquàm indigna & vitæ spirituali contraria præcipientem, malè permoueat; & vt sic proprio iudicio innitentem reddat, inobedientemque efficiat, contra illud quod dicitur. 1. *Reg.* 15. Melior est obedientia, quàm victimæ; & auscultare, magis quàm offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi, est repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. *Vnde* S. Bern. inquit. Grande malum propria voluntas, quâ fit, vt

bona tua, bona non sint. Etenim si in die ieiunij mei, inueniatur voluntas mea, non tale ieiunium elegit Dominus, nec sapit illi ieiunium meum, quod non obedientiam, sed vitium propriæ voluntatis sapit. *Et subdit.* Ego autem non solùm de ieiunio, sed de silentio, de vigilijs, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremò de omni obseruantia monachi, vbi inuenitur voluntas sua in eo, & non obedientia magistri sui, idipsum sentio: minimè prorsus obseruantias illas, & si bonas in se, inter virtutes censuerim deputandas.

Sextus diabolus appellatur Medicus. Huius diaboli talis est suggestio. Non insistas, *inquit*, lectioni continuato studio, ne oculorum caliginem incurras. Vacando orationi non indulgeas lachrymis, ne ipsos etiam oculos amittas. Noli quâlibet nocte ad matutinum surgere, ne debilitatem capitis acquiras; quandocunque autem te contigerit non surrexisse, dicito te fuisse infirmum, malè dispositũ, &c. Noli multùm quotidiano labore te fatigare & conficere, ne citam incurras mortem, aut quoque, ne fractis viribus corporalibus, debilis ac valetudinarius longo tempore viuas. Has, aut his similes, tentator aliquando suggerit fratribus propositiones; vt illos desides, tepidos, molles, otiosos, delicatos, vitæque longioris cupidos efficiat, contra quod Dominus ait. *Matt.* 11. Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Et *cap.* 7. Intrate per angu-

angustam portam; quia lata porta & spaciosa via est, quæ ducit ad perditioné. Et *cap.* 24. Vigilate, quia nescitis diem, neque horam. Et *Iob.* 5. Homo nascitur ad laborem. Et Apostolus 1. *Cor.* 3. Vnusquisque propriam mercedem accipiet, secundū suum laborem. *Idem quoque* Medicus tentator, sæpè suggerit fratribus dum infirmantur, superiorem de illis minorem curam habere, quàm ex præscripto regulæ tenetur; & alios fratres minùs sibi seruire, quàm vellent sibi seruiri; vt sic ad impatientiam & murmurationem eos prouocare possit, contra aliud regulæ præscriptum *cap.* 10. Fratres habeant humilitatem & patientiam in persecutione & infirmitate, & diligant eos, &c.

Septimus diabolus vocatur Scrutator. Huius tentatoris natura est, stimulare fratres ad scrutandum opera, intentiones & merita aliorum fratrum; Vt inde occasionem eos vilipendendi & seipsos magnifaciendi accipiant: *Vel quoque*, vt suos defectus illorum imperfectionibus, coram propriâ conscientiâ contegant. *Deinde* muneris ipsius est, excitare fratres ad examinandum & scrutandum præceptiones, decreta, & quasuis sententias ac ordinationes superiorū; an videlicet iustè, rectè, piè, discretè, ac prudenter per eos factæ sint: vt inde aliquod scandalum accipiant. *Denique* huius tentatoris studium est, permouere fratres ad examinandum & scrutandum iudicia

Dei inuestigabilia, circa nimirùm prædestinationem ac vocationem electorum, & præscientiam ac reprobationem iniquorum; vt stultè patrocinando, seu iniquè compatiendo damnandis, aut iam damnatis, in Deo aliquam considerent iniustitiam, propter quod vna cum eis damnentur ac reprobentur, iuxta illud. *Prou.* 26. Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloriâ.

ARTICVLVS V.

De octaua specie tentationis: seu de octauo diabolo, qui dicitur Discretus.

OCtauus diabolus solet vocari per ironiam Discretus; eò quòd tanquàm impostor scelestissimus, superiores religiosorum, quos videt profectui spirituali, fratrum sibi in Domino commissorum, studiosè insistere ac inuigilare, suggerit bonis subditis esse indiscretos, inhumanos, ac intolerabiles: vt eos tam peruersissimo studio conturbatos reddat, & in charitate erga suos superiores refrigescere faciat, ac monita illorum, & correptiones, spernere odioque habere efficiat: & vt versâ vice, ipsi etiam à Christo spernantur & contemnantur: scit enim diabolus, fratrem diuisum animo à suo superiore, fieri quasi hominem capite truncatum: *id est*, à Christo (cuius hic vices gerit superior) eiusque influentiâ illuminationis cælestis, & quorumuis donorum gratuitorum, esse disiunctum ac

separatum: quia dicit Dominus *Luc.* 10. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me. Et per Spiritum sanctum. *Prou.* 1. Conuertimini ad correptionem meam: en profeꝛam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea. Quia vocaui & renuistis, extendi manum meam & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo. *Quapropter* dùm quid eiusmodi subditis diabolus suggerit, cogitent potiùs (sicut sancti Patres censuerunt, quod in vitis eorum legere est) illos superiores, qui suos subditos non exercent in mortificatione passionum, & abnegatione propriæ voluntatis, quique non offerunt eis occasionem exercendi obedientiam, humilitatem, & patientiam, cæterasque virtutes, indiscretos & inhumanos esse: perinde ac indiscretus & inhumanus est pater, qui filium famelicum non cibat: pari enim modo mortificatio & virtus, (quam sancta ac prudens superiorum vexatio, in subditis promouet) cibus & pabulum est animæ, eam videlicet instar panis roborans & confortans.

Hinc instat callidissimus tentator, eiusmodi inquiens vexationem, ac tam crebram correptionem, potiùs esse occasionem turbationis ac impatientiæ fratrum, & concitamentum passionum eorum in malum, quàm instigatio-

nem ad virtutis exercitium, *Vnde* S. Paulus dicit ad *Ephes. 6.* Patres nolite prouocare ad iracundiam filios vestros. *Ad quod respondetur:* quod illi patres tam videlicet carnales, quàm spirituales, hoc loco filios suos ad indignationem prouocare dicuntur, qui aut nimiâ subita passione commoti, aut ex duritia & asperitate cordis, contra omne ius & fas pluribus eos contumelijs aut maledictionibus afficiunt; vel etiam nimijs verberibus, seu laboribus illos onerant ac irritant. Verùm, superiores, qui ex impulsu charitatis, varijs moderatè vexant mortificationibus suos subditos (*sicut ibidem admonet S. Paulus dicens.* Sed educate illos in disciplinâ & correptione Domini. *per disciplinam autem* hanc intelligere vult secundum S. Hieron. & S. Chrysostomum, tam instructionem & doctrinam salutarem, quàm castigationem paternam) illi non ad impatientiam eos prouocant sed ad patientiam: nulla enim alia est via ad patientiam, quàm resistentia indignationi consurgenti contra correptionem aut corripientem, *seu*, mortificatio motuum impatientiæ; sicut etiam via ad humilitatem & castitatem, ac cæteras virtutes, est ipsa cohibitio impulsuum superbiæ & luxuriæ, ac reliquorũ refrenatio vitiorum.

Deinde malignus instat spiritus, subditis suggerens, quòd saltem ille superior indiscretus & inhumanus, imò quoque persecutor,

oppres-

oppressor, ac turbator fratrum dicendus est, qui subditum in aliquo deficientem, non iam ex charitate & affectu mansuetudinis; sed ex passione, aut odio, acri increpatione & crebrâ mortificatione vexat & irritat, contra illud quod ait S. Paulus *ad Galat. 6.* Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto (*id est*, si deliquerit aut peccauerit) vos qui spirituales estis (*id est*, vos qui spiritualem habetis iurisdictionem) huiusmodi instruite in spiritu lenitatis (*id est*, subiectos vobis in Domino instaurate sanâ doctrinâ; & mansuetâ, leni, paternâ ac blandâ correptione) considerans teipsum, ne & tu tenteris. *Ad hoc respondetur primo.* Istam propositioné diaboli esse meram exaggerationem, imposturam, iudicium temerarium, ac mendacium; nam & pater mendacij est, qui licet veritatem quandoque dicere videatur, mentitur tamé: *Vel* quia veritas eius non est veritas formalis, nisi materialis, *puta* ex intentione malâ ac peruersâ proueniens, vt nimirùm hâc arte, incautos, ad aliquod peccatum promouere queat: *Vel* quia, vt vnius veritatis reuelatione, fidem adstruat omnibus suis mendacijs, quibus nimis curiosèque credulos, callidissimè supplantet. *Secundò respondetur*, quòd non ille superior dici debet turbator, quamuis subditi per eum ad bonum stimulati turbentur; sed ille qui professionis aut obligationis suæ immemor existens, à Domino sibi com-

commissis, conniuet peccantibus. *Vnde* Helias Regi Achabo (dicenti sibi 2. *Reg.* 18. Tu es, qui conturbas Israel) ait. Non ego turbaui Israël; sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini. *Tertiò respondetur.* Potest eo modo dici bonus superior esse turbator fratrũ immortificatorum, quo & Christus Herodis & Ierosolimæ turbator extitit, qui non dedit alicui occasionem turbationis, sed vnusquisque malæ voluntatis ex ipsius aduentu illam sibi sumpsit. Quamuis etiam bonorum fratrum, bonus superior, in bono sensu dici potest turbator: quia & bonus Angelus, bonam Mariam turbâsse perhibetur. *Quartò.* Potest bonus superior in bono sensu dici persecutor bonorum fratrum, duplex enim est persecutio, *alia* odij, qualis fuit tyrannorum in Christianos, & qualis hucusque est hypocritarum in fideles, in iustos, & in veros Christi seruos, iuxta quod dicit Dominus, *Matt.* 10. Cùm autem persequentur vos, &c. *Alia* est persecutio charitatis, quâ sicut persequuntur parentes suos filios, & magistri discipulos, rationabiliter eos castigando; ita etiam superiores in Domino sibi subditos persequuntur, *vel* vt hoc ipso præteritos eorum corrigant defectus, *vel* vt à futuris eos præseruent, & in timore Domini ac in reuerentia eius antistitum conseruent. De hac persecutione S. Chrys. in illud *Prou.* 12. Qui parcit virgæ, &c. sic ait. Sicut iusta ira, non est ira,

sed

sed diligentia; sic iusta percussio, non est percussio, sed correctio. Et *Clemens Alexandrinus*. Quoad gratiam loquuntur, parum diligunt; qui autem ad vtilitatem acerbi sunt, in futurum sæculũ beneficio afficiunt. Et *S. Aug.* Molestus est medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio; ille ligando, iste cædendo, sed ambo diligendo; Si autem illos negligant, & perire permittant, ista potiùs falsa mansuetudo, crudelitas est. *Vnde* quoq; subditis Spiritus S. sic loquitur *Prou.* 4. Tene disciplinam, ne dimittas eam, custodi istam, quia illa est vita tua. Et *Sap.* 1. Sapientiam enim & disciplinam qui abijcit infelix est: & vana spes illorum & labores sine fructu, & inutilia opera eorum. *Quintò respondetur*, duplicem esse charitatem superiorum, *aliam* mansuetudinis, *aliam* seueritatis. *Vnde*, in spiritu lenitatis, & in charitate mansuetudinis superiores boni, corripiunt illos fratres, quos experiuntur esse animi promptioris ad bonum & tractabilioris: illos autem in charitate & spiritu seueritatis, quos etiam cognoscunt voluntatis esse tardioris & durioris, ac proprij iudicij pertinacioris. Hanc vtramq; charitatem *S. Paulus* se habere profitetur, 1. *Cor.* 5. Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis? Vbi non contradistinguit virgam à charitate: quia repugnat virgam, seu, correptionis seueritatem tanti Apostoli, carere spiritu charitatis.

ritatis. Vnde S. Aug. *lib. 3. contra Parmen. Tom. 7.* hæc verba declarans sic ait. Numquid tamen & virga sine charitate est, quæ ita contexuit. In virga veniam ad vos, an in charitate? Sed quod sequitur, Et spiritu mãsuetudinis. Admonet intelligi, quia & virga charitatẽ habet: sed aliud est charitas seueritatis, aliud mansuetudinis: vna quidem charitas est, sed diuersa in diuersis operatur. *Sextò respondetur.* Odium esse duplex, bonum & malum. *Bonum odium* illud est, quo boni superiores odio habent fratres delinquentes cum S. Dauid dicente *Ps.* 138. Perfecto (*idest*, bono ac sancto) odio oderam illos. Hoc autem est perfecto odio odisse, *inquit S. Aug.* vt vitia non homines oderis, nec vitia propter homines diligas. *Malum odium* illud est, quod mali fouent contra bonos, iuxta illud, quod ait Dominus, *Matt.* 10. Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Eodem quoq; odio, bonos subditos præsens diabolus curat odisse suos superiores, propter sibi molestas eorum admonitiones & correptiones, quemadmodum curauit regium odisse prophetam. *Vnde cùm dixisset.* Perfecto odio oderam illos. *Subiunxit.* Et inimici facti sunt mihi. *Septimò respondetur*, Sit ita, quòd malo odio ac ferali passione superior concitatus, suum subditum hostiliter tractet, & contra leges ac ordinationes Patrum sibi præscriptas iniustè persequatur: Non audeat tamen subditus, apud

sei-

seipsum eiusmodi superiorem iudicare; quia dicit S. Paulus, 1. *Cor.* 2. Spiritualis (*id est*, superior, qui habet iurisdictionem ac potestatem spiritualem sibi desuper à Domino datã in suos subditos) iudicat omnia (*id est*, iudicat omnia subiecta sibi, *corporè* subditos ac incipientes) & ipse à nemine iudicatur. *id est*, à nullo subditorum iudicari potest. Nec præsumat subditus in suo superiore peccatum & iniustitiam considerare, aut inquirere quonam modo respectu subditorum illum se habere necesse sit : sed potiùs conuertatur ad Christum, & ad eius iniurias ac passiones recogitandas, propter cuius imitationem in humilitate & patientia quæuis mala illata facilè erit sibi sustinere ; nec non, inspiciat regulas subditis à sanctis Patribus traditas, iuxta quorum præscriptum ad amussim curet se habere cum suo superiore, credens fideliter ac deuotè, datam esse de cælo illi hanc persequendi se potestatem, & quodammodo maledicendi sibi præceptionem, iuxta illud Domini oraculum. *Ioan.* 19. Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper. & iuxta illud Regij prophetæ, 2. *Reg.* 16. Dominus præcepit ei vt malediceret Dauid; si fortè aspiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hâc.

ARTI-

ARTICVLVS VI.

De nona specie tentationis: seu, de nono diabolo, qui vocatur zelosus.

NOnus tentator dicitur zelosus, qui excitat in fratribus quemdam zelum Dei atque religionis propriæ, ξpotè imprudentiâ, perturbatione & amaritudine animi plenum; ac desinens in multas contentiones, detractationes, murmurationes, aliaque peccata hinc venientia, sub specie boni ac discreti zeli (præsertim in illis, quos cognoscit concepisse quidem bonum affectum erga Deum & propriam religionem, sed nondùm plenam possedisse experientiam vicissitudinum multarum, quæ in quâlibet religione quantumuis reformatissimâ euenire solent; nec adhuc acquisiuisse perfectam notitiam legum, ac omnium excusabilium & inexcusabilium, licitorum & illicitorum) irritans corda eorum aduersus superiores, & alios fratres in religione antiquiores; quos nimirùm putant, iudicant, ac existimant, regulam secundum declarationes summorum Pontificum præscriptas, decreta sedis Apostolicæ pro reformatione religiosorum edita, statuta generalia & prouincialia à maioribus superioribus tradita, imò & ipsa Dei præcepta ad amussim non seruare: nec pro eiusmodi præuaricationibus (proh dolor) aliquam pœnam subire: in summum videlicet scandalum aliorum fratrum

trum præsertim iuniorum, qui pro minoribus (*vtpote,* quotidianis) defectibus, continuè acriter corripiuntur.

Obuiatur primò huic dolosæ tentationi; zelus Dei *duplex* est, laudabilis nimirùm & damnabilis. *Zelus laudabilis* alius est incipientium seu subditorum; alius perfectorum ac superiorum. Zelus *incipientis ac subditi* est (quilibet enim subditus, præsertim paucorũ in religione annorum, respectu superioris, incipiens censetur esse) continuum videlicet ardensque studium fugiendi, detestandi, ac mortificandi in se vitium, quod sibi in alijs displicet: & imitandi virtutem, quæ in alijs rationabiliter probatur & laudatur: necnon corripiendi defectuosos, & confirmandi virtuosos, ipso videlicet suorum bonorum operum exemplo. Zelus *perfecti seu antiquioris religiosi, & superioris* (quilibet enim superior, & in religione antiquior, tam virtute quàm experientiâ putatur esse perfectus) est indignatio animi æstuosa, rationabiliter aduersus eos insurgens, qui indigna agunt contra Deum, aut sancta religionis instituta, ac desinens in peccantium castigationem & correctionem. Hunc autem zelum D. Bonau. *de sex alijs seraphim* temperatum habere vult pietate seu compassione proximi; deuotione & discretione seu prudentiâ, exemplaritate & patientiâ superioris.

Zelus damnabilis *alius* est iniquus, *alius* absque

absque scientia. Zelus iniquus vel etiam hypocriticus, *primò*, est liuor ac furor palliatus iustitiæ tegumento, concitati animi contra peccata, siue vera, sed nimis exaggerata, siue imaginaria, *id est*, ficta & ementita, in eorum videlicet qui sibi sunt odio vltionem, diffamationem, despectionem, & condemnationem directus; ad suæ autem iustitiæ more pharisaico ostentationem, ac denique, pro sua parte ad aliorum animorum captationem, ordinatus. *Secundò*, Zelus hypocriticæ mentis ille est, quo zelat aliquis contra aliorum vitia pro Deo aut religione, cùm ipse vel iisdem, vel alijs adhuc peioribus vitijs irretitus sit, vt merito ei illud dici possit. Hypocrita eijce trabem primò de oculo tuo, & sic valebis eijcere festucam de oculo fratris tui. *Tertiò*, quando quis zelat contra vitia aliorum, cum suo fastu, & aliorum contemptu: vt condignè possit sibi dici, quod dictum esse Diogeni narratur, aienti. Calco fastum Platonis. dum videlicet incontemptum Platonis fastûs & ambitionis, illius calcaret culcitram. Calcas, *inquit Plato*, sed alio fastu. O miseram huiusmodi sortem, calcare seu corrigere aliorum defectus ac peccata, alijs peccatis ac defectibus! Zelare ac pugnare pro iustitia, Deo, ac religione, armis videlicet elationis, præsumptionis, contentionis, detractionis, susurrationis, murmurationis, & odij (proh dolor) contra iustitiam Dei, pacem religionis, ac præcepta charitatis.

Zelus

Zelus Dei absque prudentiâ, vel alias non secundum scientiam, aut etiam immortificatus, immoderatus, indiscretus, ac præsumptuosus, multipliciter haberi potest. *Primò*, quando medijs discursibus perturbatæ rationis, concitatur ac inflammatur animus ad vltionem sumendam, de fratribus indigna agentibus aduersus honorem Dei aut profectum religionis, absque aliquo respectu correctionis peccantium. Huiusmodi zelum habuit Ionas, quando doluit quod ciuitas magna Niniue, iuxta id quod prædixerat, non ruebat. Similiter Iacobus & Ioannes Apostoli eodem zelo succensi fuerunt, quando contra Samaritanos non recipientes nuncios Domini dixerunt *Luc.* 9 Domine vis, dicimus, vt ignis descendat de cælis,& consumat illos. *Secundò*. Zelus præter scientiam dicitur, quando consurgit contra facta aliorum, quæ vel nonnisi occulta sunt peccata, vel peccatorum suspiciones meræ, vel facilè possunt excusari à peccaio, *vtpotè* ignorantiâ inuincibili, inaduertentiâ, intentione rectâ, fide bonâ, benignâ legis interpretatione, dispensatione superioris: *vel etiam*, quia eiusmodi factis, peccatur nonnisi contra ius aliquod nunquam obseruatum, nec plenè receptum, aut vsu contrario præscriptum, aut benè non intellectum, nec sufficienter explicatum ac distinctum: ratò enim ius, seu lex per se, aut per suos legislatores distinguitur, ac explicatur; sed per

inris

iuris ac legis Doctores: *Vel denique*, contra ius, cuius cessauit obligatio propter cessationem illius finis; quodque impeditiuum est alterius iuris seu legis, præceptique nobilioris ac dignioris. *Tertiò*, zelus sine prudentia illorum est, qui præcipitanter, ac violenter vitia aliorum extirpari cupiunt, minimè prouidentes, ac præcauentes, quòd dum colligi zizania volunt, ne triticum quoque ipsum simul eradicetur. *Vnde* est, quòd huiusmodi zelus pugnat contra iudicia Dei altissima, quæ sapientissimè permittunt mala semina cum bonis crescere vsque ad messem: & hoc, *Vel*, vt incipientes, sicut ex proborum exemplis, doctrinam & modum in religione, sanctè ac laudabiliter viuendi accipiunt: ita vice versa, ex prauorum defectibus occasionem ac instructionem habeant, quomodo viuere non debeant: *Vel quoque* vt ipsi mali, exemplis bonorum tandem corrigantur aliquando: *Vel saltem*, vt malorum mala voluntas, bonorum passiuæ purgationi ac illuminationi proficiat, iuxta illud *D. Aug.* Ne putetis gratis esse malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum: omnis malus, aut ideò viuit vt corrigatur, aut ideò viuit, vt per eum bonus exerceatur. Vtinam ergo qui nos modò exercent, conuertantur & nobiscum exerceantur; tamen quamdiu ita sunt vt exerceant nos, non eos oderimus; quia in eo, quòd malus est quis eorum, vtrum vsque in finem perseueratu-

rus

rus sit, ignoramus; & plerumque cùm tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti, & nescis. *Quartò*, zelus absque scientia & consilio est, quando quis palam contra peccantes, pro honore Dei aut obseruantia religionis, piâ quâdam permouetur indignatione, qui nondum per studium propriæ mortificationis plenam de tentationibus ac passionibus suis obtinuit victoriam: nec adhuc pro suo zelo ad imitationem Christi ac sanctorum eius, quasuis persecutiones patienter sustinere paratum habet animum. Nam huiusmodi zelotes Dei persuadeat sibi necesse est, quòd etiam peccans, aduersus insurgentem contra suos defectus, alio zelo, *aut* nimirum malo, *aut* bono, insurrecturus sit: *malo quidem*: quia qui audet ex certa scientia peccare in Deum, aut in religionis institutum, faciliùs peccare audebit in obseruatorem suorum defectuum, vtraq; scilicet manu (*id est*, per fas & nefas) sese ab eo defendens, ac in eum tela suæ indignationis iaciens: *bono autem zelo*, quia etiam ipse zelotes Dei, forsitan habet alios suos defectus, acri mortificatione & correptione dignos: *aut*, quia errat in modo zelandi, *nempè* peccantem diffamando, seu contra eum strepitum murmurationis aliorum excitando: *aut* in aliorum officium ad quos nimirum zelare spectat, importunè, intempestiuè, ac præsumptuosè sese ingerendo.

Verùm hinc quæri potest, vndenam proueniat

niat ille zeli impulsus, quo imperfectus, seu incipiens, ac subditus, pro Deo aut obseruantia regulari contra indigna facientes agitur: an videlicet à spiritu diuino; an verò à spiritu diaboli? Nam si prouenire dicatur à Deo, nefas erit non cooperari diuinæ inactioni: ideo enim agitur quis à spiritu diuino, vt illud agat, ad quod agendum pulsatur. Si autē prouenire respondeatur à diabolo, concedi necesse esset diabolum sibiipsi contradicere, cuius vnicum studium est pulsare hominem suis tentamentis ad malè agendum, non verò ad benè operandum. *Ad hoc respondetur*, quòd eiusmodi pulsus imperfectorum potest prouenire tam à Deo, quàm à diabolo: Agi autem ac impelli solet imperfectus aliquis, *vtpotè* nouellus religiosus à spiritu diuino, non vt præcipitanter, intempestiuè ac inordinatè; sed præmeditatè, opportunè, rationabiliter, ac debito modo zelum animi sui exteriùs prodat: vel saltim, vt solo ipso interno desiderio bonum seu honorem Dei zelosè promouendi peruratur: multa enim desideria sancta sæpè suis Deus inspirare solet, quibus illos ardere vult (*vt est*, desiderium conuertendi peccatores ad pœnitentiam, & infideles ad veritatem fidei agnoscendam, patiendi persecutionem pro iustitia, aut sustinendi martyrium propter Christi imitationem, hanc vel illam ingrediendi religionem reformatam, &c.) ad quæ tamen implenda non

dat

dat illis modum, tempus, facultatem & occasionem: solo nimirum volens illos esse Apostolos, martyres, ac religiosos affectu. *Dum etiam* pulsat imperfectos seu nouellos religiosos diabolus ad zelandum pro Deo ac institutis Patrum, tamen sibiipsi non contradicit: quia hoc ipso transformat se in Angelum lucis seu veritatis, vt inde occasionem habeat suscitandi alium contra eos, aliorum persecutionis zelum: ac postea sumat ansam, ipsos, in ipsorum nimiâ comprehendendi perturbatione animi ac odio, consurgente ipsis contra huiusmodi defectuosos, ac alio zelo sese impugnantes; & consequenter contra propriã religionem, ac sui ad eam vocationem. Huiusmodi autem odium aut grauem animi indignationem ex immissione diaboli religiosus concipiens, in maiori versatur periculo æternæ damnationis, quàm alius homo mundanus, *vtpotè* pluribus peccatis implicatus, sed tamen amore religioni addictus: quia talis amor, sicut initium est aliquod conuersionis, & signũ, saltim remotum, saluationis eius: ita vice versâ, tale odium, est exordium alicuius recidiuationis seu retrouersionis, ac indicium aliquod reprobationis; quorum vtrumq; priuilegijs Christi Domini, sancto Patri Francisco datis, facilè comprobatur.

Hinc deinde obijci potest; quòd nimirum si incipientes ac imperfecti pro religione non zelâssent, ac sese aliquâ murmuratione non

opposuissent, iam pridem obseruantiam illius ruere necesse esset: quia fortè, vel non inueniuntur perfecti, vt pro bono communi agant; vel si inueniuntur, nonnisi sibiipsis attendunt. *Respondetur primò.* Verum, quidem est, quòd zelus incipientium indiscretus aliquando prodest bono communi (nam vulgò dicitur, quòd obseruantia literalis regulæ minoritanæ, stat fratrum murmuratione) quomodo etiam nonnunquam prosunt aliquibus ad profectum spiritualem propria peccata, *vtpotè* occasionaliter non autem causaliter; verùm, nullâ ratione faciendâ sunt mala, vt eueniant bona. *Respondetur secundò.* Falsum esse, quòd regulæ minoritanæ rueret literalis obseruantia, nisi fulciretur zelo fratrum indiscreto: quia aliàs (quod est cogitare indignum) indigeret Christus Dominus noster, aliqua fratrum inordinatione ac imprudentiâ (ex qua tamen, dum aliquando euenit, scit ac solet elicere bonum) ad promouendam, conseruandam & gubernandam religionem sanctam, qui nec aliquam sapientiam humanam ad hoc munus requirit: sicut coram Beato P. S. Francisco protestatus est (dum ille pro spirituali profectu suæ religionis nimio zelo cruciaretur) dicens: Quid tantoperè solicitus & anxius es miselle homuncio pro hâc religione, aut putas non magis illam esse meã, quam tuam? nonne ego ideo per te simplicem ac indoctum fundare illam volui, vt videlicet guber-

gubernatio & promotio eius, meæ omninò, non autem humanæ adscriberetur sapientiæ? *Respondetur tertiò.* Non ruit statim obseruantia regularis, nec disciplina vitæ spiritualis collabitur, quamuis ruere & collabi minùs expertis videatur; dum videlicet aliquando nonnulli defectus aliquorum superiorum, aut fratrum, siue etiam totius communitatis dissimulantur ac tolerantur, ob aliquam rationabilem causam, solis notam superioribus: imo quoque etiamsi per negligentiam superiorum idipsum eueniat; quia huiusmodi defectus mox corrigentur, *vel* exemplis bonis aliorum fratrum, *vel* admonitione maiorum superiorum, *vtpotè* visitatorum, *vel* citâ mutatione prælatorum, *vel* separatione ab inuicem fratrum ac translatione illorum, *vel* amotione occasionis malæ, &c. *Respondetur quartò.* Multi sunt viri perfecti ac sancti in religione, quamuis curiosis inquisitoribus & indiscretè zelosis, ac apud seipsos iustis & prudentibus non videantur esse, ob aliquos nempe illorum defectus, aliquâ reprehensione dignos, quos etiam ipsi perfecti detestantur summoperè. *Vnde est,* quòd aliàs huiusmodi, nec S. Petrum, summum Christi Antistitem, vellent habere perfectum, qui apud S. Paulũ reprehensibilis erat: nec S. Ioannem, quem diligebat IESVS, qui tam in sua persona, quàm cæterorum Apostolorum ac Sanctorum aiebat. Si dixerimus, quòd peccatum non habemus,

mus, mendaces sumus, & veritas in nobis non est. *Respondetur quintò*. Multum agunt perfecti pro bono religionis, sibiipsis attendendo priùs, quàm bono communi, iuxta ordinem charitatis; quamuis inquietis ac temerarijs agere non videantur: nam docent eos suo exemplo, pacem Christi cum omnibus habere; charitate, aliorum defectus cooperire: legẽ Domini nostri, aliorum onera portando adimplere; suos superiores reuereri & amare, non considerando eorum imperfectiones; sed potiùs ipsum filium Dei, cuius antistites sunt, in illis discernendo: *nec non*, docent eos fugere omnem impatientiam ac animi perturbationem; quæ in se, & in alijs impediunt charitatem, suntque semina pestiferæ ac maledictæ murmurationis: *tandemque* doceat eos; cùm tempus visitationis aduenerit, omnia pro bono communi, quæ illis recta suadet ratio, superiori aperire & relinquere, solum Deum semper præ oculis habendo. *Obuiatur secundò* præsenti tentationi, huiusmodi responsione, ad vltimum punctum suggestionis eius. Apud omnes religiosos, fratres nouelli, vsq; ad præfinitum tempus à summis Pontificibus, sunt sub cura, correptione, ac instructione suorum Patrum spiritualium, quodammodo tanquã filij sub educatione parentum; tanquam pupilli sub actione tutorum; tanquam discipuli, sub custodia & disciplina magistrorum & pædagogorum; tanquam pueri pro addiscenda

arte

arte aliqua mechanica deſtinati, ſub inſtitutione profeſſoris illius artis; tanquam ſerui, ſub poteſtate & iuriſdictione ſuorum Dominorum. Hâc itaque ratione fratres iuuenes cuiuslibet religionis, quamuis mali non ſint, facilè à ſuis ſuperioribus corripiuntur ac reprehenduntur: nam ſicut caro recens, quamuis etiam ſit bona ad comedendũ, tamen ſale mortificatur; vt nimirum eo ipſo à corruptione præſeruetur, & diu in ſuâ integritate conſeruetur: ita fratres nouelli, ſæpè ſale mortificationis exercentur; vt videlicet hoc ipſo, à corruptione paſſionum, ſui amoris, inordinatæ voluntatis, proprij iudicij, ac inferioris rationis diſcurſuum, purgentur ac præſeruentur; aſuetique ab adoleſcentiâ iugo Chriſti portando, ac malis tolerandis, in virtutibus bonum odorem ſpirantibus promoueantur, ac in perpetuum firmentur; quâ enim viâ adoleſcentes ambulant, etiam cùm ſenuerint non recedent ab eâ; & quo ſemel imbuti fuerint virtutum vnguento, illius diu ſeruabunt odorem. *Verùm* alia eſt ratio ſeniorum fratrum, qui iam ſunt exempti à cura magiſtrorum ſpiritualium, & à diſciplina iuuenili: hi etenim communiter pro quotidianis defectibus paruis acriter non corripiuntur, niſi admoneantur ac rogantur, vt ſeipſos corrigant, quia dicit S. Paulus 1. *Tim.* 5. Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrẽ: iuuenes (*vtpotè* exemptos à cura vicariorũ)

vt fratres. Pro maioribus autem defectibus & grauioribus peccatis, puta notorijs ac publicis, plùs etiam & grauiùs publicè puniuntur, iuxta dilecti exigentiam: verùm pro illis peccatis, quæ occulta sunt, & nonnisi solis superioribus aliquo modo probata, occultè etiam corripiuntur: si verò nullatenus probari possunt; tamen pro solis indicijs aliqua leuiori pœnâ, siue nimirum positiuâ, siue negatiuâ plectuntur. *Hinc* iam patet, quòd scandalum illud iuuenum, non est datum sed acceptum, quale illud fuit Pharisæorum inuidorum & hypocritarum, quod de Christi ac de discipulorum eius vita & doctrina accipiebant.

ARTICVLVS VII.

De diabolo, qui dicitur Perfectus, Curiosus, Laudipeta, Lasciuus, Tetricus, Blasphemus, Amor placendi, Timor displicendi, Linguax, Si, Accusator fratrum.

DEcimus tentator dicitur Perfectus, ex eo videlicet quòd suggerere soleat nonnullis incipientibus, illos iam esse perfectos ac sanctos: vt hoc ipso, sic facilè ac imprudenter credulos (incipientes enim facilè credunt se esse perfectos, dum statum peccatorum, quem per gratiam Dei deseruerunt considerant; statûs verò perfectionis cuius nondum limina attigerunt conditiones ignorant) nimis altè sapere, ac multùm de seipsis præsumere; alios autem tanquàm minùs perfectos, aut etiam

tan-

tanquàm peccatores, temerè iudicare, condemnare, ac deſpicere, faciat. Hâc tentatione ſuperatus Phariſæus, ſtans apud ſe orabat (ſicut legere eſt *Luc.* 18.) Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus. *Vel* ex eo Perfectus vocatur, quia è contra nonnullis incipientibus quandoque perſuadet, quaſi nunquàm in religione perfecti poſſent fieri, eò quòd nullatenùs vitare poſſint, quamuis velint ac ſtudeant, omnes imperfectiones, & omnia peccata venialia, ſicut ipſa experientia docet; quâ etiam de causâ iiſdem ſuggerit, nullum alium in ſua religione poſſe inueniri perfectum, licet contrarium narretur, & credatur; vt hâc ſuâ calliditate faciat illos temerè iudicare, & contemnere ſuam inprimis religionem, ac poſteà quoſuis alios viros perfectos; minùſque abhinc curare aſceticam diſciplinam, & omne ſtudium virtutum. Verùm ſic tentati, ſeriò admonentur à Sapiente illis verbis *Eccl.* 7. Noli eſſe nimiùm iuſtus. Nimiùm autem quis iuſtus ac perfectus eſſe cupit, quando ab omnibus imperfectionibus, & peccatis venialibus purus omninò euadere conatur; quod nunquam alicui perfectorum, in hoc ſtatu corruptionis, vllo modo concedi ſolet: non enim per viam innocentiæ, ac originalis iuſtitiæ, vult ſuos Deus redire ad paradiſum vitæ æternæ; ſed per viam humilitatis, cuius nobis materia ſeu

occasio inest, ipsa videlicet nostræ corruptæ naturæ ad malum propensio, quotidianos defectus nobis parturiens. *Vnde est*, quòd imperfectiones & venialia peccata, virorum profectui spirituali fideliter insistentium, potiùs illorum promouent & conseruant (puta, occasionaliter, diuina sese interponente sapientiâ) quam impediunt ac extinguunt perfectionem: nam quemadmodùm carbones ignis, facillimè in cinere per noctem vsque in crastinum diem conseruantur; ita charitatis ac ciuslibet virtutis perfectio, cinere venialiũ peccatorum ac nonnullarum aliarum imperfectionum respersa, per noctem præsentis miserrimæ vitæ, vsque in crastinum æternitatis diem, satis bellè custoditur.

Vndecimus tentator dicitur Curiosus. Hic persæpè religiosis suggerit, illam potiùs inquirendam eis esse scientiam, quâ gloriosi redderentur mundo, quàm quâ spiritualis eorum promoueatur vita: *idem quoque* persuadet illis, occulta ac secreta aliorum inuestigare, & coram alijs propalare; audire noua, videre pulchra, habere chara, & quæcunque grata sunt sensibus experiri: vt hoc ipso fiant ex eis homines vani, mundani, indeuoti & vocationis suæ immemores. *Duodecimus* vocatur Laudipeta. Hâc tentatione deijciuntur, qui bona faciunt, non vt soli Deo placeant, verùm etiam vt ab hominibus videantur, laudentur & promoueantur. *Tredecimus* dici

solet Lasciuus. Huius tentatoris studium est, nimis commouere appetitum infimum, ad concupiscendum pastum & potum saporosũ, delicatum & immoderatum, non tam corporali necessitati, quàm gulæ & luxuriæ deseruientem; ad aspiciendam oculo immortificato & amandam affectu sensuali speciem alterius sexus, aut quasi alterius; ad sæpè couuersandum & iocandum cum eiusmodi personis, ad palpandum seu demulcendum eas, ad adulandum & blandiendum eis, &c.

Quartus decimus & *Quindecimus* diabolus, Tetricus & Blasphemus dicitur. Huiusmodi tentatores, nonnullis suggerere solent cogitationes tristes, turbulentas, superbas, iracundas, inuidas, seueras, querulosas, suspiciosas, amaras, inhonestas, irreuerentes & malignas; multifariam stimulando eos contra fratres, contra superiores, contra religionem seu religionis institutionem ac disciplinam; contra fidem, contra fidei ministros, contra sanctos seu illorum imagines, contra Deum ac eius iudiciorum vias inuestigabiles. *Verùm* huiusmodi cogitationes, si nonnisi passiuæ sunt, non est cur timeantur; quia non solùm non nocent viro spirituali, verùm etiam purgationi eius passiuæ deseruiunt.

Sexdecimus & *Decimusseptimus* tentator, vocatur Amor placendi, & Timor displicendi. Horum vterque suadet ascetis, fauorem, amicitiam, beneuolentiam, & gratiam homi-

num magni facere, ac nimio studio captare; vt his inescatos, paratos efficiat Deum potiùs offendere, ac legem eius violare, quàm aliquando hominibus displicere velle. Eiusmodi fauorem S. Paulus fugiebat, cùm diceret *ad Galat.* 1. Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Vnde & S. Dauid *Ps.* 52. Quoniam Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent: confusi sunt, quoniã Deus spreuit eos. *Verumtamen* sanctum ac laudabile est, velle placere hominibus, non quidem propter suum commodum transitorium; sed propter illorum vtilitatem spiritualem: in quo sensu S. Paulus voluit placere suos discipulos eorum proximis dicens. *Rom.* 15. Vnusquisque proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Quare & de seipso idem Apostolus ait 1. *Cor.* 10. Per omnia omnibus placeo, non quærens, quod mihi vtile est; sed quod multis, vt salui fiant.

Decimusoctauus tentator appellatur Linguax: cuius studium est incitare fratres ad immodicam & incircumspectam loquacitatem, vel aliàs ad vaniloquium ac multiloquium; quod aliquo peccato carere nequit, sicut patet *Prou.* 10. In multiloquio, non deerit peccatum. *Vtpotè,* aut mendacij, aut iactantiæ, aut adulationis, aut irrisionis, aut contentionis, aut murmurationis, susurrationis, detractionis, &c. *Vnde* S. Ambr. Quamplures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix

quem-

quempiam tacendo: ideò tacere posse, quàm loqui, difficiliùs est. *Idem.* Ingreditur mors per ostium tuum, si falsum loquaris, si turpiter, si procaciter; postremò, si vbi non oportet loquaris. Et *S. Bern.* Leuis quidem sermo, quia leuiter volat, sed grauiter vulnerat: leuiter transit, sed grauiter vrit: leuiter penetrat animum, sed non leuiter exit; leuiter profertur, sed non leuiter reuocatur: facilè volat, ideò facile charitatem violat.

Decimusnonus diabolus vocatur *Si.* Hic tentare consueuit per suppositionem circa possibilia. *Exempli gratia:* Quando bonum nouitium cernit (minus adhuc cautum, & nondum suas astutias expertum) orationi diligenter insistere, mortificationi & virtutibus studiosè incumbere, ac in amore suæ religionis & vocationis proficere; mox ei ad meditandum proponit. Quid faceres, si te ex ista religione eijcerent? Et postmodùm fraudulenter ei suadet, vt omninò resignatam habeat voluntatem ad diuinam circa se huiusmodi ordinationem: affirmans, quòd facilè, iam possit seruire Deo in sæculo, quandoquidem tantoperè profecerit in vita spirituali; quod si in peccata recideret, non sua esset culpa, sed eorum qui se eiecerunt: *Vel* suggerens ei, quòd possit aliam intrare religionem, si sibi posteà placuerit. *Vel quoque:* Quando aduertit aliquem bonum religiosũ in proposito æterno sese exercere ac roborare, Deum vi-

delicet amplius non offendendi, ac in timore & amore illius cæterisque virtutibus iugiter proficiendi; protinus obijcit illi eiusmodi propositionem? Quid faceres, si certò scires, te non esse prædestinatum ac Dei electum? *Vel* si in hanc aut in illam occasionem peccandi incideres? *Vel* si hanc, seu aliam haberes persecutionem? *Vel denique:* Quid faceres; si comprehendereris ob fidei confessionem, & conijcereris in carcerem teterrimum ac fætidum; torturæque tibi acerbissimæ, crudelissimæ & prolixissimæ adhiberentur? His ac alijs similibus modis scelestissimus & callidissimus hostis seruorum Dei, in suâ contra eos tentatione procedere solet; vt conturbatos reddens, pristinum affectum deuotionis eorũ erga religionem conceptũ refrigerare queat, studium virtutum eos negligere faciat, feruorem orationis in illis extinguat, charitatem Dei nascentem in odium suo studio conuertat, proposita æterna illorum frangat; & quod impium est, illis eligere persuadeat. *Verùm* non conturbetur, nec animo concidat bonus religiosus ad auditionem huiusmodi sibilli serpentini; sed potiùs agnitâ priùs suâ infirmitate, Deo se auxiliatori ac Saluatori suo fideliter & humiliter commendet, omnem in eo suam collocans fiduciam: quia ipse aut non permittet se tentari supra suas vires, aut in huiusmodi tentatione auxilium sibi efficax præstabit. *Vigesimus* diabolus dicitur Accu-

sator fratrum: cuius natura est stimulare fratres, vt se defendant & excusent in suis defectibus, aliorum accusatione; quòd nimirum hos defectus contraxerint per indiscretionem superiorum, per scandala fratrum, per occupationes religionis, &c.

DISTINCTIO II.

De remedijs contra tentationes spiritualium.

ARTICVLVS I.

De remedijs, & fructibus, seu vtilitatibus, probatiuæ tentationis.

OMnis quippe tentatio nostra, *aut* est probatiua, *aut* inductiua. *Probatiua* seu probationis illa dicitur; quâ nimirum exploratur, probatur, & perficitur fides, patientia, perseuerantia & quælibet virtus nostra. *Inductiua* verò seu inductionis illa est, quâ ad peccandum inducimur ac solicitamur. Harum *vtraque* à sola pendet voluntate Dei, verùm cum hoc discrimine: quòd probatiua tentatio procedit à diuina positiuâ voluntate, *vtpotè* immediata & mediata: illa, quæ est à positiuâ Dei voluntate immediatâ, propriè dicitur tentatio à Deo; & quæ venit à voluntate mediatâ, propriè vocatur tentatio ab homine, vt antistite Dei. *Tentatio* verò inductionis, veniens ab homine, vt instrumento Satanæ; nec non, à mundo, carne, & diabolo, dependet à voluntate Dei permissiuâ. Est autem voluntas Dei permissiua, *alia* antecedens, *alia*

conse-

consequens. Permissiua consequens illa est, quâ nimirùm dicitur Deus (*Matt.* 6. in orat. dominicâ) inducere nos in tentationem. *id est*, permittere, vt propter incuriam ac negligentiam nostram, in cooperando vocationi & gratiæ illius diuinæ, à diabolo inducamur in consensum tentationis. Vnde est, quòd dicitur *Apoc.* 3. Quia tepidus es; & nec frigidus, nec calidus; incipiam te euomere ex ore meo. *Vel*, quâ multos Deus permittit tentari & cadere in grauiâ peccatâ, in pœnam aliorum peccatorum, iuxta illud *Apoc.* 22. Qui nocet, noceat adhuc; & qui in sordidus est, sordescat adhuc. *Verùm* tentatio dependens à voluntate diuinâ permissiuâ antecedente, non est inductiua ad malum, sed probatiua ad bonum: ad hoc enim Deus permittit à malis hominibus, à mundo, carne, diabolo, tentari suos electos; vt nimirùm probentur, vt exerceantur, vt excitentur, vt meliorentur. *Hinc nota*, quòd Deus nunquam permittit malum, vt aliud malùm inde sequatur: quare, dum voluntate antecedente permittit tentationis malum; hoc facit, vt inde nobis proueniat profectûs nostri spiritualis bonum: dum autem consequente voluntate permittit malum; hoc facit, vt inde iustitiæ illius punitiuæ bonum, exteriùs nobis innotescat. *Inde est*, quod sicut tentatio inductiua statim à principio fugienda, reprobanda ac superanda est; ita quoque probatiua in magnâ humili-

tate ac patientia, & cum gaudio ſpirituali ſuſtineri debet.

Primum itaque remedium probatiuæ tentationis eſt, ipſum videlicet tolerare illam humiliter ac patienter, iuxta illud quod dicitur *Eccl.* 2. Suſtine ſuſtentationes Dei, coniungere Deo & ſuſtine, vt creſcat in nouiſſimo vita tua. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe; & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis. Idipſum patet ex verbis Chriſti Domini prolatis *Apoc.* 3. Quoniam ſeruaſti verbum (*id eſt*, præceptum) patientiæ meæ, & ego ſeruabo te, ab hora tentationis, quæ ventura eſt in orbem vniuerſum tentare habitantes in terra. Idem comprobatur ex D. Bonau. *lib.* 2. *de prof. relig. cap.* 6. in hunc modum dicente: Patienter & humiliter virgam Domini ſuſtine, & dignũ te iudicia afflictione & labore pugnæ, & patienter tolera, confidens quòd tibi proueniet in bonum: quia ſic citiùs placabilis erit tibi Dominus, & purgaberis à peccatis, & emundaberis vitijs, & ditaberis virtutibus, ſcientiâ, meritis, & gloria. Vnde & *S. Greg.* Qui appetit plenè vitia vincere, ſtudeat humiliter purgationis ſuæ flagella tolerare: cum Deo non poſſumus contendere, nec per iuſtitiam, quia peccatores ſumus; nec per potentiam, quia infirmi & ſerui eius ſumus; nec aufugere ab

eo

eo per astutiam, quia nusquam eum latere possumus, & Dominij eius terminos exire, iuxta illud, quod dicitur *Psal.* 130. Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Et *Iob.* 9. Sapiens corde est, & fortis robore: quis restitit ei, & pacem habuit? Humiliemus ergo nos coram ipso, & sic misericordiam consequemur. *hac ille.* Quis igitur tentationem patienter ac humiliter non tolerabit? vt nimirum in die nouissimo illam dulcissimam Christi cantilenam (iuxta D. Bonau. *in Dieta salutis Tit.* 10. *cap.* 6.) promereatur audire cum alijs viris Apostolicis, quæ scripta est *Luc.* 22. Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israël. Quod præuidens Dauid in spiritu, clamabat in cælum. *Ps.* 138. Proba me Deus, & scito cor meum, interroga me, & cognosce semitas meas. Et *deinde* post victoriam tentationis coram Deo gloriando aiebat *Ps.* 16. Probâsti cor meum, & vitâsti nocte: igne me examinâsti, & non est inuenta in me iniquitas. *Vtpotè*, iniquitas consensus in peccatum: aut iniquitas impatientiæ, seu desperationis. Vnde etiam sancti, qui iam pertransierunt & superauerunt tentationes suas, semper glorificant Deum in cælo, dulciter cancntes illud *Ps.* 65. Quoniam probâsti nos

Deus;

Deus: igne nos examinâsti sicut examinatur argentū: induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra: transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigeriū.

Secundum remedium est probatiuæ tentationis, gaudium videlicet spirituale, iuxta illud D. Iacobi *cap.* 1. Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis. *id est*, nolite fratres mei contristari in vestris tentationibus: nam eo ipso exhilarabitis tentatorem vestrum, & audaciorem eum facietis contra vos, ac spem ei maiorem addetis vestri casus futuri; sed è contra enitimini omni gaudio gaudere (puta, pleno & perfecto) vt inde vester inimicus magis capiat tristitiam, & timidus reddatur, ac de sua ex vobis reportandâ desperet victoriâ. Huius autem gaudij rationes sunt septem, ipsi videlicet septem fructus, quos tentatio viris affert spiritualibus. *Primus* igitur fructus est, quòd videlicet interuenientibus tentationibus, electi à reprobis per sua placita, seu per suas electiones dignoscuntur ac secernuntur: tempore enim tentationis quid aliud electi & reprobi operantur, nisi quod alteri eorum eligunt bonum ac vitam, & alteri malum ac mortem, iuxta illud *Eccl.* 5. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. *Et consequenter*, alteros illorum facit Deus suos electos, & reprobos alteros.

teros. Quamobrem verum est illud, quod tentatio non improbat, sed qualis est quisque, probat ac manifestat: in tentatione enim, sicut cuiuslibet mali hominis panditur iniquitas, ac immortificati innotescit vitium; ita boni ac probi viri, palam fit amor erga Deũ, & patientia illius clarescit, iuxta illud *Deut.* 13. Tentat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat, vtrum diligatis eum, an non. Et *Iob.* 12. Quia acceptus eras Deo, necesse erat, vt tentatio probaret te. Et *Sap.* 3. Quoniam Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos se: tanquam aurum in fornace probauit illos. Ex quibus verbis dicendum est, quòd quo modo aurum purum ab impuro probatur & secernitur; illo etiam modo vir probus ab improbo dignoscitur: nam sicut impurum ac mixtum aurum, percussum sonat, & in igne positum fumat, euaporat & minoratur: è contra verò aurum purum non sonat, & per ignem transiens, à iusto pondere non deuiat; ita quoque improbus ac irreligiosus homo, dum tentationis malleo percutitur, ac aduersitatis igne examinatur, statim edit sonitum impatientiæ & murmurationis, & mox per iniustitiã ac desperationem minoratur: sed vir iustus versâ vice, in quauis tentatione positus, idem semper manet ac perseuerat, imo per patientiam melioratur, quæ proprius effectus probatiuæ tentationis est. *Vnde* S. Iacobus cùm dixisset *cap.* 1. Omne gaudium existimate fratres mei,

mei, cùm in tentationes varias incideritis. *Subiunxit:* Scientes, quod probatio fidei vestræ, patientiam operatur. *Secundus* fructus tentationis est, ipsa videlicet purgatio iustorum, de qua illud extat *Ioan.* 15. Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est: omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; & omnem, qui fert fructum, purgabit eum (*vtpotè*, per multas tentationes) vt fructum plus afferat. Et illud *Luc.* 3. Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Ad quem quæso finem Christus Dominus in manu suâ ventilabrum habere dicitur, quo nimirũ coloni frumenta post trituram sursum eiaculantur, vt ea ventorum flatu à paleis repurgata accipiant & seruent? nisi in signum, quòd adinstar coloni, electos suos, tanquam grana frumenti contra venti impetum, scilicet tentationum variarum, iactitare decreuerit; vt hoc modo expurgatos à paleis plurium vitiorum ac imperfectionum, tempore suo congreget ac reportet in cæleste horreum. Huiusmodi frumentum purgatum fuit *S. Ignatius Episcopus Antiochensis*, qui cùm iam damnatus esset ad bestias, & rugientes audiret leones, ardore patiendi dixit, Frumentũ Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar. Similiter & *S. P. Franciscus*, de quo Ecclesia sic in eius officio: Granum purum,

rum, excussâ paleâ, summi regis intrat in horrea. *Vnde* & S. Chrysost. Ne existimemus esse signum quòd nos dereliquerit & despiciat Dominus, si tentationes nobis inferantur; sed hoc maximum sit nobis indicium, quòd nostri curam gerit, quia peccata expurgat, & luctam ac exercendi materiam nobis proponit.

Tertius fructus est, quia in tentatione mens nostra sic sensim illuminatur ac eruditur, vt tandem perfecta sui gaudeat cognitione. Vnde *Eccl.* 34. Qui non est tentatus, quid scit? vir in multis expertus, cogitabit multa; & qui multa didicit enarrabit intellectum. Et S. Aug. *in Psal.* 61. Tantùm admittitur diabolus tentare, quantùm tibi prodest vt exercearis, vt proberis; vt qui te nesciebas, à te ipso inueniaris. *Quartus* est, quia per tentationem præseruamur ab omni superbia, & conseruamur in omni humilitate; quod patet ex dictis D. Pauli, 2. *Cor.* 12. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ qui me colaphizet.

Quintus est, quia per tentationes (occasionaliter puta) promouemur in virtutibus, vt patet, 1. *Cor.* 10. Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari, supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum. *Vnde* in vitis Patrum legitur de quodam discipulo, qui dum à spiritu fornicationis tentaretur, adijt Patrem suum spiritualem, vt reuelaret ei hanc grauem suam tentationem;

quâ

quâ cognitâ senex admonuit iuuenem, dicens: vis, rogo Dominum, vt hanc à te alienet molestiam? Respondit: video Abba, quia si laboro, tamen ex pondere laboris huius confido fructificare me: sed hoc roga Deum, vt det mihi tolerantiam, per quam sustineam, ac semper vincam tentationem. Cui pater: Nunc cognoui, quia in magno profectu es fili, & supergrederis me. *Sextus* fructus est erectio spei & affectionis nostræ in Deum: nam dum stimulamur varijs tentationibus, vult nos Dominus clementissimus totaliter de proprijs diffidere viribus; ac per viuam fidē & spem sursum erectam, & humilem feruentemque orationem, ad suum confugere auxilium. Sic faciebat Dauid, cùm diceret *Ps.* 24. Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Vnde D. Bonau. *Stimul par.* 3. *cap.* 17. Permittis nos bone IESV, tentationibus stimulari, vt ad te recurramus: omnem viam & modum quo possis nos ad te trahere exerces, quia tecum nos cupis habere. *Septimus* est, quia tentatio superata, magna præmia victoribus operatur. Vnde Iacob. *cap.* 1. Beatus vir qui suffert tentationem; quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Et *Apoc.* 3. Qui vicerit (suas videlicet tentationes) faciam illum columnā in templo Dei mei. Et 2. *Timot.* 2. Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Et

S. Aug.

S. Aug. *super Psal.* 60. Vita nostra in hâc peregrinatione non potest esse sine tentatione: quia profectus noster per tentationem nostram fit: nec sibi quisquam innotescit, nisi tentatus: nec potest coronari, nisi vicerit; nec potest vincere, nisi certauerit: nec potest certare, nisi inimicum & tentationes habuerit. Et *S. Bern.* Molesta est lucta, sed fructuosa: quia si habet pœnam, habebit & coronam: non nocet sensus, vbi non est consensus: imò quod resistentem fatigat, vincentem coronat.

ARTICVLVS II.

De remedijs inductiuæ tentationis.

PRimum remedium tentationis inductiuæ, est fuga ipsius tentationis occasionum. Est autem ascetis duplex occasio talis, proxima nimirum, & remota. *Proxima* item occasio tentationis, aut est exterior aut interior. *Exterior*, est quodlibet bonum transitorium, seu quoduis obiectum huius mundi animabus incautis gratum. Vnde *Sap.* 14. Quoniam creaturæ Dei, in odium factæ sunt, & in tentationem animæ hominum (factæ scilicet, per propriam illorum concupiscentiam, & per suggestionem ac deceptionem diabolicam) & in muscipulam pedibus insipientium. *Interior*, est ipse amor sui immoderatus, proprium iudicium, & propria voluntas; harum occasionum *altera* fugitur per contemptum mundi & omnium quæ in eo sunt; *altera* per abnegatio-

gatio-

gationem sui. *Remota* etiam occasio tentationis, est itidem alia interior, alia exterior. *Exterior*, est quodlibet officium religionis, & quæuis fraterna familiaritas singularis, peregrinationes quoque, & cum sæcularibus conuersationes, ac tandem infirmitates corporales. *Interior*, est consideratio alienorum defectuum in ordine ad correctionem proximi, ex zelo aliquo proueniens.

Secundum remidium contra inductiuas tentationes est, ipsum videlicet illas præuenire nostrum, *sponte*, præparatione ac præmunitione nostri, antequàm ab eis præueniamur & oppugnemur: iuxta illud *Eccl.* 2. Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitiâ & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Multiplici autem modo nos præparare oportet ad tentationem. *Primò*, per præscientiam ac præcognitionem necessitatis & plurium eius vtilitatum, ac per præuisionem illius iaculorum, Minùs enim (*ait S. Greg.*) iacula feriunt, quæ præuidentur. Et *S. Chrys.* Magna *inquit* virtus boni est, cognoscere malos, & firma tutella salutis, scire quod fugias. *Secundò*, per quotidianas Dominicæ passionis & quatuor nouissimorum meditationes: & per exercitium cuiuscunque bonæ actionis, quo tolluntur studia vana ac invtilia, & ipsum superatur otium, quod est ostium quarumuis seductionum. Hæc enim omnia, illa Dei armatura sunt, quam assumere nos vult Apo-

stolus contra hostes nostros spirituales, *Philip.* 6. dicens: Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. *Tertiò*, optimè nos præparamus antecedenter contra tentationem, dum vigilamus & oramus, vt non inducamur, aut intremus in tentationem, iuxta quod commonemur *Matt.* 26. Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. *Nota autem*, quòd sicut aliud est intrare in fornacem igne succensam, & aliud accedere ad illam: nam intrans comburitur ibi, & nonnisi appropinquans, calefit; ita aliud est intrare in tentationem, & aliud tentari; ille autem in tentationem intrare dicitur, qui per assensum peccato, igne concupiscentiæ suæ vritur & comburitur; & ille nonnisi simpliciter tentatur, qui suggestioni ad hoc exponitur, vt per detestationem iniquitatis, ac mentis in Deum eleuationem, affectu amoris diuini magis ac magis incaleat.

Nota deinde, quòd tunc vigilare dicimur, quando persæpe coram Deo renouamus nostrum æternum, serium, ac resolutum propositum, studiosissimè videlicet, efficacissimè, ac fortissimè resistendi cum auxilio eius cælesti, quibusuis inimici nostri suggestionibus. Huiusmodi propositum fuit Dauid, cùm diceret *Ps.* 118. Et ero immaculatus cum eo, & obseruabo me ab iniquitate mea. *Et infra.* Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. *Et infra.* Et præcinxisti me

me virtute. (*id est*, forti, ac insuperabili proposito) ad bellum; & supplantâsti insurgentes in me subtus me. *Quartò*, perbellè præparamus nos ad tentationem per humilitatẽ, quæ prouenit ex cognitione nostri, per quam fit, quòd diffidentes de sufficientia virium nostrarum, præmuniti confidentiâ in sola protectione diuinâ, intrepidè expectamus hostem nostrum. Sic præmunitus fuit *S. Macharius*: cui aliquando diabolus dixit: Machari, omnia quæ tu facis, ego meliùs facio: tu ieiunas, & ego nunquam comedo atque bibo: tu vigilas, ego nunquam dormio: tu castitatem colis, ego nullum noui actum venereum: tu huic sæculo ac bonis eius abrenunciâsti, & ego nihil possideo in hoc mundo, neque aliquid possidere cupio. Vnum est quo me superas, nempe humilitas tua, propter quam contra te præualere nequeo. *Quintò*, præparamus nos benè contra tentationem inductionis, si membra nostra, tam videlicet exteriorum quàm interiorum virium, per studium asceticæ mortificationis facimus arma iustitiæ; quæ aliàs diabolus, inermis noster hostis, instrumenta iniquitatis, seu arma sua contra nos veniens, à nobis habere cupit, ac fraudulenter sibi impetrare pollicetur; vt nos illis vulneret & occidat. Hanc diaboli astutiam & indigentiã aduertens D. Bonau. præmonere nos voluit, dicens *lib.* 1. *de prof. reg. cap.* 2. Cùm immittit nobis diabolus cogitationes peruersas, &

suadet vt malum faciamus vel loquamur;nonne quasi apertè videtur homini dicere: Inermis sum ego contra te, non habeo vnde te lædere possum, nisi tu præstes mihi arma tua, vt te vulnerem & occidam. Præsta mihi ergo cor tuum ad prauas affectiones, vel cogitationes malas; linguam, ad loquendum iniqua; & manus & alia membra ad actiones & opera praua,quibus letale vulnus in anima accipias, & gratiam Domini Dei tui perdas, & gloriæ cælestis merito spolieris. Vnde S. Apostolus *Rom. 6.* Non exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato,sed exhibete vos Deo,tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ.

Tertium remedium tentationum inductiuarum, est resistentia ipsi initio suggestionis, iuxta illud *Petr.* 5. Cui resistite fortes in fide. Et *Iacob.* 4. Resistite autem diabolo, & fugiet à vobis. Est verò hoc hoco initium suggestionis, illud instans temporis, in quo à ratione superiori, huiusmodi suggestio seu impulsus diaboli internus, legi diuinæ contrarius esse plenè dignoscitur & apprehenditur. *Præsens autem* resistentia tentationi, *Vel* est naturalis, *Vel* supernaturalis: Naturalis illa est, quâ quis resistit peccato, ne incurrat per illius actum aliquod malum temporale, aut ne priuetur aliquo bono commutabili. Supernaturalis resistentia illa est, quâ quis ex motu charitatis dissentit supra omnia diabolicæ ad

pec-

peccandum persuasioni ac inductioni, propter Deum: *Sed hæc* resistentia iustorum, aliàs diaboli victoria dici solet: nam diabolus ipso actu stimulando aliquem ad peccandum, nihil aliud intendit, nisi vt illum vel ex inimico Dei maiorem inimicum, vel ex amico & iusto, iniustum ac peccatorem efformet; qui dum contrarium per tentati resistentiam, aut per quemcunque eius alium charitatis elicitum actum fieri videt, eo ipso victum se esse reputat, ac recognoscit: conuersio enim hominis, est diaboli confusio; & iusti maior profectus in charitate, est ipsius casus ac letale vulnus. Præsens autem victoria, *Vel* est defensiua, *Vel* fugatiua. *Defensiuam* victoriam de diabolo reportamus, quando incitamentorum eius impetum ac vim reprimimus, quâ ab eo obsidemur, circumcingimur, ac oppugnamur, *Vtpotè*, actibus charitatis Dei contra eum iaculando, quamuis hoc ipso ab eius obsessione statim non soluamur. *Fugatiua* verò de diabolo victoria tunc habetur, quando virtute diuinâ mediantibus nostris actibus charitatis, aduersus eum iaculatis, vim eius non solùm reprimimus, sed ipsum etiam fugamus; ab obsidione nimirum eius tentationis statim nos feliciter eliberando. *Porro* in huiusmodi resistentia supernaturali, *aliquando* solet se habere voluntas nostra positiuè, *aliquando* negatiuè. *Positiuè* se habet voluntas; quando per actus virtutum aut charitatis ipsius in

Deum eleuatos, impulsus diabolicos siue solummodò reprimit, siue etiam simul & fugat, vt iam dictum est. *Nota* autem maiorem illã esse victoriam, quæ feliciter per actus charitatis elicitos habetur, quàm illam quæ per alios actus, aliarum virtutum reportatur: Similiter etiam maiorem illam esse existima victoriam, quæ per actus intensiores, quàm quæ per remissiores obtinetur. *Negatiuè* vero habet se voluntas, quando tentationi se impugnanti, actualiter nec consentit, nec dissentit; sed solummodò durante illá, conuertit se ad alias occupationes, donec impulsus eius cessent, ac suggestionis memoria de mente excidat.

Differt autem voluntas negatiua in hoc à permissiua: quia *voluntas permissiua* vel aliàs tacita ac interpretatiua, aduertenter conniuet ac fauet suggestioni aut delectationi suo affectu, cui aliàs actu ipso resistere debet, & potest, modò velit. *Voluntas verò negatiua*, detestatur desiderium prauum seu voluptatẽ inordinatam in affectu, licet non in actu. *Vel*, quia voluntas *permissiua*, tacito consensu habet se respectu peccati: voluntas verò *negatiua*, tacito dissensu habet se contra peccatũ. *Huius* tamen voluntatis negatiuæ, vsum habere non licet, tentatione durante præsertim intensâ, propter aliquod periculum ruendi in consensum tacitum, nisi adsit iusta aliqua causa; qualis est *prima*, maior videlicet commoditas

ditas reprimendi, ac fugandi tentationem: nam ſicut equus hærens in palude ſeu loco cænoſo, & violenter ac impetuosè illinc ſe eliberare contendens; magis ac magis ibi infigitur: ita ſtudioſus vitæ ſpiritualis, dum aliquando apprehenſam tentationem violenter, turbulenter, impetuosè & indiſcretè ex imaginatione aut ſenſualitate eijcere conatur; non rarò, magis ac magis illam ſe ſibi imprimi, experitur: & ſicut viator, canes contra ſe à longè latrantes, minimè vereri ſolet, attamen appropinquantes ſibi, ac ſe mordere enitentes, diligenter virgâ abigit; ſic homo diſciplinæ ſpirituali addictus, tentationem præſertim leuiter aduerſum ſe inſurgentem, ſufficit ſi negatiuâ voluntate eludat, ſolo affectu ſpernens, & quaſi non aduertere eam ſe ſimulans, niſi adſit periculum conſenſus, ob ingraueſcentē eius impulſum, tunc aliàs ipſo actu poſitiuo illam deteſtari neceſſe habet. *Secunda* cauſa ob quam licet ſe habere negatiuè reſpectu tentationis, eſt neceſſitas ac pietas. *Vt*, ſi cui ex officio incumbat diſputare, aut in confeſſione audire de rebus venereis, & commodè non poteſt propter attentionem quam tunc illi adhibere neceſſe eſt, aliquo actu poſitiuo inſurgere contra motus carnales.

Quartum remedium tentationis, præſertim importunæ, & continuæ, ac nimis moleſtæ, eſt imploratio diuini auxilij, per feruentes orationes iaculatorias: quia (ſicut ait D.

Bonau. *lib. 2. de prof. relig. cap. 6.*) nec nostris meritis, nec viribus, nec prudentiâ possumus de tot hostibus triumphare, vel sine letali vulnere transire, nisi protecti manu Dei, & eius adiutorio confortati. Quod quidem adiutorium suum, promisit se nobis Deus daturum, modò illud imploremus, sicut patet *Ps. 9.* Quoniam in me sperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Et *Ps. 49.* Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Vnde quoque ait *S. Ephrem.* Christianus inter diuersas tribulationes & tentationes stet sicut incus, quæ licet semper verberetur, non tamen dat tergum, neque concauitatis formã in se recipit, sed eadem manet. Pro munitione ac castro semper Christum Dominum habeat, ad eumque belli tempore confugiat, dicatque: Esto mihi in Deum protectorem, & in locum refugij, vt saluum me facias.

Quintum remediũ contra huiusmodi molestissimas tentationes, actualiter nos suis solicitationibus infestantes ac obsidentes, est recursus ad rationes defensiuas nostri, & fugatiuas diabolicæ calliditatis, siue nimirum per propriam, siue per alienam excogitatas industriam: quibus quidem rationibus non diabolo respondendum est, aut cum illo disputandum; sed nonnisi propriæ rationi, ac nostris dubijs

dubijs & perplexitatibus, ſatisfaciendum: talis enim diſputatio aut reſponſio, ſummopere nobis à ſanctis Patribus prohibetur; tanquam propinquiſſima occaſio confutationis ac deceptionis noſtræ, per hoſtis noſtri aſtuta, doloſa, ac fraudulenta argumenta; quæ aliàs inexpertis ac incautis nobis, potiùs ab Angelo lucis, quàm ab Angelo ſatanæ prouenire viderentur. *Vel quoque* recurſus ad præſentiam diuinam contuendam, ad conſiderationes paſſionis dominicæ, mortis noſtræ imminentis, iudicij diuini, pœnarum inferni, gloriæ cæleſtis, &c. *necnon*, ad aliquam mortificationem intenſam; modò illa non exerceatur in partibus corporis ſecretioribus, propter probatiſſimas rationes ſilentio inuoluendas. *Vel etiam* recurſus ad aliqua verba ſacræ Scripturæ tempore tentationis pronuntianda & meditanda: vt eſt illud apud D. Iacobum *cap.* 1. Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, &c. *Vel deinde* recurſus ad ſpiritualem magiſtrum, pro capiendo ab eo conſilio contra diaboli aſtutias, ſeu ad detegendum ei ſuggeſtionem diabolicam fraudulentã: propter quod probatiſſimum eſt, mox diabolum fugam arrepturum, vbi ſuum dolum virulentum propalatum eſſe conſpexerit. Verùm ipſæ tentationes, nemini præterea alteri reuelandæ ſunt, niſi, aliàs vrgente graui neceſſitate, viro alicui virtute probato, & experientiâ occur-

rendi diabolicis machinationibus insignita; ne videlicet inter vtrumque inexpertum mutui scandali ac erroris aliqua satis fluctuosa consurgat occasio. *Vel tandem* recursus ad increpationem diaboli actualiter tentantis, exemplo Christi Domini dicentis, *Matth.* 4. Vade satana. Idipsum faciebat Dauid cùm tentaretur dicens: *Ps.* 118. Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei. Et *Thomas à Kempis* suadet, sic increpare illum. *lib.* 3. *de imit. Christi. cap.* 6. Vade immunde spiritus, erubesce miser: valde immundus es tu, qui talia infers auribus meis. &c. *Vel insuper* recursus ad capiendam aliquam honestam animi recreationem ac spiritus exhilarationem, ex mutua nimirum cum fratribus collòcutione religiosa. Verùm recursus, præsertim verò incipientium tempore tentationis, *utpotè* humanæ seu à superiore prouenientis, ad iocum seu risum indiscretum; vt sic per eum effugiatur pulsus internæ turbationis, non placet spiritualibus magistris: quia hoc modo tentatio non superatur, sed solùm subterfugitur; & risus ille ac iocus in principio conuersionis præpediens mortificationem internam, tandem aliquando vertetur in impatientiam, & furiam apertam.

℣. In finem admonendi sunt incipientes, quòd dum pugnant contra tentationes, sic hilariter ac generosè pugnent, quasi mox perpetuam pacem habituri; quia sæpè hoc ipsum gene-

rosis

rosis animis Deus largiri solet. Verùm post obtentam victoriam, gerant se deinde cautè, quasi mox pugnaturi; cogitantes dulciùs sibi esse vincere tentationem, quàm fœdari delectatione peccati: comparatione enim maioris ac infinibilis dulcedinis victoriam subsequentis, cum minori ac momentaneâ dulcedine peccati; non autem difficultatis pugnæ cum incertitudine victoriæ, animus ad fortiter ac perseueranter contra hostes spirituales pugnandum, optimè præparatur, roboratur, & concitatur.

DISTINCTIO III.

De nonnullis peccatis, ad quæ spirituales tentatione inductiuâ communiter stimulantur ac prouocantur.

ARTICVLVS I.

De diuisione peccati.

PEccatum largè & strictè accipitur: *largè* seu generaliter sumptum, significat defectum debitæ perfectionis in subiecto, frustrantem illud suo fine. Hoc modo monstra dicuntur peccata naturæ: quia in illis natura deficit à fine suo: Item grammaticus, cùm vitiosè loquitur, & medicus cùm imperitè curat, peccare dicuntur: quia à regulis artis deficiunt, quibus præscribitur modus perueniendi ad certum finem. Peccatum verò *strictè* acceptum, nostro deseruiens proposito,

significat illum defectum hominis, per quem ab vltimo fine consequendo, qui est æterna beatitudo, impeditur. Hoc deinde peccatum strictè seu specialiter sumptum, diuiditur in contractum & actum. *Peccatum* contractum *aliud* est originale, *aliud* habituale.

Originale peccatum ideò sic vocatur, quia illud à nostra origine vitiata, *id est*, à primis parentibus, voluntatis diuinæ transgressoribus, per naturalem propagationem contrahimus: *Vel*, quia priuat nos originali iustitiâ, quæ consistit in rectitudine mentis ad Deum, & in subiectione ac inclinatione sensualitatis ad spiritum. *Porrò* peccatum originale formaliter & materialiter considerari solet. *Formaliter* consideratum, in quantum videlicet in anima est, multipliciter vocatur. *Primò* dicitur priuatio & corruptio: quia priuat animam non solùm iustitiâ originali; sed & iustitiâ sanctitatis, singulis hominibus ex pacto facto à Deo cum Adamo debitâ: non peccante enim Adamo, iustitia seu gratia sanctificans cum reliquis donis coniuncta, ab illo in nos transmitteretur; & quia corrumpit animam, ducens illam ad nihilum, *id est*, ad actuale peccatum. *Secundò* dicitur fœditas, quia per illud imago ac similitudo Dei in anima fœdatur ac maculatur. *Tertiò*, pronitas, propter continuam inclinationem appetitûs ad malũ. *Quartò*, infirmitas, quia reddit animam infirmam ad resistendum motibus sensualitatis.

Quintò

Quintò appellatur vitium & languor, quia per illud vitiantur ac disordinantur vires animæ, & languidæ efficiuntur ad bonum. *Sextò*, dicitur concupiscibilitas & concupiscentia: Concupiscibilitas sonat vitium in potentiâ, prout est in paruulis; concupiscentia verò sonat vitium in actu, prout est in adultis. *Materialiter* autem peccatum originale consideratum, quatenus videlicet in corpore manet, dicitur lex canis: quia est pœna à lege diuinæ iustitiæ carni inflicta. *Item*, lex membrorum, quia mouet seu excitat membra ad faciendum opera mala. *Item* vocatur tyrannus, quia tyrannicam ac violentam exercet quandam dominationem in infimo appetitu. *Item* fomes dicitur, nam sicut in fomitè propriè sumpto, recipitur, fouetur, & nutritur ignis: ita per fomitem metaphoricè acceptum, fouetur & conseruatur peccatum in carne (seu, pronitas ad peccandum) secundum actum nutritiuæ & generatiuæ. *Item* stimulus carnis, quia stimulat carnem ad motus inordinatos, & consequenter animum ad consensum. *Item* dicitur libido, quia facit carnem sequi quidquid sibi libet, seu quidquid sensum suum delectat.

Deinde in peccato originali consideratur culpa & pœna. Vnde D. Bonau. *Centil. par.* 1. *Sect.* 4. sic ait. Corrumpitur genus humanum per originale peccatum, quia licet anima non sit ex traduce, originalis tamen culpa transit ab animâ Adæ ad animas posterorum, medi-

ante carne infectâ, tanquam per concupiscentiam generatâ, & per libidinem seminatâ, quæ infectionem secum trahens, animam sibi vnitam inficit & vitiat, non tantùm pœnâ, sed & culpâ. Et sic per concubitum generatus, nascitur naturâ filius iræ: quia priuatus est rectitudine diuinæ iustitiæ, propter cuius absentiam incurrit quantùm ad animã, infirmitatem, ignorantiam, malitiam & concupiscentiam; quantùm verò ad corpus, pœnalitates, labores, dolores, defectus, morbos multiplices; præter hæc, pœnam mortis & incinerationis, pœnam carentiæ visionis Dei, & amissionis gloriæ cælestis, tam in paruulis quàm in adultis. *Ibidem.* Curatur autem originale peccatum per baptismum, sic quantùm ad culpam, quod tamen remanet quantùm ad temporalem pœnam: sic curatur quantùm ad reatum pœnæ æternæ, quod remanet quantùm ad actum, & motum concupiscentiæ: sic curatur in parente, quod nihilominùs à curato parente, transmittitur in generatam prolem: sic tollitur originalis culpæ macula, quòd remanet sequela, cum quâ oportet nos pugnare, quàm diu viuimus in hâc vitâ. *hæc ille.*

Habituale peccatum illud est, quod post actuale per modum habitualis defectus aut vitij permanet habitatque in animâ, donec pœnitentiâ deleatur ac emundetur. *Hinc tamen est* differentia inter habituale peccatum & vi-

tium

tium: nam peccatum habituale contrahitur per actuale, & directè se opponit gratiæ habituali diuinæ, animam iustificanti ac sanctificanti; sed post contritionem veram, ampliùs non durat ac permanet: vitium autem, *stricte*, strictè consideratum, denotat habitum, tam videlicet innatum, quàm ex actibus inordinatis confectum seu acquisitum, habitui virtutis contrarium ac oppositum; aliàs post contritionem & iustificationem, in animâ permanentem. *Largè* verò acceptum vitium, significat contractum peccandi habitum, seu consuetudinem alicuius peccati acquisitam.

Peccatum actum, seu actu perpetratum, est æternæ legis transgressio: quæ fit aut commissione, quando nimirùm contra præcepta istius legis negatiua indignè agitur; aut omissione, quando videlicet eiusdem legis præcepta affirmatiua non implentur. *Vnde* hoc loco actuale peccatum largè sumitur, inquantum videlicet complectitur non solum realem actum vetitum; sed etiam & priuationem seu negationem debiti actus: cùm quoque peccatum omissionis non careat aliquo actu voluntatis interno, qualis est ipsa nolitio implendi illud, quod præcipitur. *Lex æterna* in præsenti, significat rationem & voluntatem diuinam, quâ Deus vult, vt nihil fiat inordinatū ac inhonestum. *Hinc est*, quòd vniuersa peccata non solùm contra ius diuinum perpetrata, verùm etiam tàm contra ius naturale, quàm

contra

contra humanum, sunt contra legem Dei: quia Deus non solùm iuri suo diuino, sed quoque & iuri naturali, & humano parere iubet.

Peccatum actuale, *aliquando* materialiter consideratur, *aliquando* formaliter. *Materialiter* quidem consideratum, nihil aliud est, quàm actus ipse peccaminosus à voluntate elicitus seu imperatus. *Vel alias*, est actio interna aut externa æternæ legi contraueniens. *Vel* secùndum D. August. Est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. *Formaliter* verò consideratum, est inordinatio voluntatis ipsius, elicientis videlicet aut imperantis eiusmodi actum. *Vel* est corruptio seu priuatio speciei, modi, & ordinis, vt ait D. Aug. *Hinc notandum* est, quòd bonitatem, quâ anima rationalis est bona ac speciosa, seu, quâ voluntas recta ac integra est, constituit actionis elicitæ, species, modus, & ordo: hoc autem fit, dum actiones voluntatis sunt à Deo, secundum Deum, & propter Deum. *Species*, vtpotè intellectualis, hoc loco comprehendit etiam impulsum voluntatis: quæ duo, eo ipso inter se differunt; quòd species, quæ vicem gerit obiecti, idem est in præsenti, ac ipsa illustratio diuina, seu conceptus quidã à Spiritu sancto in intellectum inspiratus, quo medio voluntas afficitur ac permouetur ad bonum, seu retrahitur à malo: impulsus verò, est instinctus Dei in voluntatem, quo

medio,

medio, vice versâ, illustratur intellectus. *Vnde* corrumpitur species, diuinitùs intellectum illustrans & voluntatem consequenter pulsans; dum intellectus repudians lumen, *id est* formam, imaginem, seu conceptum suæ superioris rationis, à Deo inspiratum; lumen inferioris rationis per mundanam sapientiam instructæ, apprehendit: & voluntas pulsum cælestem, seu motum charitatis abnegans, impetu sensualitatis, ac incitamento diaboli agi se sinit. *Modus*, idem est, quod regula ac norma voluntatis creatæ, seu actionis eius. *Vnde* tunc modus præsens corrumpitur, quando voluntas nostra, actiones suas, iuxta modum ac regulam voluntatis diuinæ, non modulatur. *Ordo* in anima corrumpitur aut peruertitur, quando mens contra dictamen suæ conscientiæ aspectu & affectu suo, auertit se à Deo, suo nimirum principio ac vltimo fine; & conuertit se deorsum ad creaturam. *Vel quoque*, quando anima agit non propter summum bonũ; aut si agit, sed non sicut sufficit.

Deinde peccatum actuale, *aliud* est per excessum, & *aliud* per defectum: ratio est, quia virtus in medio consistit, *id est*, habet certam mensuram & modum, quem possumus excedere, aut non attingere: *Vel*, quia inter excessum & defectum sui, medium tenet locum. *Vt*, contra fidem peccatur per excessum, quando nimis leuiter quiduis creditur: per defectum verò, quando post sufficientem

fidei propositionem, nimis hæsitatur. Contra spem, desperatione & præsumptione. Contra charitatem Dei, non amando quando oportet, & zelando pro Deo non secundum scientiam. Contra charitatem sui, necessaria sibi subtrahendo, aut superflua concedendo, aut vltra vires quidpiam aggrediendo. * Contra charitatem proximi peccatur, non corrigendo peccantem, quando manifestè oportet, aut nimis eum puniendo, &c.

Tandem peccatum actuale, diuiditur in mortale & veniale. Peccatum *mortale* vocatur, quo quis reus fit æternæ pœnæ ac mortis spiritualis, iuxta illud *Ezech.* 8. Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur. *Veniale* verò illud dicitur, quod quidem pœnâ temporali dignum est; sed veniam ex naturâ suâ facilè consequitur. *Vel* quoque peccatum mortale est, quo corrumpitur charitas Dei in nobis; quæ est principium vitæ spiritualis, iuxta illud 1. *Ioan.* 3. Qui non diligit, manet in morte. *Vel* quo contemnitur explicite aut implicite gratia seu amicitia Dei. *Veniale* verò illud dicitur, quo non nisi remittitur ac minuitur feruor charitatis, saluâ amicitiâ Dei. *Vel tandem* peccatum mortale, est libido seu voluptas in creatura supra Deum, aut æquè ac in Deo; *Veniale* verò, est libido ac voluptas in creatura infra Deum. *Vel insuper* peccatum mortale illud est, quod fit contra legem æternam. Veniale autem, quod fit non secundum legem æternam.

Ar-

ARTICVLVS II.

De triplici genere, gradu, statu, ac differentiâ peccati mortalis: vel alias, de peccato mortali ex malitia, infirmitate & ignorantiâ.

TRipliciter peccatur mortaliter, nimirùm ex malitia, infirmitate, & ignorantiâ. Peccatum ex malitia duobus fit modis. *Primò*, peccatur ex malitia strictè nimirùm accepta, quando peccatur ex contemptu explicito: peccat autem quis hoc modo, dum videlicet perpetrat malum, vt eo ipso Deum offendat, vt eius voluntatem spernat, vt se contumacē, inobedientem, ac inimicum Deo ostendat, &c. *Secundò*, peccatur ex malitia largè sumpta, quando nimirùm peccatur ex certa scientia, & ex plena libertate voluntatis: peccat autem quis ex certa scientia, dum abest ignorantia peccati ab eius intellectu; ex plena verò libertate voluntatis, dum passio nimis concitata appetitûs sensitiui, vel vehemens motus sensualitatis non præuenit voluntatem.

Peccatum ex infirmitate, vel alias ex impotentia, imbecillitate, & fragilitate, tribus modis fieri solet. *Primò* ex infirmitate peccatur venialiter tantùm, quando præceptis æternæ legis, in primis motibus contrauenitur. *Nota* autem, quòd sensualitatis motus primo primi, *id est*, rationem & voluntatem præuenientes; nondum sunt peccata mortalia & venialia.

Ratio

Ratio est, quia nemo peccat in eo, quod vitare non potest; sed hos motus, homo originali peccato infectus vitare non potest; quamuis iustificatus sit, vt experientia docet, & vt constat *Rom.* 7. & 8. Igitur, &c. Præueniunt verò motus prædicti rationem, *id est*, intellectus aduertentiam, quando nec futuri moraliter poterant præuideri, nec præsentes considerantur, *vtpotè*, secundum aliquam rationem mali: voluntatem etiam præueniunt, quando eius consensum deliberatum, suâ præcurrunt velocitate. Sed motus sensualitatis secundò-primi, sunt iam peccata venialia; quia partim præcedunt rationem & voluntatem, partim sequuntur; ita vt semiplenam constituant aduertentiam, & semiplenũ consensum. *Secundò*, ex infirmitate peccatur mortaliter, vel alias ex passione aut concupiscentia, quando lex æterna in motibus sensualitatis secundò secundis grauiter offenditur. Motus enim ex sensualitate prouenientes secundò secundi, sunt peccata mortalia (nisi aliquando leuitas materiæ faciat illa venialia) quia plenè eos ratio aduertit, & voluntas perfectè ac deliberatè illis consentit. Talia sunt peccata ex subitanea & vehementi ira, tristitia, concupiscentia, libidine, &c. Dictum est, *ex vehementi*: quia leuis passio antecedens actum voluntatis, quamuis subitanea sit, non minuit libertatem; nec item passio consequens, quæ nimirùm à voluntate excitatur; nec tandem habi-

habitus, qui est ex praua consuetudine malè agendi, aut non resistendi motibus sensualitatis: verùm si habitus ille malus ex longa consuetudine peccandi contractus, per pœnitentiam fiat inuoluntarius; peccatum sequens censebitur esse ex passione, aut ex fragilitate, non autem ex malitia. *Tertiò*, peccatur ex infirmitate mortaliter, quando voluntas hominis præuenitur alterius tentatione, inductione, ac prouocatione violenta seu vehementi ad transgressionem legis æternæ; ita, vt, siue timore mali, siue amore boni fracta, & coacta, plenè in malum consentiat.

Peccatum ex ignorantia tribus modis accidit, *aut* videlicet ex ignorantia omninò inuoluntaria, *aut* ex ignorantia omninò voluntaria, *aut* ex ignorantia partim voluntaria, partim inuoluntaria. Hæc autem ignorantia *vel* est iuris, *vel* facti, *vel* pœnæ. *Vnde* ignorantiâ iuris peccatur, quando contrauenitur alicui præcepto legis æternæ, quod non putatur eiusmodi esse, aut nescitur tam strictè obligare. *Ignorantiâ* facti peccatur, quando adest scientia ac notitia legis; sed ignoratur factum, quod dicta lege prohibetur: *vt*, dum quis occidit hominem, putans esse feram. *Ignorantia* pœnæ contingit, quando nescitur latam esse talem ac tantam pœnam contra delinquentes. *Primò* itaque peccatum ex ignorantia omninò inuoluntaria, aliàs inuincibili, non est formale nisi materiale: vnde etiam excusat à

à toto

toto, quia nullum est peccatum, nisi sit voluntarium: non potest autem esse voluntarium cum ignorantia inuincibili iuris vel facti, quia voluntarium supponit notitiam. Talis ignorantia eorum est, qui scire diuina nequeunt: cuiusmodi sunt infantes, à natura dementes, & insensati; ac demùm nonnulli simplices, qui nec per seipsos, nec per alios instrui possunt. *Secundò* ex ignorantia omninò voluntaria, vel alias ex ignorantia affectata ille peccat, qui scire potest ea, quæ ad salutem scire tenetur, & non vult; de quo Propheta ait *Psal.* 35. Noluit intelligere, vt bene ageret. Et *S. Bern.* Frustra sibi de ignorantia blandiuntur; qui, vt liberiùs peccent, libenter ignorant. Huiusmodi ignorantia, ratione peruersæ voluntatis, ignorandi ea quæ ad salutem necessaria sunt, verè est culpa & peccatum, quod æquiparatur peccato ex malitia. *Tertiò* peccatum ex ignorantia partim voluntaria, partim inuoluntaria, aliàs ex ignorantia vincibili, in eis est, qui scire possunt & volunt, sed tamen negligunt. *Vnde* illi, qui scire possunt ea, quæ tenentur, sed nonnisi cum magna difficultate & labore; faciunt tamen facienda, vt addiscant addiscenda, sed aliquatenus negligenter, & insufficienter; excusantur à tanto peccato, quamuis non à toto; ita, vt per talem ignorantiam, aliquando nonnisi venialiter peccent. *Verùm*, qui possunt, modò velint (puta, absque magna difficultate, modi-

co

to nimirum labore adhibito, seu morali adhibita diligentia) ignorantiam iuris & facti superare, & non curant ob suam pigritiam & negligentiam grauem, non excusantur à peccato mortali: est enim hæc illorum ignorantia crassa ac supina, quæ licet non sit à voluntate efficiente seu approbante, sicut est affectata, est tamen à voluntate omittente; quæ nihilominùs voluntas est efficiens, quamuis non verè ac propriè, tamen interpretatiuè. Vnde S. Chrysost. *super Matt.* inquit. Non potest eis esse excusatio condemnationis, ignorantia veritatis; quibus fuit inueniendi facultas, si fuisset quærendi voluntas. *Inter hæc tria* peccatorum genera, grauissimum est peccatum ex malitia: quia ex certa scientia, & ex plena libertate, & plena voluntate fit. *Posteà* sequitur peccatum ex passione seu infirmitate: quia fit non ex plena libertate, quamuis ex plena voluntate. *Tandem* peccatum ex ignorantia *utpotè* crassa, ac supina, ponitur: quia fit nec ex plena libertate, nec quodammodo ex plena voluntate. Vnde S. Gregor. *lib. 25. Moral. cap.* 16. Grauiùs quidem peccatur infirmitate, quam ignorantiâ; sed multo grauiùs studio, quàm infirmitate.

ARTICVLVS III.

De triplici gradu, statu, ac differentia peccati venialis: ac de transitu mortalis peccati in veniale, & venialis in mortale.

Pec-

PEccata venialia *alia* sunt grauia, *alia* leuia, *alia* media. *Grauia* illa dicuntur, quæ ex genere suo mortalia sunt; verùm ex euentu, ex causa, ex leuitate materiæ, venialia reputantur. *Peccatum* ex euentu illud est, quod per pœnitentiam de mortali fit veniale. *Peccatum* verò ex causa veniale dicitur, quòd propter iustam aliquam rationem, hominem vsque ad reatum mortis æternæ non grauat. Est autem huiusmodi iusta causa ac ratio excusans à peccato mortali, ipsa videlicet *vel* infirmitas humana, quâ peccatur in motibus secundò primis; *vel* ignorantia, *vtporè* leuiter culpabilis, qualis est quæ crassam ac supinam non attingit; *vel* non plena aduertentia ac deliberatio: *vel* inconsiderantia humana, omni carens dolo: *vel* modica aliqua tepiditas, seu negligentia, per quam fit, quod remisse tentationi resistitur. *Peccatum* tandem ex leuitate materiæ est, quando quis deliberate præceptum in leui materia offendit, *vt est* furtum minimæ rei, parua læsio famæ alterius, &c. *Vel* quando ipsum leue est præceptum, quod quis præuaricatur, quale illud censetur esse *Eccl.* 23. Iurationi non asuescat os tuum, multi enim casus in illa. Hoc enim præceptum, sicut & quodlibet aliud simile huic, largè accipitur, ac potiùs præmonitio & exhortatio dici debet.

Media peccata venialia, illa dicuntur, quæ partim grauia, partim leuia sunt; grauia quidem

dem sunt ex vna parte; quia ex quâdam fiunt malitia, *id est*, ex industriâ seu ex certâ scientiâ ex plena libertate, ex perfecta voluntate, aut quoque ex magna negligentia: leuia verò ex altera parte iudicari solent, quia ex genere suo nonnisi venialia sunt, *vt est*, verbum otiosum, mendacium officiosum, risus immoderatus; curiositas seu auiditas videndi, audiendi, sciendi vana, &c. *Leuia* tandem peccata venialia sunt, quæ etiam ex genere suo talia dicuntur, & non fiunt ex plena aduertentia, temeritateque ac industria; sed solùm ex quâdam subreptione & humana infirmitate; *vt*, cùm quis habens plenam voluntatem cauendi omnia venialia, tamen ipsum etiam bonum faciens paulisper deficit; sicuti est distractio modica in diuino officio; motus vanæ gloriæ consurgens ex bonis operibus, aut ex laudatione humana de rebus benè gestis; immoderata aliqua seueritas in superiore, veniens ex zelo bono: & è contra, nimia benignitas in corripiendo vitiosos; impletio obedientiæ cum quadam animi amaritudine; parum immoderata sumptio cibi aut potûs; & vice versâ, indiscreta mortificatio corporalis, vana complacentia in deuotione propria, & in alijs donis cælestibus, &c. Absque huiusmodi aliquo peccato veniali, nullus sanctorum ac perfectorum viuere potest in hoc mundo, iuxta illud *Ioan.* 1. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.

Peccatum ex genere suo mortale, tribus modis transit in veniale: *primo* ob defectum plenæ aduertentiæ ac deliberationis: *secundò* ob imperfectum consensum: *tertiò* ob leuitatem materiæ. *Peccatum* verò ex natura sua, seu ex genere suo veniale, sex modis transit in mortale. *Primò*, ratione intentionis prauæ: *Vt*, cùm quis verba profert iocosa, vt alium ad lasciuiam, aut ad maledictionem prouocet. *Secundò*, ratione contemptûs; vt si quis præceptum leue violaret, eò quòd præcipientem paruipendat: *Vel* quia non vult in hoc subijci superiori, vt superior est. *Tertiò*, ratione vltimi finis; *Vt* si ipso actu pluris sibi aliquis faceret ac æstimaret delectationem, ac maiorem poneret felicitatem in mendacio iocoso, quàm in Deo ac æterna beatitudine. *Quartò*, ratione parati animi: *exempli causâ*: si quis veniali peccato tantoperè adhæreret, vt etiamsi illud esset mortale, illud tamen admitteret. *Quintò*, ratione scandali, vel aliàs ratione periculi in mortale incidendi, aut alium inducendi: *Vt*, si quis iocaretur cum honesta muliere, dum animaduertit proximum sibi inde sequi periculum consentiendi peccato, aut alium eo ipso scandalizandi. *Vel deinde* ratione grauis nocumẽti, siue temporalis siue spiritualis: *Vt* si quis facilè præuidere posset, quod ob suum iocum aut imprudentem narrationem, alterius fama grauiter læderetur; aut inde non modica nasceretur contentio, tur-

batio,

batio, &c. *Sextò*, ratione conscientiæ erroneæ aut dubiæ: omne enim veniale, quod admittitur contra conscientiam dictantem esse mortale, aut dubitantem; non deposito priùs rationabiliter tali dubio, aut non superato huiusmodi errore per prudentiam, fit peccatum mortale.

ARTICVLVS IV.

De peccatis cordis, & gradibus eorum: vtpotè, de suggestione, delectatione, & consensione.

PEccata cordis, *aliquando* considerantur vt incompleta, seu, vt gradus, dispositioque ac præparatio ad alia peccata, oris videlicet, & operis: quamobrem luxuriosus, prius meditatur de fornicatione, posthac verbis solicitat mulierem, tandem ipso opere suum consummat prauum desiderium: quæ omnia vnum peccatum completum ac perfectum constituunt. *Aliquando* peccata cordis, vel aliàs mentis, considerantur vt completa, ac specie à peccatis oris & operis distincta; *qualia sunt*, odium Dei aut proximi, hæresis, hypocrisis, superbia, ira, inuidia, iudicium temerarium, contemptus, &c. *Initium igitur seu primus* gradus peccatorum cordis seu mentis, est suggestio diabolica ab imaginatione apprehensa, & consequenter à ratione inferiori in cogitationem seu meditationem deducta. *Vel quoque*, est commotio sensualitatis ac immissio per angelum malum in cor, illius, quod lege

æterna prohibitum est. *Profectus verò seu secundus* gradus peccatorum cordis, consistit in praua delectatione *Nota autem* delectationé, *aliam* esse spiritualem, *aliam* corporalem. *Delectatio spiritualis* est, quando quis delectatur in ipso Deo, vel propter Deum in creatura, in virtute, in obseruantia legis æternæ, &c. Huiusmodi fuit delectatio Dauid, cùm diceret. *Psal.* 76. Memor fui Dei, & delectatus sum. Et *Psal.* 118. Memor fui iudiciorum tuorum à sæculo Domine, & consolatus sum. Et *Psal.* 91. Delectâsti me Domine in facturâ tuâ. *Delectatio verò spiritualis*, quantum spectat ad præsentem materiam, *vel* est purè naturalis, *vel* est sensualis. Naturalis, quæ non-nisi naturalium qualitatum sequitur actioné, & sine quâ impossibile est viuere; nec meritum nec demeritum habet. *Sensualis delectatio* vel aliàs sensualitatis, quæ est motus primò primi, *vel aliàs* quæ præuenit omnino actum rationis, nullum potest habere peccatum, vnde etiam ad naturalem reducitur. *Delectatio* verò, quæ *partim* præuenit apprehensionem rationis; *partim* sequitur *vel aliàs* quæ est motûs secundò primi, eò quòd moralem habeat inordinationem, sitque non contra Deum simpliciter; sed præter ac infra, citraque Deum, omninò incurrit veniale peccatum. *Sed delectatio*, quæ est motùs secundò secundi, quia simpliciter est contra Deum præceptaque illius grauia, nullo modo à cul-
pa mor-

pa mortali excusari potest. Et hæc deinde *duplex* est; nempè efficax & inefficax. *Delectatio inefficax* (vel aliàs morosa) ex eo sic dicitur: quòd sit rei illicitæ deliberata complacentia, *vtpotè*, simplex, *id est*, absque intentione opere illam perficiendi: morosa autem dicitur, à mora practici intellectûs, qui postquam plenè aduertit malitiam illius, moratur tamen in illa; vel complacendo sibi in ea deliberatè, vel eam statim à principio non repellendo, cùm possit ac debeat: quo ipso ruit in ipsius consensum. *Delectatio verò efficax*, præter hoc, quòd sit simplex complacentia deliberata, de re illicita cogitata ac apprehensa tanquàm præsenti; verùm etiam est affectus inordinatus consequendi, & actu experiendi illud quod delectat: itaque huiusmodi delectatio, est simul & desiderium prauum: *vnde est*, quod aut ad delectationes, aut ad desideria, omnia peccata cordis pertinere dicuntur.

Perfectio seu tertius gradus peccatorū cordis, seu mentis, constituitur consensu in delectationem inordinatam, seu in desiderium prauum. Est autem consensus in peccatum, *alius* perfectus, *alius* imperfectus. Perfectus seu *plenus consensus* est triplex, videlicet formalis, virtualis, & tacitus. *Consensus formalis*, vel aliàs positiuus, directus, expressus, explicitus, apertus, actualis, ac elicitus, est, quando quis formali, positiuo, ac elicito voluntatis

actu, seriò approbat, spontè acceptat, ac intimè admittit & fouet, *aut* nimirum delectationem suæ sensualitatis inordinatam, ac lege diuinâ prohibitam, *aut* desiderationem prauam, quam antecedenter talem esse intellectus plenè aduertit & iudicauit. *Vnde est*, quòd consensum positiuum seu formalem, ad mortale peccatum, *duo* faciunt sufficientem: *primum* est, ex parte intellectûs, ipsa videlicet perfecta & actualis aduertentia (quæ in quodam momento haberi potest) ipsius obiecti apprehensi secundum rationem malitiæ. *Vel* saltim aliqua dubitatio, suspicio, aut scrupulus de malitia seu periculo eius, rationabiliter ac prudenter non depositus: *alterum est*, ex parte appetitûs rationalis, *vtpotè*, plena & positiua voluntatis complacentia, & quiescentia in illo obiecto, ac si in fine vltimo: *vel aliàs*, illius perfecta approbatio, quæ sequi potest eodem momento. *Consensus virtualis* est duplex: *Primus*, qui ex natura sua includitur in formali consensu: *vt*, quando aliquis positiuè ac formaliter bonum inuidet proximo, eo ipso etiam virtualiter seu inclusiuè consentit in delectationem de ipsius possibili malo. *Vel deinde*, hoc ipso, quòd aliquis positiuè ac formaliter ingredi vult religionem, aut sacrum suscipere ordinem, virtualiter etiam seu inclusiuè consentit seruare castitatem, quam religio sancta, aut ordo sacer ex constitutione Ecclesiæ, requirit. *Secundus* virtualis consensus

sensus est, qui profluit ex formali. *Vt*, quando virtus seu tentio ac prosecutio consensus formalis, remanet in aliquo exteriori opere inchoato.

Consensus tacitus, vel aliàs implicitus, indirectus, & interpretatiuus, est, quando quis perfectè aduertit motum suæ sensualitatis (*Vtpotè*, delectationem inordinatam, seu desiderium prauũ, legi æternæ contraueniens) in carne sua insurrexisse, & eidem permissiuâ voluntate conniuet; aut, ipso actu positiuæ voluntatis ei non resistit, cùm debeat & possit. *Vnde* differentia est inter formalem & tacitũ consensum; sicut inter expressam & tacitam alicuius munitionis seu Castri proditioné. Expressa proditio fit, quando hosti aperitur ianua, & liberè ad interiora Castri recipitur: Tacita verò, quando Castrum non defenditur ex conniuentia, dum ab hoste oppugnatur & occupatur.

Consensus imperfectus, vtpotè ex partè intellectûs, ad mortalem videlicet non obligans culpam, *primus* dici solet indeliberatus, subitus & subreptitius: ex eo nimirum, quòd voluntas consentiens prauis cogitationibus, aut sensualitatis motibus inordinatis, suâ mobilitate ac celeritate præueniat deliberationem intellectûs plenam. Præuenit autem voluntas intellectum, quando illa priùs approbat, quàm intellectus practicus plenè aduertat turpitudinem rei cogitatæ, aut motûs

sensualitatis: *Vel* quando nondum totam eorum apprehendit malitiam, vnde moueatur ad excutiendum eiusmodi cogitationes ac motus. *Vel item*, quando ratio practica, agnoscit quidem cogitationem ac motum esse contra legem æternam, sed transeunter, eò quòd aliò feratur ac rapiatur. *Vel item*, quando ratio adeò tenui consideratione apprehendit actionis malitiam, quàm interim prosequendo, parum iudicat ac æstimat tanti esse momenti, quod omnino statimque deseri ac impediri debeat. *Vel denique*, tum, quando intellectus non est sibi plenè compos, seu non habet sui perfectum vsum: *Vt*, cùm quis nondum plenè à somno excitatus, sed eo ex parte ligatus, pollutionis sibi contingentis malitiã, ex toto considerare capax esse nequit; non imputatur ei ad mortale, donec integrè cognoscere queat, quid sibi incumbit: *Tum*, quando intellectus alicuius sic perturbatur, vtpotè, aliquo impetu concitatæ passionis, aut aliâ naturali causâ; vt quamuis incipiat attendere & aduertere actionem suam esse inordinatam; tamen à se alio per aliquod obiectum euocatus, in partesque distractus ac diuisus, non valet eius integrè, actu suo persuadere ac comprehendere malitiam, illâ nihilominus suum interim perficiente cursum. *Secundus* consensus imperfectus, ex parte videlicet voluntatis, dicitur propriè semiplenus, habens nonnisi venialem culpam: De

hoc

hoc arguitur aliquis, quando ſuggeſtiones ac tentationes, quas poſtquam intellectu plenè duerit, actu poſitiuæ efficaciſque voluntatis eas quodammodo tepidè, remiſsè ac negligenter deteſtatur, aliàs abſque vlla conniuentia tacita ac moroſa voluntatis permiſſiuæ, & abſque probabili periculo plenè conſentiendi, Hinc nota, quòd conſenſus formalis, eſt poſitiuæ voluntatis; tacitus verò, permiſſiuæ; hic autem ſemiplenus, tepidæ ac remiſſæ.

ARTICVLVS V.
De conſcientia.

QVoniam conſcientia, eſt proxima & immediata regula voluntatis noſtræ, & cauſa quædam tam conſensûs quàm diſſensûs illius; ideò de illa in præſenti hæc dicenda veniunt. *Primò*, quòd conſcientia differt in eo à ſyntereſi: quia ſyntereſis eſt ſcientia, ſeu notitia, & cognitio principiorum moralium ſeu honeſtatis; actu ſuo remurmurans contra malum,& ſtimulans ad bonum,vt vniuerſè apprehenſum. Conſcientia verò, eſt ſcientia ſeu notitia & cognitio concluſionum honeſtatis, ex principijs moralibus rectè deductarum; actu ſuo remurmurans contra malum, & ſtimulans ad bonum, vt particulariter apprehenſum: quæ quidem remurmuratio & ſtimulatio, aliquando nonniſi oſtenſiua eſt mali ac boni;aliquando & motiua,tam à malo

quàm ad bonum: *Hinc eſt*, quòd ſicut ſcientia poteſt accipi *vel* pro obiecto ſcito ſeu cognito, *vel* pro actu ſciendi, *vel* pro habitu: ita quoque ſyntereſis & conſcientia, accipitur & pro actu, & pro habitu, per quem talis actus promptè elicitur.

Secundò dicendum eſt, quòd ſicut ſyntereſis, idem eſt, ac iudicium vniuerſale: ita etiã conſcientia, idem eſt, ac iudicium particulare, practici nimirum intellectus, *vtpotè*, fide iam & cognitione diuinorum illuſtrati: quo aduertitur, diſcernitur, oſtenditur, dictatur, ac iudicatur, aliquid eſſe malum vel bonum, lege diuinâ imperatum vel prohibitum, licitũ vel illicitum, honeſtum vel turpe, agendum vel fugiendum, benè malèue factum, vel omiſſum. *Vnde* quoque, habet ſe aliquando conſcientia reſpectu noſtri, *vel* vt exprobrator, *vel* vt accuſator, *vel* vt teſtis, *vel* vt reus, *vel* vt iudex, *vel* vt legislator. *Exprobrare* conſcientia dicitur, ſeu increpare, mordere, ac reprehendere, dum euidenter iudicat ac manifeſtè oſtendit, aliquid nos contra ſuum dictamen mali feciſſe, aut boni omiſiſſe, & hoc ipſo anxios & turbulentos reddit. *Dicitur* accuſare, dum arguit & conuincit probabilibus documentis, aliquod opus malè à nobis fuiſſe factum, quo ipſo inquietat nos. *Dicitur* teſtari contra nos, vel pro nobis, dum ſimpliciter iudicat nos aliquid mali feciſſe, aut non feciſſe: ſeu quoque, dum probat à nobis opus

ali-

aliquod malè fuisse factum; aut excusat nos, *vtpote*, rectâ intentione, inaduertentiâ, &c. *Dicitur* reatum sibi imputare, seu seipsam condemnare; dum iudicat se dignam esse pœnâ. *Dicitur* tanquam iudex ac arbiter diiudicare; dum deliberat supra aliquam actionē sitne peragenda, & quomodo, aut etiam dimittenda. *Dicitur* legislatoris officium sibi vsurpare, seu etiam consiliarij ac instinctoris; dum nos ligat, iudicans videlicet aliquid esse imperatum; vel absoluit, iudicans aliquid vsu contrario aut iure altero esse abrogatum: nec non, dum consulit, suadet, incitat, ac instigat ad bonum operandum; aut etiam dum retrahit ab actione malâ.

Tertiò dicendum est, quòd conscientia dici solet recta, probabilis, erronea, dubia, perplexa, scrupulosa, & laxa. *Conscientia recta* vel aliàs infallibilis, vera, ac certa, illa est, quæ prudenter iudicat aliquid faciendum, vel omittendum; quod videlicet vel lege naturali, vel diuinâ, vel Ecclesiasticâ apertè demandatum aut prohibitum esse cognoscit. *Probabilis* conscientia est, quæ iudicat actum aliquem moralem esse faciendum, vel non faciendum; innitens non leui, sed solidæ rationi, seu authoritati ac opinioni Patrum aut Doctorum; quamuis sciat non deesse aliorū proborum rationes, authoritates, ac opiniones pro parte contraria. *Erronea* conscientia est, quæ imprudenter dictat, iudicat, deter-

minat ac sentētiat, aliquid esse aliter quàm sit. *Vnde* ille dicitur simpliciter contra erroneam conscientiam peccare, qui facit vel omittit aliquid, quod antecedenter iudicauit esse peccatum mortale; quamuis illud non sit in se nisi veniale, aut nullum. *Dubia* conscientia est, quæ hæsitat, ignorans quonam modo practicè aliquid iudicare debeat; vtrum videlicet bonum sit aut malum, licitum aut illicitum, peccatum aut non peccatum, mortale aut veniale: vnde similiter, qui facit contra hanc dubiam conscientiam, letalem incurrit culpam, quia probabili ac proximo se exponit periculo peccandi mortaliter; secus est, si dubium prudenter deponat. *Conscientia* perplexa est, quæ vtramque iudicat contradictionis partem esse peccatum: *Vtpotè*, tam occidendi proximum propter transgressionem diuini præcepti, quàm non occidendi propter iusiurandum: tam corrigendi fratrem, ob graue malum seu scandalum inde (sicut probabiliter speratur) consurgendum, quàm non corrigendi, ob transgressionem legis Christi: tam subueniendi proximo cum euidenti damno alterius, quàm non subueniendi, ob læsionem fraternæ charitatis. Vnde S. Isid. *in Syn. cap.* 11. In malis promissis rescinde fidē, in turpi voto muta decretum; & quod incautè vouisti, ne facias: impia est enim promissio, quæ scelere adimpletur. *S. Aug.* Illa desinunt esse peccata, quæ propter grauiora vitanda, susci-

suscipiuntur. *S. Amb.* Si non potest alteri subueniri, nisi alter lædatur: commodiùs est neutrum iuuari, quàm grauari alterum. *Scrupulosa* seu nimis stricta conscientia est, quæ iudicat graue esse peccatum vbi non est, innixa solis leuibus indicijs. *Laxa vero* est, quæ non iudicat esse peccatum vbi verè est, habens fundamentum aliquam culpabilem ignorantiam.

Quartò dicendum est, quòd conscientia *aliquando* dicitur mala, peior, pessima: *aliquando* bona, melior, optima: *Conscientia* mala illa est, in qua viuit peccatum. Viuit autem peccatum in conscientia, quando commissum, non deletur per pœnitentiam, aut non deseritur, ob affectûs in illo complacentiam, sed habitualiter remanet in conscientia ipsam crucians ac mordens. *Conscientia* peior illa dicitur; in quâ dormitat peccatũ. Dicitur autem peccatum in conscientia dormitare; dum cognoscitur fieri aliquid contra legem æternam, & ob deprauatum animum pro tali non habetur: dumque remorsus peccati iam quasi non sentitur: vnde huiusmodi conscientia alias cauteriata dici solet. *Pessima* conscientia est, in qua regnat & triumphat peccatum. Regnare verò ac triumphare in conscientia alicuius peccatum dicitur; dum infelix, lætatur cùm malè fecerit, & exultat in rebus pessimis. *Bona* conscientia est, quæ habet propositum non peccandi mortaliter, efficax vi-

delicet, æternum, serium, resolutum, & multis tentationibus probatum. Eadem conscientia dicitur etiam pura, munda, casta ac timorata; quia timore filiali vndique custoditur ab omni illicita coniunctione, ac fœda pollutione cum adultero diabolo, per quod uis peccatum letale, tanquam pura, munda, & casta sponsa cælestis, ac domus sancto digna Deo. *Conscientia* melior, est, quæ immaculatam se conseruare cupit (quantum pro hoc statu est ei possibile) ab omni vitio culpaque veniali *Optima* conscientia dicitur, quæ non ex errore aut pusillanimitate animi, sed ex humilitate & puritate cordis, ibi culpam agnoscit, vbi culpa non est; ad luendam videlicet pœnam, ac sufferendam propter imitationem Christi hilari animo confusionem. Vnde D. Bonau. *in illa verba tertij digiti manus religiosorum.* Est mea culpa. ait: Si cupis esse amabilis, fatere culpam iugiter, peccator es humiliter dic, seruus sum inutilis,

Quintò dicendum est, quòd conscientia aliquando dicitur tenera seu delicata, aliquando dura seu obdurata. *Tenera* seu delicata ideò sic appellatur: quia voluntatem ad maius ac maius iugiter incitat bonum, minimumque fastidit malum, & omnem prudenter & circumspectè cauet imperfectionem. *Dura* aut obdurata vocatur: nam sicut *primò* illud proprie durum seu obduratum est, quod non recipit in se humoris influentiam: *secundò*, quod

quod sic in sua conseruari cupit duritia: *tertiò*, quòd suo resistit contrario: quæ omnia in lapide cernere est: ita quoque conscientia dura seu obdurata figuratè dicitur; & hoc ratione duræ aut obduratæ voluntatis, cuius *inprimis* natura est, non recipere influentiam diuinæ inspirationis ad peccatum deserendū; *deinde* complacere sibi in suo non pœnitendi proposito; *tandem*, cum indignatione, Patrum spernere sacra monita; ac non timere iudicia Dei, paruique æstimare pœnas infernales. *Aliquando* dicitur clara, *aliquando* obscura. *Clara* conscientia est, quæ clarè ac satis prudenter iudicare ac discernere nouit inter bonum & malum, vitandum & imitandum. *Obscura* verò est, cuius iudicium sic prauis affectibus, ac terrenis desiderijs obscuratur; vt non sciat in rebus ad profectum spiritualem, & salutem æternam spectantibus rectum ferre decrectum. *Aliquando* conscientia pacata, *aliquando* anxia dicitur. *Pacata* seu quieta ac serena est, quæ leuibus non commouetur suspicionibus, nec aliquibus inquietatur scrupulis ac perplexitatibus; sicut è contra *anxia*, seu alias inquietæ, scrupulosæ, timidæ, ac suspiciosæ contingere solet. *Aliquando* peruersa, *aliquando* desperata vocatur. *Peruersa* conscientia illa est, cuius iudicium sic malitiâ voluntatis deprauatur ac peruertitur, vt malum iudicet bonum, & bonum malum. *Desperata* verò affinis est peruersæ: eo enim per-

uenit conſcientia peruerſa, vt finaliter deſperet de miſericordia Dei, ac ſuâ æternâ ſalute.

ARTICVLVS VI.

De odio, ſuſpicione, & iudicio temerario.

QVandoquidem peccata oris naſci ſolent ex peccatis cordis, *vtpotè*, ex odio, ſuſpicione, & iudicio temerario; ideò antequàm ad illa veniatur, de huiuſmodi vitijs aliqua proponenda ſunt. *Odium*, eſt vitium, quod directè opponitur & aduerſatur amori. Vnde ſicut amor Dei & proximi eſt *duplex*, amicitiæ videlicet & concupiſcentiæ; ita & odium aliud eſt inimicitiæ, quod eſt voluntas affectans alicui malum ſub ratione mali: aliud abominationis, quod eſt voluntas fugiens aliquid, vt malum ac incommodum. *Odium* tàm inimicitiæ, quàm abominationis erga Deum, per ſe, & intrinſecè malum eſt, & ex genere ſuo mortale; nec ob paruitatem materiæ fieri poteſt veniale, quia quodlibet odium Dei, maximè repugnat Deo, qui ſummè bonus eſt; nec in ipſum vlla ratio mali cadere poteſt. *Odium* inimicitiæ erga proximum eſt mortale ex genere ſuo; fieri tamen poteſt, vt non ſit niſi tantum veniale, aut nullum ex circumſtantia. *Primò*, ſi veniat ex imperfecta voluntate. *Secundò* ratione paruitatis materiæ, vt, dum leue aliquod malum proximo volumus. *Tertiò*, quando illud malum immediatè non fertur in ipſam perſonam, ſed in vitium eius. *Quartò*, ſi

si feratur quidem in personam seu in ipsum hominem, non tamen ibi sistat; sed ordinetur vt medium, ad eius emendationem. *Odium* abominationis, quo videlicet abominatur aliquis ac fugit hominem vt hominem; vel proximi bonum vt bonum, est peccatum mortale: verùm illud, quo quis abominatur proximum, vt peccatorem; vel quo quis abominatur proximi bonum, vt ipsi aut sibi malum, à peccato excusari solet.

Suspicio inquantum significat malam de proximo opinionem, ex leuibus signis conceptam, *triplex* est, *nempe* erroris, timoris, & maleuolentiæ. *Suspicio erroris*, à mortali peccato excusatur, si ei deest pertinacia: est autem talis; quando ex quodam errore, intellectus apprehendit indicia tanquam sufficientia ad malè suspicandum; verùm dum ea meliùs considerat & cognoscit esse insufficientia ac leuia, protinùs eiusmodi erroneam deponit opinionem. *Suspicio timoris*, nullum habet peccatum, imò solet esse meritoria; qualis est parentum, magistrorum, patrum spiritualium, & superiorum, qui suos filios, discipulos, & subditos, *vtpote* iuuenes, semper habent suspectos; ac inde illorum inclinationes, propensiones, ac mores accuratè inspiciunt, diligenter obseruant, & omni genere incorruptæ disciplinæ studiosè coërcent. *Suspicio maleuolentiæ* seu temeritatis, habet rationem peccati mortalis; quæ talis est, cùm quis proximum

(cui

(cui est malè affectus) malum fecisse, vel malum facere velle, pertinaciter opinatur, absque nimirùm rationabilibus indicijs, & ad suspicandum sufficientibus.

Iudicium *iustum*, certum & verum illud dicitur, quod est conforme legi æternæ, & prudentiæ, rectæque rationi; est autem tale, quando quis diffinitiuè in corde suo condemnat ac sententiat proximum de peccato mortali, non nisi ex actu in se malo ac illicito. *Probabile* autem iudicium est, dum eum condemnat ex vehementibus indicijs, inexcusabilibus coniecturis, & probabilibus causis: vtrumque huiusmodi iudicium caret peccato. *Temerarium iudicium*, seu iniustum, ac prauum dicitur, quod non est conforme prudentiæ: illud autem tale est, quod de alicuius peccato, aut alio infami malo, ex leuibus indicijs concipitur. Est autem *differentia* inter iudicium & suspicionem: quod suspicio sit opinio mali, orta ex paruis coniecturis, non habens plenum consensum ob formidinem oppositi: iudicium verò, est condemnatio ac sententiatio in corde nata, ex ijsdem paruis coniecturis de malitia proximi, habens consensum deliberatum. *Vel* quòd suspicio dicat, rem fortè sic se habere, vel fortè etiam aliter: iudicium verò, sic se omninò rem habere affirmet ac diffiniat. *Deinde* iudicium temerarium ac prauum est *triplex*, videlicet præsumptuosum, pernitiosum, & superstitiosum. *Iu-*

dicium

dicium præsumptuosum est, quando quis non solùm suspicatur malum de proximo ex leuibus signis, verùm etiam inde ipsum in mente suâ plenè ac deliberatè sententiat: & quod maius est, quando de eodem malo, præsumptuosè ac temeriter vsurpat sibi ius ac potestatem eum arguendi & corrigendi, aut quoq; coram alijs diffamandi *Iudicium pernitiosum* seu peruersum est, quo bonum opus malâ intentione factum diffinitur: & quo dubium opus alterius in deteriorem partem aliquis interpretatur. *Nota autem*, quòd dubium potest dupliciter occurrere, *Vel* nimirùm de rebus, *Vel* de personis: dubium de rebus est, quando dubitamus, sitne talis contractus licitus, an illicitus: dubium de personis est, quando dubitamus de aliquo homine, sitnè probus, an improbus, aut hicnè an alius istud crimen commiserit. Dubia de rebus, non debemus in meliorem partem interpretari, nisi veritatem illorum prudenter inuestigare ac detegere. Dubia de personis, tenemur in meliorem partem interpretari, non ita quidem affirmatiuè aut positiuè, sicuti negatiuè: explicatur autem dubium in meliorem partem positiuè, quando quis oblato sibi dubio criminis proximi, iudicat illum non commisisse crimen. Negatiuè verò in meliorem partem interpretari solemus dubium proximi peccatum, quando omne de illo suspendimus iudicium, nec benè nec malè illum sententiando. Vndè, quando

res est de malo vitando, aut de remedio ad præcauendum illud adhibendo; licitum est cauere sibi à proximo propter incertitudinē probitatis illius, modò non æstimetur diffinitiuè proximus esse improbus: nam non repugnat rectæ rationi adhibere media ad præcauenda mala, cùm hoc non sit cum detrimento famæ alteriùs. *Vnde* quoque est, quòd superiores, ob indicia quædam dubia, licitè subditos suos, præsertim iuuenes, interdum obiurgant, pœnitentias eis imponunt, aliaq; remedia illis corrigendis adhibent: verùm cauere debent, ne *vel* modum excedant, *vel* illos alijs suspectos reddant, *vel* ne malam de illis concipiant opinionem & affectionem, *vel* de eorum virtute nimis diffidant.

Iudicium *superstitiosum* est, quando quis ante tempus pertinaciter malè iudicat proximum, totaliter desperando de illius correctione, temereque ipsum sententiando, nimirùm ad finem vitæ suæ in peccatis perseueraturū; & consequenter post mortem damnatum iri. Horum quodlibet prauum iudicium, est mortale peccatum contra iustitiam: quia temere iudicans, violat ius quod alter habet ad suam famam, & ad bonam sui opinionem: qui autem violat ius alterius, peccat contra iustitiā: *Vnde* temerè iudicans, tenetur ad restitutionem, quàm quidem facit, dum aliam de proximo æstimationem concipit: verùm si alteri suum temerarium iudicium narrauit, leuibus indi-

indicijs non indicatis, sub eodem peccato mortali, illud coram eo reuocare tenetur. Aliquando tamen iudicium temerarium, non erit, nisi veniale peccatum. *Primò* ob leuitatem materiæ. Est autem leuitas materiæ in iudicio temerario, *alia* per se, *alia* per accidens. Leuitas materiæ per se, est, quando nimirùm non est graue malum (nempè, non est mortale peccatum) de quo proximum temerè quis apud se actu interiori sententiat: per accidens verò est, quando illud malum, est quidem graue seu mortale; verum persona de tali malo temerè iudicata, probabiliter creditur, quòd ob animi sui leuitatem, idipsum non reputaret pro sua graui iniuria. *Secundò*, ob aliquam inaduertentiam, *Vt*, si fuit illud malum graue; sed temerè iudicans, non plenè aduertit se malè iudicare. *Tertiò*, si aduertit quidem se malè iudicare; tamen plenè non aduertit signa esse insufficientia, nec ei aliquod dubium de tali iudicio probabile occurrit.

ARTICVLVS VII.

De nonnullis peccatis oris, tum venialibus, tum mortalibus.

QVemadmodùm enim peccata cordis, illa sunt, quæ perficiuntur in ipso intellectu & voluntate: ita peccata oris dicuntur illa, quæ sermone complentur. *Vt sunt* verba otiosa, multiloquia, vaniloquia, &c. quæ ex genere

nere suo venialia reputantur. Est autem *otiosum* verbum, quod absque vtilitate aut necessitate, siue nimirum corporali siue spirituali, loquentis aut audientis, profertur. Vnde S. Greg. *lib. 7. moral.* Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij. Otiosum quippe verbum est, quod aut iustæ necessitatis, aut intentione piæ vtilitatis caret. *S. August.* Absit vt multiloquium deputem, quando necessaria dicuntur, quantâlibet sermonum multitudine, aut prolixitate dicantur. *Necnon*, vt sunt adulatio, mendacium, contumelia, irrisio, maledictio, detractio, susurratio, murmuratio & diffamatio, quæ ex genere suo mortalia sunt: quamuis non quælibet *adulatio* mortalis censeri debet, qualis est illa, quando quis alium laudat ex bono opere, quo caret; vel si non caret, sed nimis illud exaggerat, vt inde vanè ei placere possit: vel quando quis excessiuè alios iocosis verbis aut factis suis delectare contendit, vanè illis placere cupiens. Verùm illa adulatio mortalis est, quando quis laudat peccatorem in prauis desiderijs animæ illius, aucupando sibi eius gratiam. Vnde *Prou.* 28. Qui derelinquunt legem, laudabunt impium. *Mendacium* etiam officiosum quod alicui prodest, & iocosum quod alios delectat veniale est: sed damnosum, quod videlicet alteri nocumentum adfert, mortale est; nisi leuitate materiæ, vel inaduertentiá excusetur.

Contu-

Contumelia formalis, est peccatum mortale, quæ est exprobratio defectus proximi in malo culpæ, animo & affectu ipsum dehonorandi. *Vt*, dum vnus alteri exprobrat verbis iniuriosis crimen furti, adulterij, apostasiæ, &c. Ab hoc differt conuitium & improperiũ, ipsâ videlicet materiâ, sed non fine. Vnde conuitium formale, est exprobratio defectus proximi in malo naturalis vitij, pœnæ, aut supplicij, animo & intentione lædendi eius honorem. *Vt* si quis alteri iniuriosè dicat, illum esse cæcum, fatuum, virgis aut fustibus cæsum, infamem, &c. Improperium quoque formale, est exprobratio defectus proximi in malo indigentiæ, statûs, & natalium. *Vt*, cùm quis iniuriosè alteri reuocat in memoriam à se accepta beneficia, vel dicit eum esse rusticum, illegitimum, &c.

Verùm contumelia materialis (quæ nimirùm fit absque intentione & affectu dehonorandi proximum iniuriosè) sicut etiam & conuitium ac improperium materiale, aliquando nullum est peccatum, aliquando nonnisi veniale, aliquando mortale. *Primò*, non esse aliquod peccatum eiusmodi verba, quando dicuntur ex zelo amoris, ad corrigendum proximum; vel ex zelo iustitiæ, ad puniendum reum; si tamen non exceditur, nec in qualitate verbi contumeliosi, nec in modo. *Secundò*, esse peccatum veniale contumeliam materialem, dum eiusmodi verba di-

cuntur

cuntur ex quodam indiſcreto zelo, ſurreptione, ac ſubita paſſione: *Vel* etiam quando defectus alterius manifeſtatur inter ſuos, tantùm ob quandam vanam facetiam, iocum, & riſum. *Tertiò,* ſi tantus eſſet exceſſus in verbis, quod aliquis per talem contumeliam, magnam incurreret confuſionem ac diffamationem; & voluntas eum non cohiberet cùm poſſit ac debeat; tunc enim zelus iuſtitiæ nullatenus excuſaret à peccato mortali. *Aut quoque,* ſi quis aperiendo defectum proximi, aduertat ſe hoc ipſo multùm lædere poſſe honorem eius: quamuis idipſum non intendat, peccat tamen mortaliter: quia facit contra prudentiam, per quam prouidere debet ac poteſt, vt proximus tantam non incurrat per eum ſui honoris iacturam.

Irriſio ſeu deriſio formalis, eſt peccatum mortale, quæ nihil aliud eſt, quàm expreſſio ac manifeſtatio proximi defectûs ioculatorijs verbis aut ſignis, cum intentione honorem eius lædendi; & erubeſcentiâ, pudore, confuſione, ac interna inquietudine illum replendi. In hoc autem differt deriſio à contumelia, conuitio & improperio; quia deriſio fit ioco, contumelia autem conuitium & improperium ſeriò. Verùm aliquando excuſari poteſt irriſio formalis à mortali, ſicuti contumelia, conuitium, & improperium, *Vel* paruitate materiæ, *Vel* non plenâ deliberatione. Materialis irriſio, aliquando eſt peccatum mor-

mortale; Vt, si quis à verbis irrisorijs non cesset, dum putat alterum ex defectu etiam leui sibi obiecto grauiter commoueri, dolore, ac tristari posse, sicut contingere solet valde honestis ac pudicis personis; nec non, multùm suspiciosis, elatis, ac passionatis hominibus. Potest etiam irrisio materialis aliquando nullum esse peccatum, si nimirum fiat ad correctionem proximi, aut ad moderatam animi recreationem.

Maledictio formalis, est imprecatio mali alicuius facta sub ratione mali, & dicitur esse peccatum mortale ex genere suo. Maledictio verò materialis, cui deest intentio & affectus malum proximo eueniendi, non est mortale: Vt, si fiat ioco, causâ honestæ recreationis, vel ad correctionem alterius. Verùm ratione circumstantiæ maledictio materialis potest esse peccatum mortale, Vt si persona spiritualis malediceret alicui cum aliorum scandalo, aut filius patri, subditus superiori, &c. Detractio formalis, ex genere suo est mortale peccatum, nisi leuitate materiæ, aut inaduertentiâ excusetur. Illa autem est detractio formalis, quâ peccatum proximi, aut alius defectus infamis clam ipso manifestatur, expressâ videlicet intentione ipsum in famâ lædendi. Fieri verò solet huiusmodi detractio *quatuor* modis directè ac apertè, & alijs *quatuor* indirectè ac tacitè: quorum *primus* modus directæ detractionis est, quando nimirùm scienter

alteri falsum crimen imponitur: *Secundus*, quando quis crimen proximi reuelat occultum, quamuis verum. *Tertius*, quando quis peccatum alterius exaggerat, seu auget verbis aut signis, quamuis notorium. *Quartus*, dum quis explicat factum alterius honestum, in sinistram partem. Indirectæ verò detractionis modus *primus* est, quando quis dotes, aut rectè facta alterius negat. *Secundus*, quando eadem diminuit. *Tertius*, quando quis tacet alterius bona, eo loco & tempore, quo illius silentium cæteri accipiunt pro tacita vituperatione & opprobrio. *Quartus* est, dum quis frigidè laudat, & hoc cedit in vituperium & opprobrium laudati.

Materialis quoque detractio, (quæ est, quando ex immoderata loquacitate, defectus seu crimen occultum narratur alterius; vnde fama eius præter narrantis intentionem læditur) dicitur etiam esse peccatum mortale, si nimirum narrans aduertat posse inde sequi grauem alterius famæ læsionem: qnia, quamuis expresè ac formaliter non intendat lædere alterum, tamen tacitè idipsum intendere conuincitur, quæ intentio æquiualet formali. *Verùm* si huiusmodi narratio, ex quadam animi leuitate & inaduertentiâ proueniat, vel ex ea non sequatur per se grauis læsio: quia nimirum ab audiente non accipitur seriò, nec vera esse creditur, erit tantum peccatum veniale. Nullum autem erit peccatum, imo nec

potest

potest dici detractio, si quis seruato ordine fraternæ correptionis, manifestauerit testibus, aut prælato, aliquod crimen fratris, vt emendetur: quia non est iniusta læsio famæ: cùm pro bonis superioris ordinis, licitè exponi possint bona inferiora, qualis est fama, respectu salutis spiritualis.

Susurratio formalis, ex genere suo peccatum est mortale, quæ talis esse dicitur, dum quis occultè proximum obloquitur, coram altero defectum eius manifestando, animo videlicet ac intentione dissoluendi inter eos amicitiam honestam, & discordiam seminandi malam. Materialis quoque susurratio (quæ est, dum dicitur malum, non eo quidem fine, vt soluatur amicitia, & seminetur discordia; sed tantum ex quadam loquacitate, & affectu susurrandi, seu quodammodo adulandi ac blandiendi) mortalis est culpæ; si nimirum aduertenter dicatur graue malum, quod aptum iudicatur, graues posse generare discordias, ac inimicitias: aliquando venialis tantum, ob paruitatem mali narrati, & ipsius discordiæ leuitatem. Aliquando susurratio materialis, nullum est peccatum, quinimò opus charitatis, si videlicet nonnisi inhonestas ac malas dissoluat amicitias; modò nullum ad hoc opus intercedat mendacium.

Murmuratio largè sumpta, significat apud religiosos, omne vaniloquium ac multiloquium: strictè verò accepta, aliquando idem

est quod detractio, aliquando idem quod susurratio, quatenus nimirum propriè contra superiores militat.

Diffamatio quoque largè accepta, est per diuersas partes famæ bonæ malæuè diuulgatio. Verùm strictè sumpta, significat ipsam diuulgationem alterius criminis aut defectûs: & non differt à detractione; nisi quòd detractio sit oblocutio coram paucis; diffamatio verò coram multis, ac in multis locis propalatio infamis mali. Est autem defectus seu crimen, vel malum infame *triplex*, occultum videlicet, publicum, & notorium. *Occultum* dicitur, quod vni tantum, aut valde paucis cognitum est: *publicum* verò, cuius rumor sparsus est coram multis, ac in pluribus locis, siue iustè, siue iniustè; vel quod publicatum est priuatâ authoritate: aliquando etiam publicū, idem significat, quod notorium: propriè autem *notorium* illud dicitur, quod ad notitiam venit multorum, aut videlicet per notorietatem facti, aut per notorietatem iuris. *Vnde* diffamatio formalis, cuiuscunque huiusmodi defectûs, quæ nimirum ex odio venit, habetque intentionem famam lædendi, est mortale peccatum. Materialis diffamatio notorij ac publici defectûs, non est aliqua culpa: *Verùm* diffamatio materialis occulti peccati, aut alterius defectûs infamis; si aduertenter fiat absque necessitate rationabili, culpam habet mortalem.

Audi-

Auditor infamatoris, detractoris, & murmuratoris, potest *dupliciter* considerari: *Vel* nimirùm vt formaliter cooperans infamationi, detractioni, & murmurationi alterius: *Vel* vt materialiter tantum. Cooperatur autem *formaliter* aliquis auditor detractori duobus modis. *Primò*, quando apertè ac explicitè, directâ intentione lædendi alterius famam concausat illius detractionem, iuuando videlicet detrahentem, incitando, interrogando, laudando, consentiendo & approbando. *Secundò*, quando quis audiens detractorem, occultè & internè delectatur ac lætatur de detractione seu iniusta læsione famæ alterius, ad hoc tamen nullatenus eum inducendo suâ interrogatione, neque exterius huiusmodi approbando diffamationem. Vterque istorum auditor peccat mortaliter: *primus* quidem contra iustitiam, habens nimirum annexam obligationem restituendi famam alterius; si eius auditio ac incitatio causa fuit auditionis aliorum; & si quoque detractor læso famam restituere noluerit: *alter* verò peccat, nonnisi contra charitatem.

Cooperatur deinde aliquis auditor detractori *materialiter*, quando nec inducit eum proximè ad detrahendum, nec lætatur de eius detractione, aut læsione famæ alterius, (*Vnde* adiutor ille, qui delectionem capit, solùm ex eloquentia detractoris, vel ex curiosa cognitione factorum proximi, absque desiderio vt

alteri detrahatur, aut alter incurrat infamiā, non dicitur cooperari detractioni formaliter, nisi solùm materialiter) audit tamen, nec resistit detrahenti cum possit. Huiusmodi auditor *aliquando* peccat venialiter, *aliquando* mortaliter, *quandoque* nullum incurrit peccatum. *Venialiter* peccat, *primò*, si illa detractio, quàm audit, leuis est. *Secundò*, si est quidem de re graui, sed inaduertenter eam audit: vel si aduertenter, sed quia videt eam fieri solùm apud vnum, vel ad summum duos viros probos, qui rem omnino silebunt. Quamuis tamen ipse diffamator, coram vno ac altero probo viro, qui secretum seruaturi sunt, narrans malum infame proximi sine necessitate, iuxta recentiorum opinionem non excusetur à peccato mortali; nisi etiam inaduertenter hoc faciat, & post aduertentiam, famām restituat. *Tertiò*, si ob nimiam verecundiam vel animi pusillanimitatem non audeat resistere. *Quartò*, si putet detractorem spontè reuocaturum quod dixit, idque efficaciter. *Mortaliter* peccat contra charitatem audiens detractorem, & ei non resistens, si infamia sit grauis, & facilè possit eam impedire: sed contra iustitiam incurrit peccatum, cui idipsum ex officio incumbit. *Tandem* nullum peccatum habebit audiens detractorem, & ei non resistens. *Primò*, si est priuata persona, & ex huiusmodi resistentia nullum expectat fructum; imo potiùs probabiliter credit aliquod inde

sibi

sibi vel alteri fore euenturum malū. *Secundò*, quando audiens, nescit, an hoc peccatum quod narratur, sit occultum aut publicum; an iustè, aut iniustè propaletur: in dubio autem quilibet præsumere debet, non detrahere loquentem; nisi in contrarium sufficientes habeat coniecturas: *Vnde* est, quod impediens, faceret aliquando iniuriam loquenti, iudicando illum & corrigendo tanquam detractoré, cùm talis non sit. *Tertiò*, si audiat huiusmodi verba ob aliquem bonum finem, nempe ex necessitate, aut pietate: *V. g.* vt fraternè corrigat, aut paternè admoneat delinquentem.

ARTICVLVS VIII.

De causis, tum promouentibus, tum excusantibus peccata operis.

DIcendum est primò, quod peccata operis ex *tribus* causis committi solent: *aut* nimirum ex negligentia, *aut* ex cupiditate, *aut* ex contemptu. Ex *negligentia* quidem peccatur, quando ex nulla alia causa, nisi ex ipso animi torpore, aliquod præceptum legis æternæ adimplendum, omittitur: erit autem huiusmodi peccatum *aliquando* mortale, *aliquando* veniale, iuxta grauitatem, aut leuitatem, præcepti omissi. Ex *cupiditate* peccat aliquis *Venialiter*, quando leue aliquod præceptum ex concupiscentia *aut* vanitatis, *aut* curio-

curiositatis, *aut* voluptatis transgreditur; sed *mortaliter* peccat, si ex eadem causa graue violat præceptum. Ex *contemptu*, communiter peccatur mortaliter. Vnde causa maioris elucidationis, notandum est *duplicem* esse contemptum, formalem videlicet & materialem. *Formalis* fit, quando aliqua persona alijs postponitur personis, ex tacito contemptu; puta, in æstimatione, in honoris exhibitione, in electione ad aliquod officium, in salutatione, in familiari alloquutione, in munerum largigitione, &c. *Vel* quando aliquid fit ex directa intentione, vt alter expresse contemnatur, seu contemni credatur. *Materialis* contemptus fit, quando aliquis, alijs postponitur, absque implicita & explicita intentione sui contemptûs.

Deinde notandum est, quòd contemptus *alius* est præcipientis, & *alius* præcepti. Præcipiens, *aut* est Deus, *aut* homo. Homo etiã, *Vel* vt est antistes Dei, *id est*, superior ac prælatus: *Vel*, vt est quædam persona habens aliquos defectus *aut* morales *aut* naturales. *Tandem* notandum est, quòd præceptum contemnitur, *aut* absolutè, *aut* secundum quid. Contemnere autem præceptum *absolutè*, est nolle, omninò ac simpliciter subijci, & obedire præcepto, siue graui, siue leui, vt præceptum est: Contemnere verò præceptum *secundum quid*, est velle quidem absolutè ac simpliciter subijci ad obediendum præcepto

vt

vt præceptum eſt; ſed nolle hîc, & nunc, ac in re tam leui obedire & ſubdi: quia ſtrictè ac ſeriò non præcipitur, nec ad grauem culpam obligare creditur.

Hinc determinandum venit, quòd *formaliter* contemnere ſeu minùs appretiare præcipientem, quàm oportet (ſiue præcipiens ſit Deus; ſiue homo, quâ nimirum ſuperior, ac locum Dei tenens) vel in contemptum illius aliquod præceptum tranſgredi, (ſiue illud ſit graue, ſerium, ac obligatorium; ſiue leue, vt eſt exhortatio, admonitio, conſilium, & præceptio, non cum magna intenſione voluntatis prolata) ſemper eſt peccatum mortale: ratio eſt *primi*, quia contemnendo Deũ, ſub quâcunque ratione, magna committitur irreuerentia erga tantam Maieſtatem: ratio *ſecundi*, quia contemnere hominem vt ſuperiorem, eſt contemnere authoritatem in eo, à Deo collatam. *Materialiter* contemnere præcipientem, *aliquando* veniale, *aliquando* mortale peccatum eſt; & hoc ratione tranſgreſſionis, leuis vel grauis illius præcepti. *Vnde* eſt, quòd tranſgreſſores æternæ legis, appellari ſolent contemptores Dei: quia hoc ipſo præferunt Deo & beneplacito eius, creaturas ac propriam voluntatem: & talis contemptus dicitur imputatiuus. Contemnere deinde *abſolutè*, ſiue graue, ſiue leue præceptum Dei, aut ſuperioris; contemptu videlicet formali, eſt peccatum mortale: ſed

contemnere *secundum quid*, contemptu videlicet non nisi materiali, leue præceptum, venialis est culpa; quamuis contemptus talis cum aliqua indignatione coniunctus sit, modò aliàs indignatio ipsa non sit mortalis. Contemnere præcipientem, vt *præcipiens* est homo defectuosus, non est mortale peccatum, modò præceptum eius graue non prætermittatur.

Dicendum est secundò, quòd peccata operis, illa sunt, quæ aut per operationem alicuius, aut per cooperationem complentur. *Vt sunt*, homicidium, furtum, fornicatio, ieiunij violatio, inebriatio, &c. per *operationem* quidem complentur, quando quis illa per seipsũ, aut cum alio, actu externo perpetrat: sed per *cooperationem*, quando quis animum alterius ad ea perpetranda efficaciter mouet, iubendo scilicet, consulendo, laudando, approbando, adiuuando, defendendo, adulando, conniuendo, permittendo, &c.

Dicendum est tertiò, quòd peccata operis, non indigent ad sui consummationem consensu elicito: sufficit enim ad omne peccatum, vt voluntas actu externo seu imperato, per vires nimirum sibi subiectas, indigna aliqua, ac legi æternæ contraria; siue nimirùm cum antecedente aut comitante sui intellectus perfecta deliberatione, exerceat ac exequatur; siue cum subsequente plenâ aduertentiâ, opus suum peruersum, approbet ac ratificet.

Dicen-

Dicendum est quartò, septem esse causas, ob quas opera aliàs ex genere suo mortalia, possint esse nulla peccata, vt est impotentia, ignorantia, defectus iudicij, iusta ratio, pietas, necessitas, dispensatio. *Prima* causa, est impotentia, quæ habet locum in restitutionibus, quando nimirum restituendi facultas deest: in recitatione diuini officij tempore infirmitatis magnæ: in auditione missæ deficiente sacerdote, vel tempore inundationis, aut pluuiæ: in ieiunijs, quoad debiles. Huiusmodi autem *impotentia* excusans à peccato, in his ac alijs præceptis, & statutis humanis, est *duplex:* physica nimirum & moralis. Impotentia *physica* contingit, quando quis absolutè non potest satisfacere alicui obligationi: *moralis* verò est, quando absq; notabili suo malo idipsum præstare nequit. *Secunda* causa excusans à peccato, est ignorantia, *nempè* inuincibilis, quæ nimirum nullatenus superari potuit, neque aliquid mouit ad eam excludendam. Idem etiam sentiendum est de inconsideratione naturali. *Tertia* est, defectus iudicij, vt in pueris infantibus, amentibus, dormientibus, & plenè inculpabiliter ebrijs. *Quarta* est iusta ratio, quæ habet locum in humanis legibus, statutis, ac præceptis: censetur autem esse tunc, quando illa omnino legislatorem inclinaret, si præsens esset, ad legem suam declarandū in tali casu non ligare. *Quinta* causa est pietas, dum quis operibus

pietatis ac misericordiæ, tum corporalibus, tum spiritualibus incumbit; excusatur ab auditione missæ in die festo, à ieiunio, &c. si nimirum aliter commodè suo muneri satisfacere nequit. *Sexta*, est necessitas, *Vt*, si quis in extrema necessitate constitutus esset, ita, quòd vitam aliter conseruare non posset, licitè acciperet alienum: quia in tali casu omnia sunt communia: *Vel* si incideret in miseriam irremediabilem, aut decideret ab honerato statu suo, restituendo alienum, licitè retinere poterit illud, durante tali necessitate. *Necnon*, si quis aliter non posset vitam propriam, aut res suas defendere, imo etiam & proximi, nisi occidendo inuasorem iniuriam inferentem, liber est à peccato. *Denique* si quis aliter non posset victum habere pro se ac suis, nisi die festo laboret, *Vel* si fruges terræ verè corrumperentur, nisi die festo colligat eas, nihil peccabit. *Verùm* hæc necessitas non habet locum in alijs peccatorum generibus: *Vnde* non licet fidem negare, blasphemare, peierare, fornicari, falsum dicere testimonium, &c. quantumcunque magnum periculum vitæ, famæ, damni euitandi, superueniat. *Septimò*, est dispensatio superioris, quæ locum habet in lege humana; fieri autem potest, *primò*, ob necessitatem aut vtilitatem, siue communem, siue priuatam. *Secundò*, ob pi-

eta-

etatem aliquam, ſiue corporalem, ſiue ſpiritualem: *tertiò*, ob caſum ſuperuenientem, *v. g.* quoties obſeruantia legis vergit in malum, aut maius bonum impedit; toties ratio eſt iuſta diſpenſandi.

Explicit ſecunda pars Summarij Theoſophici.

Viuat REX noſter IESVS.
Viuat, viuat.



INDEX ALPHABETICVS

Rerum notabilium huius Summarij Theosophici.

A

Actus

B

C

Cha-

D

Disci-

E

F

G

H

I

Lan-

M

Sensus

T

Veri-

V

Vir-

Z



